ANNALES

ACADEMIAE GANDAVENSIS,

MDCCCXIX. – MDCCCXX.


JE MAINTIENDRAI.

ANNALES
ACADEMIÆ GANDAVENSIS,

A DIE

IV. OCT. M. DCCC. XIX.

AD DIEM

II. OCT. M. DCCC. XX,

JOHANNE BAPTISTA HELLEBAUT,

RECTORE MAGNIFICO,

ET

GUILIELMO LEONARDO MAHNE,

SENATUS GRAPHIARIO.

GANDAVI,

APUD P. F. DE GOESIN-VERHAEGHE, ACADEMIÆ TYPOGRAPHUM.

1821.







INDEX

EORUM, QUÆ HOC ANNALIUM VOLUMINE CONTINENTUR.

NOMINA PROFESSORUM,

QUI

(*Inde a die* IV OCT. M. DCCC. XIX *ad diem* II OCT. M. DCCC. XX,)

IN ACADEMIA GANDAVENSI

DOCENI MUNERE FUNCTI SUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

JOHANNES BAPTISTA HELLEBAUT.

PRORECTOR

FRANCISCUS PETRUS CASSEL.

ACADEMIÆ GRAPHIARIUS

GUILIELMUS LEONARDUS MAHNE.

PROFESSORES

JURISPRUDENTIÆ ROMANÆ ET HODIERNÆ.

J. B. HELLEBAUT.

J. J. HAUS.

P. DE RYCKERE.

F. B. J. VAN WAMBEKE.

ARTIS MEDICÆ.

J. C. VAN ROTTERDAM.

J. L. KESTELOOT.

F. E. VERBEECK.

J. F. KLUYSKENS, *Prof. extraord.*

PHILOSOPHIÆ THEORETICÆ ET LITERARUM.

G. L. MAHNE.

J. M. SCHRANT.

L. V. RAOUL.

DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICAR.

F. P. CASSEL.

C. F. HAUFF.

J. G. GARNIER.

LECTORES.

C. VAN COETSEM.

F. AUBERTIN.

PROSECTOR ANATOMICUS.

J. L. BODDAERT.



SERIES LECTIONUM,

QUÆ,

Q. D. O. M. B. V.,

IN ACADEMIA GANDAVENSI

HABITÆ SUNT,

A die 5 Octobris MDCCCXIX usque ad finem mensis Februarii MDCCCXX,

RECTORE MAGNIFICO,

JOHANNE-BAPTISTA HELLEBAUT,

Math. Mag. et Phil. Nat. nec non Jur. Rom. et Hod. Doct.

ORDO JURISCONSULTORUM.

J. B. HELLEBAUT. Lectiones habuit de *Jure civili hodierno*, diebus Lunæ, Martis et Jovis, horâ *nonâ: Praxim Juris* tractavit horâ *quintâ* pomeridianâ, diebus Lunæ, Martis et Jovis.

Statisticam docuit, diebus Mercurii et Veneris, horâ *quintâ*.

J. J. HAUS, *Encyclopædiâ* et *Methodologiâ* Juris præmissâ, *Jus Naturæ* exposuit, diebus Lunæ, Martis et Jovis, horâ *quartâ* pomeridianâ:

Jus Publicum et *Gentium*, diebus Mercurii et Veneris, *eâdem* horâ:

Jus Criminale, diebus Lunæ, Martis, Mercurii et Jovis horâ *tertiâ* pomeridianâ.

P. DE RYCKERE. *Institutiones Juris Romani* tradidit, diebus Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni, horâ *octavâ* matutinâ.

Pandectas interpretatus est, diebus Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni, horâ *decimâ*.

ORDO MEDICORUM.

J. C. VAN ROTTERDAM. *Pathologiam specialem, symptomatologiam* et *Praxin morborum acutorum* docuit, diebus Lunæ, Martis et Mercurii, horâ *quintâ* pomeridianâ.

Porro in Nosocomio Academico *Institutiones clinicas* ab initio ad finem scholarum moderatus est.

Et denique *Principia Therapeutica institutionibus clinicis adaptata* in eodem Nosocomio, diebus Jovis et Veneris, secundum proprium conspectum, explicavit.

J. L. KESTELOOT. *Therapiam generalem, Materiam medicam*, secundum proprium conspectum Gandavi impressum, et *Pharmaciam* cum methodo concinnandi *formulas medicinales*, juxta *Pharmacopœam Belgicam*, docuit, diebus Lunæ, Martis et Mercurii, horâ *undecimâ*.

Therapiam specialem morborum chronicorum et *Diæteticam*, tradidit, diebus Jovis, Veneris et Saturni, horâ *undecimâ*.

Medicinam denique *legalem* et *politicam*, diebus Martis et Jovis, horâ *quartâ*, exposuit.

F. E. VERBEECK. Diebus Lunæ, Martis, Mercurii et Jovis, horâ *secundâ*, *Anatomiam*, et iisdem diebus, horâ *tertiâ*, *Physiologiam* exposuit.

J. F. KLUYSKENS, *Prof. extraord.*, *Chirurgiæ clinicæ* vacavit, diebus Lunæ, Martis, Mercurii et Jovis, horâ *octavâ*. Tum *Chirurgiæ institutiones* prælegit, *iisdem* diebus, horâ *nonâ*. Et denique *Artem Obstetriciam*, diebus Veneris et Saturni, horâ *octavâ*, docuit. — Quæ omnes scholæ in Nosocomio Academico habitæ sunt.

ORDO PHILOSOPHORUM ET LITERATORUM.

G. L. MAHNE. Horâ *octavâ* matutinâ, diebus Lunæ, Martis, Mercurii et Jovis, *Antiquitates Romanas* explicuit.

Hora *nonâ*, diebus Lunæ, Martis et Mercurii, *Literas Latinas earumque Historiam* docuit : diebus vero Jovis, Veneris et Saturni, eamdem operam *Literis Græcis* navavit.

J. M. SCHRANT. *Literarum Belgicarum Historiam criticam* tradidit, diebus Lunæ et Martis, horâ *undecimâ*. Die Mercurii, eodem tempore *Vondelii* duas tragœdias celeberrimas, *Gysbrecht van Amstel* et *Lucifer*, illustravit.

Historiam Eloquentiæ criticam exposuit, diebus Jovis et Veneris, horâ *undecimâ*.

Præcepta Stili bene Belgici, sive *Eloquentiæ* dedit, diebus Lunæ, Martis et Mercurii, horâ *secundâ*.

Historiam Patriam tradidit, diebus Jovis et Veneris, horâ *secundâ*, sed die Saturni, horâ *undecimâ* ante meridiem.

Denique collocutionibus de *Literis Belgicis* et exercitationibus oratoriis vacavit.

L. V. RAOUL. Horâ *decimâ*, diebus Lunæ, Martis et Mercurii, *Præcepta Logices* tradidit.

Horâ *undecimâ*, iisdem diebus, *Selecta loca ex optimis Scriptoribus Gallicis cum exemplaribus Græcis et Latinis* comparavit.

Horâ *tertiâ* post meridiem, diebus Lunæ, Martis et Mercurii, *Historiam universalem* exposuit.

ORDO MATHEMATICORUM ET PHYSICORUM.

J. G. GARNIER. Diebus Mercurii, Jovis et Veneris, *Mathesin elementarem*, horâ *secunda* post meridiem; diebus Lunæ et Martis, *eadem* horâ, *Astronomiam physicam* docuit.

C. F. HAUFF. Diebus Lunæ, Mercurii et Veneris, horâ *undecimâ*, *Physicam experimentalem;* diebus Martis, Jovis et Saturni, *eâdem* horâ, *Chymiam* tractavit.

F. P. CASSEL. *Zoölogiam et Mineralogiam*, ut et *Anatomen comparatam*, diebus Lunæ, Martis et Jovis, horâ *meridiana*, tradidit.

Botanicam et *Plantarum Physiologiam*, diebus Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, in Horto Academico exposuit.

C. VAN COETSEM, *Med. Doct. et Lect.* Tabularum clinicarum in Nosocomio faciendarum et servandarum curam, sub auspiciis V. Clar. *Van Rotterdam*, peregit.

Idem principia *Pathologiæ generalis*, diebus Jovis et Veneris, horâ *quinta*, exposuit.

J. L. BODDAERT, *Med. Doct.* Cadaverum dissectionibus, ab ipsis Anatomiæ Professoris lectiones audientibus juvenibus in amphitheatro instituendis, præfuit.

FRANCISC. AUBERTIN. Picturam linearem et diaglyphicen, diebus et horis pro studiosorum commodis deinde constituendis, sese traditurum promisit.

SERIES LECTIONUM,

QUÆ,

Q. D. O. M. B. V.,

IN ACADEMIA GANDAVENSI

HABITÆ SUNT,

Ab initio mensis Martii ad medium usque Augustum MDCCCXX,

PRORECTORE ACADEMICO,

FRANCISCO-PETRO CASSEL,

Philos. Natur. et Med. Doct.

ORDO JURISCONSULTORUM.

B. F. J. VAN WAMBEKE. Lectiones habuit de *Jure civili hodierno*, diebus Lunæ, Martis et Jovis, horâ *nonâ: Praxim Juris* tractavit horâ *quintâ* pomeridianâ, diebus iisdem.

J. J. HAUS. *Jus Naturæ* docuit, die Lunæ, Martis Mercurii et Jovis, horâ *tertiâ* pomeridianâ : at vero *Jus Criminale* explicavit, horâ *quartâ*, iisdem diebus.

P. DE RYCKERE. *Institutiones Juris* diebus Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni, horâ *octavâ*, explicavit: *Pandectas* autem interpretatus est horâ *septimâ*, diebus Jovis, Veneris, et Saturni.

ORDO MEDICORUM.

J. C. VAN ROTTERDAM. *Pathologiam specialem*, *symptomatologiam* et *Praxin morborum acutorum* docuit, diebus Lunæ, Martis et Mercurii, horâ *quintâ* pomeridianâ.

Porro in Nosocomio Academico *Institutiones clinicas* ab initio ad finem scholarum horâ *septimâ* moderatus est.

Et denique *Principia Therapeutica institutionibus clinicis adaptata* in eodem Nosocomio, diebus Jovis et Veneris, secundum proprium conspectum, explicavit.

J. L. KESTELOOT. *Therapiam generalem*, *Materiam medicam*, secundum proprium conspectum Gandavi impressum, et *Pharmaciam* cum methodo concinnandi *formulas medicinales*, juxta *Pharmacopœam Belgicam*, docuit, diebus Lunæ, Martis et Mercurii, horâ *undecimâ*.

Therapiam specialem morborum chronicorum et *Diæteticam*, tradidit, diebus Jovis, Veneris et Saturni, horâ *undecimâ*.

Medicinam denique *legalem* et *politicam*, diebus Martis et Jovis, horâ *decimâ*, exposuit in Scholâ, quæ est in foro frumentario.

F. E. VERBEECK. Diebus Lunæ, Martis, Mercurii et Jovis, horâ *secundâ*, *Anatomiam*, et iisdem diebus, horâ *tertiâ*, *Physiologiam* exposuit.

J. F. KLUYSKENS, *Prof. extraord.*, *Chirurgiæ clinicæ* vacavit, diebus Lunæ, Martis, Mercurii et Jovis, horâ *octavâ*. Tum *Chirurgiæ institutiones et operationes* docuit iisdem diebus, horâ *nonâ*. Et denique *Artem Obstetriciam*, diebus Veneris et Saturni, horâ *octavâ*, exposuit. — Quæ omnes scholæ in Nosocomio Academico habitæ sunt.

ORDO PHILOSOPHORUM ET LITERATORUM.

G. L. MAHNE. Horâ *septimâ* Literas *Latinas* earumque *Historiam* explicare perrexit.

Horâ *octavâ* Literis *Græcis* eamdem operam navavit.

Horâ *nonâ* in *Antiquitatibus* interpretandis progressus est.

J. M. SCHRANT. Horâ *octavâ*, die Lunæ, *Præcepta stili bene belgici* dedit: die Martis, horâ *octavâ*, *Historiam Literariam Belgicam* tradidit: die Mercurii, horâ *septimâ*, *Vondelii tragœdiam*, *Gysbrecht van Amstel* illustravit. Reliquis diebus, Jovis, Veneris et Saturni, horâ *septimâ*, *Historiam Patriæ* explicavit.

Denique collocutionibus de *Literis Belgicis* et exercitationibus oratoriis vacavit die et horâ solitis.

L. V. RAOUL. Horâ *decimâ*, diebus Lunæ, Martis et Mercurii, *Præcepta Logices* tradere perrexit, iisque finitis, *Metaphysicam* docuit.

Horâ *undecimâ*, diebus Lunæ, Martis et Mercurii, *Historiam Universalem* tradidit.

ORDO MATHEMATICORUM ET PHYSICORUM.

J. G. GARNIER. Diebus Mercurii, Jovis et Veneris, *Mathesin elementarem*, horâ *secundâ* post meridiem; diebus Lunæ et Martis, *eâdem* horâ, *Astronomiam physicam* docuit.

C. F. HAUFF. Diebus Lunæ, Mercurii et Veneris, horâ *undecimâ*, *Physicam experimentalem;* diebus Martis, Jovis et Saturni, *eâdem* horâ, *Chymiam* tractavit.

F. P. CASSEL. Morbo implicitus, scholas habere non potuit.

C. VAN COETSEM, *Med. Doct. et Lect.* Tabularum clinicarum in Nosocomio faciendarum et servandarum curam, sub auspiciis V. Clar. *Van Rotterdam*, peregit, et loco Clar. Prof. *Cassel* habuit *Scholas Botanicas*.

Idem principia *Pathologiæ generalis*, diebus Jovis et Veneris, horâ *quintâ*, exposuit.

J. L. BODDAERT, *Med. et Chirur. Doct.* Cadaverum dissectionibus, ab ipsis Anatomiæ Professoris lectiones audientibus juvenibus in amphitheatro instituendis, præfuit.

FRANCISC. AUBERTIN. Picturam linearem et diaglyphicen, diebus et horis pro studiosorum commodis deinde constituendis, sese traditurum pollicitus est.

ACTA IN SENATU

ET

ACADEMIA

D. II. OCTOBRIS M. DCCC. XX.

Ex mandato Curatorum Præsidis, quum Rector et Assessores in ipsorum conventum venissent, Academiæ Inspector recitavit nomina Professorum, qui secundum Leg. Acad. § 196 in proximum annum Rectori *Assessores* adjuncti essent a Curatoribus. Horum nomina erant:

Ex Ordine Disc. Math. et Phys.	J. G. GARNIER.
Ex Ordine Medico.	J. C. VAN ROTTERDAM.
Ex Ordine Juridico.	B. F. J. VAN WAMBEKE.

Deinde Curatores una cum Rectore et Assessoribus præteriti anni in eodem illo conventu ex Candidatorum senario numero *Actuarium* elegerunt eruditissimum Antecessorem, *Petrum de Ryckere.*

Quo peracto, Senatus Amplissimus habitus est, in quo Viri Clar. *J. M. Schrant*, ab augustissimo Rege designatus Rector Magnificus, *Petrus de Ryckere*, Actuarius, atque Assessores solenni ritu in verba Legis Academicæ jurarunt.

Denique vero, quum, mortuo Rectore Magnifico, *J. B. Hellebaut*, Prorector *F. P. Cassel* vices Rectoris agere debuisset, sed morbo impediretur, quominus Orationem recitare, et reliquas Prorectoris partes ipse explere posset; *G. L. Mahne*, Actuarius, Prolusionem Academicam ricitavit, victores juvenes præmiis debitis ornavit, novum Rectorem allocutus, eidemque de munere suo gratulatus est, atque, finitâ novi Rectoris responsione, concionem legitime demisit.

PROGRAMMA

CERTAMINIS LITERARII,

A

RECTORE ET SENATU ACADEMIÆ GANDAVENSIS,

MENSE OCTOBRI A. M. DCCC. XX,

INDICTI.

Ex Augustissimi Regis decreto (*d.* XXV *Sept.* MDCCCXVI, *N.* 65, *a* §. 140 *ad* §. 148), a Rectore et Senatu Academiæ Gandavensis proponuntur omnibus Academiarum Belgicarum civibus hæ quæstiones:

AB ORDINE PHILOSOPHIÆ THEORETICÆ
ET LITERARUM HUMANIORUM.

I.

Cum in Arithmetica ad digitationem, in Mechanica ad simplicissimi vectis leges, in Astronomia Physica ad stateram, in œconomia politica ad rerum valoris ideam, in musica ad corporis sonori resonantiam omnia referri possint:

Quæritur, num in animæ facultatum studio omnia quoque ad principium unicum referri queant, unde, per varias transformationes, aliæ ex aliis animæ facultates oriri ostendantur.

Observandum autem, facultatum theoriam sedulo hic a theoria idearum distinguendam, nec *potentias* animæ productrices, cum earumdem *productis* aut effectibus permiscendas.

Operæ pretium erit, ad illustrandam theoriam, pauca de *principii* et *systematis* definitionibus præfari.

II.

Quandoquidem Cicero Tusc. Qu. l. c. 1. dicit: "*Meum semper judicium fuit, omnia nostros aut invenisse per se sapientius, quam Graecos; aut accepta ab illis fecisse meliora, quae quidem digna statuissent, in quibus elaborarent;* quæritur, 1.°, Quasnam potissimum artes ac doctrinas Romani dignas judicaverint, in quibus elaborarent: 2.°, Quinam illarum præcipui cultores fuerint: 3.°, Quatenus hi ipsi in singulis illis artibus et doctrinis aut Græcis anteponendi, aut æquiparandi, aut postponendi sint.

AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

I.

Supponantur in uno eodemque plano tres circuli sibi invicem externi, quorum centra sint O, O' *et* O'', *quorumque radii* R, R' *et* R'' : *supponantur etiam tangentes exteriores tum ad circulos* O *et* O', *quae priorem* O *ad puncta* T *et* T', *posteriorem verò* O' *ad* t *et* t' *contingant, tùm etiam ad circulos* O *et* O'', *quae priorem* O *ad* T'' *et* T''', *alterum verò* O'' *ad* t'' *et* t''' *contingant: istae tangentes determinabunt in circulo* O *duas chordas contactûs* TT' *et*

T'' T''', quae concurrent in puncto M et in utroque circulo O' et O'' chordas contactûs tt' et t''t''', productae in N concurrent. Si tunc ducitur recta NM, demonstrandum erit puncta intersectionis P et Q hujus rectae NM cum circulo O esse puncta contactûs duorum circulorum, quorum alter tres datos concavitate contingit, alter vero convexitate. Quaerenda etiam erunt duo reliqua puncta contactûs utriusque circuli tangentis.

Deniquè hujus constructionis modificationes sedulò investigandae sunt, dum datorum circulorum tum centrorum positio, tum radiorum magnitudo, variabilis supponitur.

Constructiones è legitimis Geometriae elementaris principiis deducantur necesse est.

II.

Theoria generalis Analytica tuborum achromaticorum, quorum lentes objectivæ vel e duobus vel e tribus vitris compositæ sunt, et comparatio effectûs lentis unius cum lente alterius generis, utriusque diametro, distantia forali vitrisque ocularibus suppositis æqualibus.

III.

Quæritur specimen Physiologiæ comparatæ inter cryptogamas et phanerogamas plantas.

AB ORDINE MEDICORUM.

Quandoquidem variarum partium organicarum phlegmasiae, ratione diversae illarum structurae et vitalitatis modi, diversa offerunt symptomata, ad praxin scitu summe necessaria; quaeritur,

Recensio praecipuarum doctrinarum, quibus pathologi, imprimis nuperrimi, phlegmasiae theoriam exposuerunt.

AB ORDINE JURIDICO.

Quinam fuit apud Romanos in criminibus publicis procedendi modus, et quomodo hic differt a procedendi in criminibus ratione, quæ in Codice Instructionis Criminalis præscripta est?

Commentationes, Latino tantum sermone conficiendæ, et alia, quam ipsorum auctorum, manu describendæ, ante diem XV Junii A. M. DCCC. XXI. auctorum sumptibus, ad Academiæ Actuarium mittantur. Præterea singulis Commentationibus inscribatur lemma, cui addatur schedula obsignata, Auctorum nomina continens, inque exteriore parte eodem lemmate conspicua. — Præmia vero, e Regia munificentia victoribus decreta, distribuentur primo die Lunæ mensis Octobris A. M. DCCC. XXI.

SERIES

DISSERTATIONUM INAUGURALIUM,

IN

ACADEMIA GANDAVENSI

DEFENSARUM,

Inde a die XXX *Oct.* MDCCCXIX *ad diem* XII *Aug.* MDCCCXX.

D. XXX Oct. MDCCCXIX, DISSERTATIO *de Congruentia Naturæ virus Syphilitici et Blennorrhagici*, publice defensa a JOH. JOS. VAN DE LAER, *Hercano*, pro Doctoratu Medicinæ. — Idem *Chirurgiæ Doctor* creatus est d. XII Febr. MDCCCXX.

D. XX. Nov. MDCCCXIX, DISSERTATIO *de Inflammatione in genere*, publice defensa a BENEDICTO GUISLENO KINDT, *Tiletano*, pro Doctoratu Medicinæ.

D. XXVII Nov. MDCCCXIX, DISSERTATIO *de dolore Physico*, defensa privatim a PETRO CEUTERICK, ex *Oycke*, pro Doctoratu Medicinæ.

D. IV Dec. MDCCCXIX, SPECIMEN *de Vomitu Cruento*, publice defensum a J. THEODORO VAN DER DONCKT, *Aldenardensi*, pro Doctoratu Medicinæ.

D. XXVI Febr. MDCCCXX, DISSERTATIO *de Scorbuto*, defensa privatim a J. P. M. DE MERSSEMAN, pro Doctoratu Medicinæ.

D. XXII Aprilis MDCCCXX, DISSERTATIO *de Contractu Reditus Vitalitii*, publice defensa a CAR. LIBBRECHT, ex *Ingelmunster*, pro Doctoratu Juris Rom. et Hodierni.

D. XXII Aprilis MDCCCXX, DISSERTATIO *de Ascitide*, defensa privatim a CAR. JOS. BALISAUX, ex *Montigny-le-Tilleul in Hannonia*, pro Doctoratu Medicinæ.

D. III Junii MDCCCXX, DISSERTATIO *de Usuris*, publice defensa a LUDOVICO DE SOUTER, *Iprensi*, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

D. XXIV Junii MDCCCXX, SPECIMEN *de Lethalitate vulnerum in genere*, publice defensum a PETRO JOSEPHO GOSSE, *Rothnacensi*, pro Doctoratu Medicinæ.

D. I Julii MDCCCXX, DISSERTATIO *de Febribus intermittentibus et præcipue nostratibus*, publice defensa a BENEDICTO JOANNE VAN OVERLOOP, *Ascano*, pro Doctoratu Medicinæ.

D. VIII Julii MDCCCXX, DISSERTATIO *de Concursu ad Delictum*, secundum Jus Hodiernum, publice defensa a FERDINANDO D'HOOP, *Gandavensi*, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

D. XII Julii MDCCCXX, DISSERTATIO *de Aetiologia morborum cuique aetati maxime familiarium*, publice defensa a FREDERICO LUDOVICO JOOS, ex *Kieldrecht*, pro Doctoratu Medicinæ.

D. XV Julii MDCCCXX, DISSERTATIO *de Conatu Delicti*, publice defensa a FERDINANDO LE FEVERE, *Gandavensi*, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

D. XXII Julii MDCCCXX, DISSERTATIO *de Hydrocele per effusionem*, defensa privatim a JOH. PETRO LAMBERT, *Caroloregio*, pro Doctoratu Medicinæ.

D. XXIX Julii MDCCCXX, DISSERTATIO *de Juribus Auctorum*, publice defensa a CONSTANTINO FIDELI AMANDO WANNAAR, *Hagae Comitensi*, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

D. II Aug. MDCCCXX, DISSERTATIO *de Animi pathematibus eorumque in corpore effectibus*, publice defensa a ROMANO EUGENIO MAROY, *Aldenardensi*, pro Doctoratu Medicinæ.

D. III Aug. MDCCCXX, DISSERTATIO *de Donationibus conjugibus factis, nocendisque liberis, secundum Jus Hodiernum*, publice defensa a FERDINANDO JOSEPHO LE GRAND, *Montensi*, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

D. IV Aug. MDCCCXX, DISSERTATIO *de Multifaria emeticorum actione, in corpus humanum, praeter emesin*, publice defensa a JOH. PETR. XAV. ALOYSIO KOCH, *Coloniensi*, pro Doctoratu Medicinæ.

D, IX Aug. MDCCCXX, DISSERTATIO *de Litterarum Cambialium Exactore*, publice defensa a JOH. BAPT. MINNE, *Gandensi*, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

D. X Aug. MDCCCXX, DISSERTATIO *de Collationibus*, publice defensa a CAROLO EUGENIO DE BUSSCHERE, *Thoraltensi*, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

D. XI Aug. MDCCCXX, DISSERTATIO *de Vi Legum Belgicarum in territorio alieno*, publice defensa ab HENRICO TACK, *Furnensi*, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

D. XII Aug. MDCCCXX, DISSERTATIO *de Typho nostrate*, publice defensa a JAC. JOH. DE SCHEPPERE, *Gandensi*, pro Doctoratu Medicinæ.



B. F. J. VAN WAMBEKE

ORATIO

DE

LEGISLATIONE UNA, PRO GENIO ET MORIBUS POPULI ORDINANDA.

HABITA GANDÆ

VII. die mensis Februarii anni MDCCCXX.

CUM

IN ACADEMIA GANDAVENSI

ORDINARIAM JURIS HODIERNI PROFESSIONEM AUSPICARETUR.

Academiæ Curatores, viri Nobilissimi!

Bonarum artium et doctrinarum Professores, Clarissimi Collegæ!

Commilitones Suavissimi, Carissimi!

Vos denique omnium ordinum Auditores Humanissimi!

Quot et quam diversis animi commotionibus me hodie affectum sentiam, dum decessoris togâ indutus me coram Vobis sisto, dicere plane nequeo. Partim enim gratiæ optimo Regi referendæ cupiditas, partim inopinatus ad pristinos lares reditus meus, et quæ inde secuta est cum familiâ et amicis vivendi redintegrata dulcedo, mentem meam adeo percellunt, ut, quam grave onus mihi hodie incumbat, non ita sentiam, quam quidem oporteat, neque auribus Vestris satis digna proloqui possim.

Verum, A. H., quamquam hæc ita, ut dixi, sese habeant, nihilo secius tamen video et intelligo, mihi ex augustissimi Regis decreto hodie ad Vos verba facienda esse. Iniquum et injustum foret huic legi obtemperare nolle. Quod quum a moribus meis plane alienum sit, quod potero, faciam. Vobiscum *De legislatione unâ, pro genio et moribus populi, ordinanda*, breviter agam. Sed antequam ad id progrediar, Vos etiam atque etiam rogo, ut animi mei ignoscatis perturbationi, et Vobis ante omnia persuadeatis, me non ut gratiam vel gloriolam aucuparer, sed imprimis ut Academiæ legi satisfacerem,

in hanc concionem prodiisse. Favete igitur conamini huic meo, et, quæ dicturus sum, æquo ac benevolo animo accipite!

Etsi Belgæ, dato præstantissimæ virtutis, interritæ constantiæ, et sancti in patriam amoris specimine, tandem Legionum Romanarum vim repellere non amplius potuerunt, sed armis Julii Cæsaris, ipsiusque successorum, cedere coacti fuerunt; tamen nec libertatis amissio, nec consortium cum victore populo suis emolumentis caruerunt. E fera agrestique vita ad cultum humaniorem et civilem traducti, paulatim Romanis moribus et industriæ assueverunt, incertisque, ac sæpe impune spretis legibus, excellentissimum, et nunquam satis mirandum Romanorum jus, tam publicum, quam privatum, substituerunt et amplexi sunt.

Tanti ponderis beneficio per aliquot sæcula conservato, tandem Belgæ, temporum fato barbararum nationum armis in servitutem redacti, legislationis Romanæ memoriam perdiderunt: pristinæ virtutis, acquisitæ industriæ et fortunæ, ipsiusque adeo libertatis apud ipsos vestigia evanuerunt. Quid multa? Legibus et institutis Romanis successerunt indigestâ Ripuariorum, Salicorum, Burgundionum et aliorum præscripta, nihil nisi de prædæ partitione et de pace publicâ injustissimo modo statuentia. Pro ratione stetit devastatorum voluntas.

Porro, quum omnia incerta essent, solum servitium apud Belgas certum permansit, donec seculis insequentibus, libertate municipiis restitutâ, ad scientiarum et artium liberalium intermissa studia cultioris ingenii viri reduces justitiæ practicen è legislatione Justinianeâ, (cujus Codices recentioribus temporibus reperti,) moribus ac consuetudinibus cujusque civitatis aut pagi rarâ felicitate adaptatâ, restauraverint.

De præcipuis et frequentioribus civilium transactionum negotiis præceptiones et regulæ, à bene meritis viris ita institutæ, tacito senatuûm populorumque consensu sancitæ, et constanti satis approbatæ observantiâ, in singulis Belgii civitatibus et ditionibus dehinc pro jure communi et municipali steterunt.

Quum vero nullâ legali, et ita tenui admodum et debili jus illud polleret auctoritate, et a diversis diverso modo doceretur; civium frequentiâ, mercaturâ et publicâ privatâque fortunâ, in Belgii provinciis incredibiliter amplificatis, Principum, et nominatim Caroli Quinti Augusti, Albertique et Isabellæ curâ et providentiâ, pro diversis civitatibus et pagis collectum, sanctione regiâ munitum, ut vim legum, in diversis juridictionibus observandarum haberet, publice promulgatum fuit.

Ex eo jus publicum et privatum ad certum modum redactum, atque ex diffusâ Consuetudinum copiâ optima quæque ac maxime necessaria cujusque regionis incolis prodita sunt. Jamjam magistratuum et jura et officia explanabantur: personarum status, tutelæ, pacta dotalia, conjugalis communio, formæ et testamentorum effectus stabiliebantur: jura successoria, aliaque omnia, seu quæ ad acquirendum dominium, seu quæ ad conservandum pertinent, paucis enucleabantur: et tandem dubia vel omissa, ex decreto Principum, sanctioni inserto, secundum juris scripti, scilicet Justinianei, præcepta declarabantur resolvenda.

Fateor lubenter, Orn. Aud., juris statutarii diversarum Belgii regionum codices ita conscriptos maximum pro justitiâ distribuendâ commodum attulisse. Effecêre etenim, ut quod antea paucis notum, jam universis innotuerit: ut, quod non nisi per testium turbam et multis dispendiis probaretur, nunc

simplici allegatione scriptæ, et publicatione suffultæ consuetudinis, pro jure staret, et sic in judicando certus quidam ordo rerum paulatim appareret, qui stabilitate saltem, si non uniformitate, dotatus videri posset.

Neminem historiæ patriæ memorem effugiet, in diversis civitatibus provinciarum Belgii, singulisque adeo pagis, jugo barbarorum solutis, et e servitute in libertatem adductis, totidem fere respublicas, supremum toparcham recognoscentes, esse constitutas, quæ non solummodo rem suam legibus et propriis mediis curarent, sed et sæpissime armis contenderent.

Jus consuetudinarium nil igitur nisi statutorum cuique Reipublicæ propriorum fuit compilatio. Hinc patet, jus tale unius non semper alterius regionis juri consonuisse, et non tantum pro diversis diversa, sed etiam discrepantia et statuta contradictoria enunciasse. Innumeris id citationibus mihi haud difficile esset probare: sed ne prolixior vestrâ abutar benevolentiâ, dumtaxat aliqua ex præcipuis Consuetudinibus excerpam: et quidem pro rei momento ea, quæ de successionum et connubii juribus in illis disseruntur.

Sub Gandavensi et aliis passim Flandriæ pagis et territoriis, quæ pacta, post futurarum nuptiarum repromissionem, et ante nuptias, inita erant, stante thoro, per conjuges innovari, prohibitum: Lovanii autem, et Bruxellis, conjugibus, communi assensu talia pacta, non unice per testamentum, sicuti Antverpiæ, sed et per alias quascumque inter vivos conventiones, non immutare, et modificare solum, sed et rumpere concessum.

In urbe Gandavo alter ex conjugibus alteri superstes, non solum dimidiam bonorum mobilium partem obtinebat, sed in adquisitis immobilibus usufructu gaudebat dimidiæ illius partis, quæ prædefuncti conjugis hæredi ex iis obveniret. Bruxel-

lis vero, ut et Lovanii, cuncta mobilia, mobilibusque vi statuti adnumeranda, lucrabatur, eratque prædefuncti hæres, mobiliaris ut dicunt et necessarius, hæreditatis æs alienum, imo ultra vires, soluturus.

Lovanii tamen uxor mariti, si placitum, non maritus uxoris hæreditatem dimittebat. Gandavi, naturali hærede deficiente, uxor, quibus se debitis maritus obstrinxerat, in se non recipere frustrà tentavisset.

Jus repræsentationis in collateralibus, promiscuè in Flandriâ receptum, speciali Lovaniensium statuto omnino proscribebatur.

Sed non necesse, Orn. Aud., ut ex aliarum provinciarum consuetudinariis legibus discrepantiam confirmemus: quæ Flandriæ nostræ propriæ itidem sufficient, ut de illâ nullum supersit dubium.

Gandavi, mulieri sui juris, et matrimonio solutæ bona sua immobilia alienare ad libitum: in Alostano pago id non nisi assumpti Curatoris ope licitum erat.

Ut jam dictum Gandavi, sicut et Aldenardæ, Corteriaci, Alosti, Teneramundæ, vir et uxor, rupto thoro, et e sanguinis hærede desiderato, sibi invicem hæredes erant necessarii. Sub Franco, ut ajebant, Brugensi, uxor nullo in eventu ultra vires tenebatur, seseque ipsa, dummodo bona, quæ moriente marito exstabant, ut communia, sic et propria, creditoribus offerret, ab omni debito liberabat.

Sufficiant hæc exempla. Ex iis, quæ dixi, unicuique constare arbitror, diversa, quæ vigebant pro diversis Belgii regionibus municipalia statuta, sibi sæpè contradictoria, plerumque inter se dissonantia, lites innumeras querelasque inextricabiles produxisse, transactionum et contractuum faci-

litati maximopere obstetisse, et in decisionibus Magistratuum, quibus jurisdicundi munus committebatur, necessarias et ineluctabiles attulisse discordantias.

Ad hoc plurimum contribuêre et vix innumerandus in civitatibus et pagis juris statutarii Codicum numerus, et quæ irrepserant Commentatorum dissertationes super naturâ et effectu, cuilibet propè statuto adscribendis. Hanc quippe si illi admirabili sagacitate sæpius et rarâ eloquentiâ materiam apprehenderunt, non tamen semper uniformem de iis doctrinam ediderunt. Inde plerumque jus dubium et causidicorum opiniones variæ. Neque a vero me decedere putem, affirmando, de unicâ quæstione, an regula, *paterna paternis*, *materna maternis*, in certis Belgii regionibus observanda, et quis istius regulæ in bona immobilia alibi sita effectus, plura scripta extitisse, quam ut decem camelis, si dicto Eunapii uti licet, satis sit virium, ut ea protrahant (1).

Quæ igitur de Germanicâ olim jurisprudentiâ, in tractatu de Literatura Juris cap. 6. § 1. *Homelius*, pari ratione consuetudinario quondam Belgii juri applicanda: confusum scilicet atque informe statutorum chaos non difficilem tantum, sed etiam reddidisse incertam jurisprudentiam, et omnem fori usum: neque ullam esse posse firmam et consentientem doctrinam eorum, quæ ex diversis plane fontibus profluxerint (2).

---

(1) Mémoire sur la nécessité d'un code universel et uniforme, lu à la séance de la 2e classe de l'institut de France, le 27 Germinal an 8.

(2) Idem de quondam Fœderati Belgii jure statutario testatur doct. D. Tydeman, in illust. acad. Leid. antec. — *Verhandeling over de wetenschappelyke beoeffening van het regt in Nederland. Leyden,* 1819. *fol.* 28 *et* 29.

Adde quæ habentur in Sim. van Leeuwen censura for. lib. 4. cap. 23. per tot. item lib. 3. cap. 15, 16, 17 et 18.

Huic legum depravationi, et ex eâ necessariò effluenti malo, ut obviam iretur, una legislatio, unicum remedium. Hæc sæpius in votis virorum solidâ eruditionis famâ illustrium fuit. Hi, publicæ rei commoda, privatis necessitudinibus potiora habentes, omnibus sub eâdem lege politicâ regni constituti incolis, una et jura et officia tribuenda esse arbitrabantur, et negotiis, transactionibus et dispositionibus, secundum communem legem peractis, per totum regni territorium pares effectus adscribendos esse asserebant.

Ast opus hoc, opus vere Herculeum! Et si quindecim ab annis prudentium vota sunt exaudita, si unius legislationis dono fruimur, id eventis numquam renaturis tribuere fas est.

Quidquid sit de causis, quibus hodiernam legislationem debemus, fateamur necesse est, illam, quatenus præsertim de jure civili statuit, in systematis justissimi formam relatam, atque a summi ingenii, acerrimi judicii, et maximæ doctrinæ viris conceptam sic esse et proditam, ut in rarâ brevitate, nihil aptius sit, nihil convenientius; in dignitate rerum, nihil elegantius.

Quot admirabiles, uniformi jurisprudentiâ duce, ex legislatione unâ dotes, quam constantia et quasi inexspectata bono publico profluêre commoda, annorum quindecim experientia docuit: quod si litium numerus, si judiciorum anfractus adhuc aliquoties deplorandi sunt, id debiti exsolvendi ex parte debitorum impotentiæ, creditorum cupidini, forensium procuratorum et causidicorum quorumdam aviditati, adsignandum, ast et præcipuè materiarum aliquot, quæ in codicibus explanantur, minori cum moribus nostris et genio concordiæ, id tribuendum esse, et ratio et experientia adserunt.

Si enim *omne jus aut consensus fecit, aut necessitas constituit, aut firmavit consuetudo* (1): si lex est *communis reipublicæ spon-*

(1) Modest. lib. 1°. reg. l. 40.

sio (1); legislatio una, nisi genio utentium et indoli concordet, populique, si non quidem expresso, at saltem tacito assensu comprobetur, non omne, quod sperare licuisset commodum, afferre potest: nec ignorare fas est, legum opportunitates et medelas, pro temporum ratione, pro rerum publicarum convenientiâ, ac pro utilitatum præsentium consilio mutari quidem et flecti (2), ast, nisi notabilis, evidensque utilitas id suadeat, ab iis, quæ moribus recepta, non temere esse deflectendum.

Ad hæc, Theodosii et Valentiniani *in lege* 8ª *cod. de leg.* admiranda liceat verba invocare: *humanum esse probamus*, inquiunt, *si quid de cætero in publicâ privatâque causâ emerserit necessarium, quod formam generalem, et antiquis legibus non insertam exposcat, id ab omnibus anteà tam proceribus nostri palatii, quam gloriosissimo cœtu vestro, patres conscripti, tractari; et si universis tam judicibus quam vobis placuerit, tunc legem dictari; et sic eam denuo collectis omnibus recenseri; et cum omnes consenserint, tum demum in sacro nostri numinis consistorio recitari; ut universorum consensus nostræ serenitatis auctoritate firmetur....*

Quum igitur de iis, quæ in legislatione hodiernâ de distrahendis minorum immobilibus, quæ de communione conjugali et pactis dotalibus, quæque itidem de hypothecis, ab omnis ævi Belgarum bonâ fide, simplicitate et honestate plura sunt aliena, imo et cuncta, quæ ad practices theoriam spectant, huc usque desiderantur; sponte ego concedam, et concedenti

(1) Papinian. lib. 1°. def. l. 1°

(2) Gellius, noct. attic. lib. 20°. cap. 1°.

inter jurisperitos Belgicos primores annuent, priora non modo immutari, sed et rejici, posteriora suppleri, æquum esse.

Non multum tamen absimilis horto benè ordinato, quo inter mille flosculos elegantiores, pauci aut desiderantur, aut removendos esse ætatis vel climatis ratio consulit, hæc legislationis civilis hodiernæ pars seu neglecta, seu ex Galliæ provinciis, quæ scripti juris imperium agnoverant, emissa, totius, quod exstat, ordini et dispositioni, et certæ cuidam, si licet dicere, harmoniæ non ità nocet, quominus plerisque huc usque proditis legislationibus ut accuratior, sic et perfectior, reputetur.

His omnibus providere, quæ desunt, aut quæ moribus nostris, genioque minus concordant, labor erit haud improbus. Jam (et ad alterum orationis meæ thema adludere libet) quibus pupillorum immobilia distrahuntur formis, formæ simpliciores, nec minus tamen aptæ per legem 12 mensis Julii anno MDCCCXVI substitutæ, et quod ad cætera attinet, WILHELMI I. Augusti, patris patriæ, et Regis benevolentissimi (cujus Deus Optumus Maximus dies servet incolumes) de bono publico curæ et constanti providentiæ sic fidendum esse unanimes V. V. O. O. profitemur, ut de futurâ regni legislatione unâ, omnia felicia et prospera, omnium adplausu recipienda auguremur.

Quæ solemnibus hisce dicenda statueram, Aud. Nobill., Doct., Orn., dixi.

Sed et pauca viri sanctissimæ memoriæ danda esse sentio.

Quem immaturo funere exstinctum lugetis discipuli, et ipse ego inter devinctissimos amicos adnumeravi meos, *Joannem-Baptistam Hellebaut*. Ille vobis primas jurisprudentiæ semitas

ostendit, verbis exemplisque antecessit, et pari facundiâ, ut in foro, sic in Academiâ, Ciceronis oratorem, *virum bonum, dicendi peritum*, sese probavit. Quem sequar habeo, non quem assequar.

Accedit alter luctus. Iniqua nimis et inexorabilis altero vulnere rempublicam nostram perculit mors. Cecidit et ipse, non præviso ictu, Ornatissimus Vir *Judocus vander Haeghen*, hujus urbis, dum res gallicæ stabant, prætor, at nuper dignissimo Curatorum Collegio sexvir adscriptus. Obierunt hic et ille. Nec virtus, nec officia, nec pietas profuerunt. Sed quid ego hæc nequicquam?.... Quin ad melius fatum vocatos, æternùm vivere volens et lubens prædicaverim? At et nobis, pro pietate nostrâ, illorum memoriæ recordari sit licitum, et dum florebit respublica nostra Academica, nominibus *Joannis-Baptistæ Hellebaut* et *Judoci vander Haeghen*, incunabula sua illustrata, lætam sese gratamque monstraturam, jam nunc prædixisse dulce sit et decorum.

DIXI.

PROLUSIO
ACADEMICA,

D. II. OCTOBRIS M. DCCC. XX,

QUUM

PRÆMIA VICTORIBUS QUÆSTIONUM PROPOSITARUM
DISTRIBUENDA ESSENT,

ATQUE

PROXIMI ANNI

RECTOR MAGNIFICUS

EX

LEGIS PRÆSCRIPTO

SOLENNITER INAUGURARI DEBERET,

HABITA

A

GUIL. LEON. MAHNE,

SENATUS ACADEMICI

ACTUARIO.

CIVES ATQUE HOSPITES,

SIVE

NATALIUM SPLENDORE ET MUNERUM DIGNITATE,

SIVE

BONARUM ARTIUM ET DOCTRINARUM SCIENTIA,

SIVE

DISCENDI STUDIO ET ARDORE,

SIVE

ALIIS IN PATRIAM MERITIS

ADMODUM

CONSPICUI ET PRÆSTABILES!

Solent plerique omnes, quibus verba publice facienda sunt, initio orationis suæ dicere, sese anxio ac sollicito animo esse, atque omnino vereri, ut exspectationi auditorum satisfacturi sint. Quod utrum ex re et vero, an tantum dicis causa, sic fieri soleat, equidem nunc nec quæro, nec curo. Illorum enim vestigia premere, aut exempla sequi, hodierno quidem die minime mihi

opus esse videtur. Vos ipsi, A. H., vel me tacente, ultro intelligetis, me indulgentiâ Vestrâ nunc inprimis indigere, modo audiveritis, mihi nil tale cogitanti, et præterea aliis rebus Academicis tractandis valde occupato, pridie sub vesperam modo nunciatum esse, me Prorectoris vices hoc solenni die Academico sustinere debere.

Jam igitur, quum ego unus ex illis sim, quibus ad cogitandum et scribendum otio ac tempore opus sit, atque ob instantem solennitatis celebrandæ diem mihi utrumque omnino defuerit; neminem Vestrûm tam durum et ab humanitatis sensu adeo remotum esse opinor, ut hodie a me Orationem secundum artis præcepta elaboratam exspectet. Quod potero, faciam. Vobis breviter exponam, *quae superiori anno tum adversa, tum prospera, Academiae nostrae evenerunt.* Neque aliud quidquam a Vobis peto, nisi ut linguis animisque faveatis, et nudâ narrandi simplicitate meâ contenti sitis. In hunc enim locum non escendi, ut desiderio meo satisfacerem, sed ut alterius voto obtemperarem, nec ut aliquam gloriam aucuparer, sed ut necessitatis legi obsequerer.

Lex Academica, A. H., me, quamvis invitum, dolorem acerbum renovare jubet, propterea quod mihi necessitatem imponit dilatandi rursus vulnera, quæ tempus coeperat quodammodo obducere et sanare. Initium enim superioris anni Academici morte Cl. Viri, *Joannis Baptistae Hellebautii* nobis admodum triste ac luctuosum fuisse, neminem quemquam Vestrûm in dubium vocaturum esse opinor. Tunc re verâ vidimus, et luculentissimo exemplo edocti sumus, verissime omnino scripsisse Ciceronem: » *O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam, et inanes nostras contentiones! Quae in medio spatio saepe franguntur ac corruunt, aut ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conspicere*

potuerunt." — Vix enim *Hellebautius* Academiæ magisterium in se receperat, quum vehementiore hæmoptysi correptus intra paucas horas occumberet, licet medici arte suâ succurrere laboranti quovis modo studuerant. Quantam jacturam isto inexspectato casu Academia nostra fecerit, et quantam vim illius viri obitus ad animos habuerit nostros, ipsi nostis, nec opus est, ut denuo repetam. Defuncti mortem sancte et religiose luximus. Debitum honorem piis ipsius manibus habuimus. Memoriam defuncti nos semper grato pectore usurpaturos esse promisimus. Eaque omnia jure ac merito fecimus. Quamdiu enim Hellebautius nobiscum vixit, duplicem, quâ indutus erat, personam, alteram professoris, civis alteram, semper ita sustinuit, semper tam prudenter egit, ut neutra alteri officeret, verum ambæ amice conspirarent. Sed quum hæc omnia Clar. Collega noster, Rev. *Schrantius*, copiose, et cum magnâ eloquentiæ vi, nobis ex hoc ipso loco exposuerit, atque præterea multis Vestrûm aliunde satis superque notum sit, quanta optimi *Hellebautii* integritas per omnem vitam fuerit; nolite mirari, A. H., cur is, qui nobis omnibus semper in deliciis fuerit, etiamnum nobis omnibus desiderio sit.

Ad hoc autem malum aliæ deinceps accesserunt calamitates. Nam paucis post mortem Hellebautii mensibus Academiæ Nobilissimus Curator, *Van der Haeghen Van der Cruysse*, diem supremum subito obiit. Hic optimæ notæ vir huic nostræ Literarum palæstræ ex animo favebat: ipsius saluti, quantum maxime poterat, studere et consulere cupiebat: quavis datâ occasione non verbis, sed factis ostendebat, nihil sibi magis cordi esse, quam Professorum pariter atque studiosorum juvenum commodis inservire, et ad communem Academiæ utilitatem aliquid conferre posse. Nec mirum. Sciunt enim ad unum omnes, qui hunc virum

propius norunt, ipsum summâ curâ et sollicitudine, summâque fide et diligentiâ partes in republicâ administrandâ sibi commissas semper peregisse. Ut igitur tam bonum, probum et de multis bene meritum virum gratâ memoriâ prosequi mihi æquum et justum omnino videatur!

Porro amisimus morte luctuosâ et miserabili *Petrum Rooze*, hypobibliothecarium, hominem sedulum et munere suo fideliter fungentem: quique Bibliothecæ libros, ut digitos suos, norat, et idcirco, uti antea aliis, sic hoc tempore nobis magnæ utilitati esse potuisset. Sed aliter visum Superis. Sit itaque ipsi terra levis, et aliis pariter atque mihi viri memoria grata ac jucunda semper accidat!

Denique, in flore juventutis nobis hoc anno tres optimæ spei juvenes erepti sunt, *Jacobus Schumann*, Luxemburgensis, *Ludovicus Libbrecht*, Ingelmunsterianus, et *Franciscus Carolus Rosselt*, Gandavensis. Qui juvenes, quanto ornamento Academiæ nostræ fuerint, optime norunt illi Professores, quorum disciplinâ ab initio scholarum nostrarum usi sunt. Quid igitur de illis dicam? Speremus, ipsorum animas vinculis solutas corporis ad cœlestes animas evolasse! Optemus, ipsorum quoque in parte verum esse illud veteris poëtæ dictum, *Quem diligunt Dii, adolescens moritur!*

At quid tandem de isto incommodo Vobis dicam, A. H., quod non tam passi sumus, quam quo quidem adhuc laboramus? Uti omnium illarum rerum, quæ casu et fortuito fieri vulgo dicuntur, moderamen ac gubernatio magnam partem a fortunæ ludibrio et temeritate pendent, ita quoque sanitatis conservationem in nostrâ potestate non penitus positam esse, certissimo exemplo nobis constat. — Dixerit fortasse quis, Quid hoc sibi vult? Quorsum

spectant hæc verba tua? Quale illud est incommodum, cujus te mentionem facere audimus? Oculos igitur Vestros, H. A., in illam sellam vacuam convertite! Nonne frustra *Prorectorem* quæritis atque desideratis? Vestro humanitatis sensui diffidam, Vestram naturæ bonitatem lædam, si de eo vel minimum dubium movere velim. Quid vero illud sit, quod Prorectori nostro acciderit, nemini Vestrûm ignotúm esse potest, cui Academia nostra cordi sit. Lento ac corporis viribus inimico morbo laborans hodie sese cum maxime impeditum sentit, quominus, quod sibi facere firmiter proposuerat, Orationem, quam in lecto suo meditatus est, atque per intervalla conscripsit, recitare, suasque ipse partes agere queat. Quantum inde dolorem ille percipiat, quivis Vestrûm, cui viri ardor notus est, opinor, sua sponte intelligit. Et quantam inde jacturam hodie ad vos pervenerit, nemo me magis sentit ac perspicit. Oremus itaque Deum O. M., ut Clar. Collega noster cum læsâ valetudine quanto ocyus in gratiam redeat, et intra breve tempus lectiones suas rursus instaurare, atque sic juventutis Academicæ commodis denuo inservire queat!

Atque hæc de rebus adversis. Oculos nunc jam convertamus in alteram partem, et videamus, quibus rebus prosperis hæc adversa quodammodo compensata sint.

Duplicis generis bona, partim interna, partim externa, nobis obtigerunt. In bonorum externorum refero censum illos *octies mille et quadringentos florenos*, qui nobis ab augustissimo Rege in usum Academiæ concessi sunt. Voluit Pater patriæ Optimus, ut illâ pecuniâ expendendâ supellex librorum Academicorum augeretur, Nosocomium et Theatrum Anatomicum necessariis rebus instrueretur, Hortus Botanicus sua incrementa acciperet, Physicis

instrumentis nova adderentur, apparatus Chymicus locupletaretur, Museum Zoölogicum et Mineralogicum suppleretur, atque in universum aliæ res necessariæ et utiles acquirerentur. Quod partim jam factum est, partim adhuc fiet.

Porro huc cumuli instar accessit melioris notæ telescopium, quod, quum in hac ipsa curiâ nuper omnium oculis expositum fuerit, atque omnium mechanicæ artis peritorum admirationem pulchritudine et pretio suo moverit, mox carissimi Regis plane regiâ liberalitate ac munificentiâ Academiæ nostræ dono datum est, et nuperrime, quo tempore ingens illa solis defectio conspicua erat, in observationibus faciendis Clarissimo Collegæ nostro, doctissimo *Hauffio*, magnæ voluptati et utilitati fuit.

Ad interna, quæ nobis obtigerunt, bona primum refero, quod ab augustissimo Rege in locum defunctorum Professorum, Hellebautii et Munchenii, duo alii nominati sunt. Quorum alter, *Bernardus Franciscus Josephus van Wambeke*, Vir Clar., ordinarii Professoris munus jam suscepit, et aliquot abhinc mensibus illud habitâ Oratione inaugurali auspicatus est: alter vero *Georgius Guillielmus Rassmann*, Vir Clar., extraordinarii Professoris provinciam nunc suscipiet, ac prope diem, uti speramus, Orationem suam aditialem habebit. Atque quemadmodum antea jam privatim binis illis ingenii et doctrinæ famâ claris viris de professorio munere suo gratulati sumus, sic ipsis nunc iterum publice gratulamur, sperantes et optantes, ut ex utriusque institutione ac disciplinâ juventus Academica saluberrimos fructus perceptura sit.

Alterum bonum internum, quod nobis superiori anno contigit, et quod equidem Academiæ inprimis honorificum duco, ad ipsos cives Academicos spectat. Horum longe maxima pars in addiscendis

bonis artibus et doctrinis laudabiliter versata est, Professorumque votis exspectationique satisfecit, nec quisquam eorum, quantum scimus, justam de se querendi occasionem ac causam alteri dedit. Non modo summa concordia et fraternus fere amor inter commilitones exstitit, verum etiam cum reliquis civibus studiosi juvenes nostri tam amice versati sunt, ut cives studiosorum humanitatem laudaverint, studiosi civium urbanitatem prædicaverint.

Utinam igitur idem bonum nobis hoc quoque anno contingat! Utinam veterani hoc item anno tironibus exemplo et factis ostendant, quam pulchrum, honestum et salutiferum sit legibus Academicis obedire! Utinam tirones veteranorum exempla sequantur, et utrique sibi firmiter persuadeant, nihil magis e re literatæ juventutis esse, quam in id incumbere, ut ne eodem tumulo, quo ossa ipsorum aliquando tegantur, simul etiam ipsorum vitæ memoria obruatur! Neque profecto cuiquam alteri magis opportuna occasio oblata est, ut memoriam sui ab interitu servet, quam quidem bonarum artium ac doctrinarum studioso. Quicunque enim illis artibus et doctrinis operam navat, earumque fines proferre studet, maximam civitatibus utilitatem affert, et ideo quoque sui nominis perennitati consulit. Non modo Historia, illa testis temporum et lux veritatis hoc nos abunde docet, verum etiam sana mens et ratio idem nos credere jubent. Nonne, ut hoc exemplo utar, publica civitatis salus singulorum civium salute nititur? Nonne eo uberiores in Rempublicam fructus manare ac redundare solent, quo major singulorum civium felicitas est? At hæc ipsa civium communionis prosperitas potissimum a pietatis, fortitudinis, prudentiæ et justitiæ studio atque cultura pendet, siquidem harum virtutum adeptione summum bonum et vita beata contineri merito censetur. Et quum hoc ita

sit, quis est qui negare ausit, harum virtutum semina inprimis Literarum monumentis prodita esse? Nonne porro ex Historia scimus, illas civitates præ cæteris felices fuisse, in quibus Literarum studia maxime floruerint? Ruit Ægyptus, ruit Asia minor, ruerunt aliæ terræ paulatim in summam barbariem, quæ olim viris ingenio et eruditione præstantibus cum maxime florebant. Græcia erat antiquitus omnium fere artium et doctrinarum alma mater et altrix, quæ hodie fere in obscuritate jacet, atque ex quâ sub duro et inhumano Turcarum imperio omnes doctrinæ quasi exsularunt. Athenæ erant veluti schola, quæ excellentissimos in omni doctrinarum genere viros, cultissimos poëtas, eloquentissimos oratores, eruditissimos philosophos, nobilissimos belli duces, prudentissimos legislatores, sagacissimos rerum publicarum gubernatores proferrent. At quænam est hodieque illius quondam tam inclytæ urbis conditio? Ne umbram quidem pristini splendoris amplius habere omnino censenda est. Quid porro de Romanis, illis quondam terrarum dominis, dicam? Nonne præcipue ab eo inde tempore, quo doctrinarum studium, Græciâ captâ, Romæ coli cœpit, Respublica Romana floruit, et imperii fines dilatavit? Nonne contra vero, quum illæ artes et doctrinæ rursus negligerentur, et Italia barbararum gentium incursionibus Literarum lumine magis magisque orbaretur, illa terra in Cimmerias barbariei tenebras delapsa est? Nonne ille togatus populus in istis tenebris tamdiu latuit, donec artes ingenuæ, Constantinopoli a Turcis captâ, in Italiam rursus refugerent?

Atque quum hæc, A. H., certissimâ historicorum veterum fide nitantur, nec a quoquam sanæ mentis compote serio in dubium vocari queant, quivis, opinor, sua sponte intelligit, illum, qui Literis et bonis artibus studeat, sibi ejusmodi

vitæ præsidia parare, quibus patriæ maximo ornamento et emolumento esse possit. — Hoc autem inprimis facere censendi sunt illi juvenes, qui in Academiarum scholis suas partes laudabiliter agunt, aut ad propositas quæstiones respondent, ac scriptis commentationibus suis ostendunt, sese sibi honesto studio viam aperire velle ad Musarum sacra, ut illis initiati aliquando hominum generi prodesse possint.

Age igitur, A. H., accedamus ad alteram hujus solennitatis partem, ad judiciorum Academicorum recensionem, et præmiorum distributionem, sive, ut aliis verbis dicam, videamus deinceps, quid singuli Professorum ordines de acceptis Commentationibus ad propositas quæstiones statuerint.

Facultatis Juridicæ judicium, quod secundum Seriem Lectionum primo recitandum, his verbis conscriptum, mihique redditum est: » *Ad quaestionem, ab Ordine Juridico propositam, tradita est unica Commentatio, indicata hoc lemmate:* La loi est la raison humaine en tant qu'elle gouverne les peuples. (Montesq. Esprit des lois.) *Haec dissertatio ita propositae quaestioni satisfacere visa est ob insignem, quam prodit, inquirendi perseverantiam; cum pari conjunctam judicandi subtilitatem, ut, licet majorem forte stili perspicuitatem et simplicitatem desiderasset Facultas, non dubitaverit tamen huic praemium assignare. Patuit autem, apertâ schedulâ, auctorem esse* Constantinum Fidelem Amandum Wannaar, *Hagaecomitanum, qui in examine, per legem praescripto abunde se scriptorem hujus dissertationis probavit.*"

En igitur, Ornatissime Vir juvenis! hocce honoris insigne, quo magistri nuper tui te dignum judicarunt. Fac, quæso, ut hujus diei ac solennitatis sæpius memineris: fac sæpius recorderis „quid Academiæ, quidque augustissimi Regis munificentiæ debeas: ne-

que unquam omnino obliviscaris illud Veterum, *Fingunt unicuique mores fortunam!* Quod enim ubi assidue tecum reputaveris, certo certius est, te præclaras illas ingenii dotes, quibus largiter a naturâ ornatus es, non nisi ad tui ipsius et aliorum veram utilitatem adhibiturum, et ex bene agendi studio saluberrimos fructus percepturum esse!

Quod porro ad Philosophiæ Theoreticæ et Literarum Professores spectat, his ad priorem quæstionem, *De puerorum educatione et institutione apud Romanos*, Commentationes *quatuor* redditæ sunt, e quibus duæ præ ceteris dignæ visæ sunt, quarum ratio haberetur. Victoriæ præmium abstulit *Benedictus van den Velden*, Rheno-Trajectinæ Academiæ alumnus, siquidem alterius Scriptionis auctor potius latere, quam nomen suum profiteri maluit. Quodsi enim is, cujus Commentationi hæc tessera erat præfixa, *Per angusta ad augusta*, nomen suum edidisset, nec in epilogo significasset, nomen suum non repertum iri in schedula; sine dubio victoriam commilitoni dubiam fecisset. Omnino enim fatendum est, illum bonum et modestum juvenem, quisquis demum sit, omni ex parte Legis Academicæ §° 145 satisfecisse, atque ostendisse, se maximo cum fructu scholis nostris interfuisse.

Jam igitur, quum hæc ita sese habeant, equidem te, Ornatissime *Benedicte van den Velden*, nomine Ordinis nostri victorem cito atque proclamo! Probe nosti, optime adolescens, unum ex eruditissimis Professoribus nostris verissime scripsisse, » Si liberalem ingenii oblectationem quæras, nihil Literarum Humaniorum studio suavius et jucundius; si dignitatis rationem habeas, nihil præclarius et magis illustre; si immortalem nominis famam respicias, nihil certius atque firmius; si denique utilita-

tem publicam spectes, nihil magis frugiferum et utilius reperiri posse." Patria porro nostra semper ab exteris nationibus eruditorum virorum alma mater et altrix, virtutis sedes, et divinæ pariter atque humanæ sapientiæ seminarium habita est. Præterea majores nostri nobis egregia gloriæ et laudis pignora reliquerunt. Hæc prodere, nec tueri posse, nonne turpissimum foret? Quocirca te, optime juvenis! oro et obtestor, ut majorum nostrorum vestigia premere pergas, nec unquam obliviscaris, te ex illa gente ortum, te ex illis majoribus procreatum esse, qui nihil præter virtutem et eruditionem sibi dulce ac decorum putaverint, quique ab antiquissimis inde temporibus constantiâ, fide et gravitate floruerint atque eminuerint. Faveat Deus O. M. in posterum quoque tuis Literarum studiis, teque felicissimo eruditionis atque virtutum proventu beet, ut finito spatio Academico parentibus, cognatis, affinibus, magistris et amicis voluptati, patriæque ornamento esse possis, et sic aliquando omnium bonorum exspectationi ac voto satisfacias!

Tertium præmium (nam ad propositam a Medicis quæstionem nemo respondit) Ordo Mathematicorum et Physicorum assignavit *Jano van der Hoeven*, Academiæ Lugduno-Batavæ civi, qui, similiter atque bini superiores nominati victores, in examine habito sese Commentationis Zoölogicæ auctorem esse ostendit.

Te igitur nunc jam alloquor, ornatissime *Jane van der Hoeven*, tibique lubens meritoque luculentissimum studii tui præmium offero. Perge, carissime adolescens, eadem alacritate illud iter persequi, quod laudabiliter ingressus es, et fac, quum Academiæ aliquando valedicturus sis, ut illam artis Medicæ scientiam tibi comparaveris, per quam humano generi auxilio et emolumento esse queas!

Rerum ordo nunc postulat, ut ad Te, venerandæ *Schranti*, me convertam. Ab augustissimo Rege nostro, eodemque Academiæ nostræ fundatore, ad honorem magisterii Academici vocatus es. Quod igitur bonum, felix, faustum, fortunatum et salutare cum Tibi sit, Amicissime Collega, tum Academiæ nostræ, id nobis eventurum ex animi sententia spero. Equidem Te, Prorectoris et Senatûs Academici nomine, Rectorem Magnificum saluto, et illâ, quâ par est, sinceritate opto, ut omnia Tibi bona ex perenni Numinis Divini benevolentiæ fonte eveniant, et sub Tuis auspiciis hoc proximo anno Academia nostra magis etiam floreat vigeatque!

Finitis illis, quæ ex Academicæ Legis præscripto nobis hodie agenda erant, nihil aliud huic solennitati amplius deësse mihi videtur, nisi ut Vobis, Auditores omnium ordinum exoptatissimi! gratias debitas agam pro Vestro erga Academiam nostram favoris et benevolentiæ documento, quod hodie rursus nobis dedistis, et Vos consuetâ oratorum formulâ dimittam,

DIXI.

CONSTANT.-FIDELIS-AMANDI WANNAAR,

HAGÆ-COMITANI,

RESPONSIO

AD QUÆSTIONEM, AB ORDINE JURIDICO

ANNO M. D. CCC. XIX PROPOSITAM:

„ *Quæritur Capitis* de Divortiis et Repudiis *accurata expli-*
„ *catio, e qua appareat, quid principes orbis terrarum populi et*
„ *olim de hac materia statuerint, et hodie statuant, ac num quid*
„ *adhuc statuendum supersit.*"

QUÆ PRÆMIUM REPORTAVIT A. D. II. OCTOBRIS M. D. CCC. XX.

» *La liberté de se quitter par le Divorce a de fâcheuses suites : on s'engage plus légèrement, on se contraint moins l'un pour l'autre; et la multitude des mariages peut aller à tel excès, que ce n'est plus qu'une débauche palliée...... Les enfans en souffrent aussi beaucoup, ils demeurent orphelins du vivant de leur père et de leur mère; et il est bien difficile qu'ils ne soient odieux à l'un des deux, et qu'ils ne prennent le parti de l'un ou de l'autre."*

(Mœurs des Israélites, par l'abbé Fleury, chap. 14.)

PROLEGOMENA.

§ I. — *Si vanâ gloriâ ductus, in illustranda de Divortiis et Repudiis materia, mihi persuasum habere possem, me omnibus in dictis esse omnibus placiturum, non procul a summa arrogantia et insania quidem abessem. Homines enim rarissime consentientes, atque diversissimis desideriis vitam ducentes, dissonas circa nostram materiam opiniones amplexi sunt. Quaesitum est, ac quotidie quaeritur, an Divortium communi bono faveat, nec ne? Immensa scriptorum congeries in utramque sententiam variis regionibus a medio inde saeculo, et olim initio saeculi decimi sexti, tempore* reformationis, *apparuit. Dum mea autem scribo, omnes in commentatione intendere conatus exopto, ne quis a me jure merito dissentiat. Cuncta ita disponere elaborabo, ut ex praemissis conclusiones innumerae fluant. Non alia itaque mihi mens, non alius praeest scopus, quam ut ad utiles cogitationes convertam lectorem. Si doctiores systema meum adprobant, mihi gratulabor; sin minus, saltem sibi persuasuri sint, veritatem et salutem hominum in ardua illa semita praesenti disquisitioni praefuisse.*

Expositis apud diversos orbis terrarum populos de Divortiis ac Repudiis principiis, legibus atque consuetudinibus, inquirendum erit quid in Regno Belgico, quum nova legislatio expectatur, melius statueretur: laudabilis sane inquisitio, nostrisque viribus nimis gravis; fructuosa quoque, quoniam leges ad matrimonium spectantes,

praecipuae sunt e legibus civilibus, et fundamentum quidem societatis bene conditae (1); *atque familiarum felicitatem et publica commoda disperdunt vel augent, in quantum sanae rationi et communi utilitati consonant. Minus probabile ideo rejiciens propositum, firmiorem sententiam argumentis celeberrimorum authorum, atque ex historia allatis exemplis corroboratam amplectar.*

Jam ad rem ipsam, quam pertractandam assumpsi, me converto, hanc servaturus methodum, ut prius perpensis scribendae commentationis rationibus, primas Matrimonii *et* Divortii *notiones tradam, varias apud varios populos leges de Divortio Repudiove, vel saltem ipsorum exponam consuetudines; et tandem earumdem legum effectus ob oculos subjiciam. Hocce modo probare intendo, quaenam hodie civibus divertendi leges valent, ut tutius ac felicius vitam agant, quantumcumque humanae res unquam perfectionem consequentur.*

§ II. — *Jamjam patria nostra non bello flagrat; terror et dissidia solio deturbata jacent; Pax et Amicitiae munera solamen praebent; cives propria mala cum omnium felicitate, et reipublicae gloria commutant. Ad dulciora studia, ad litteras atque artes nunc animos convertere licet. In magno rerum tumultu circa finem posterioris saeculi, tristissimâ ruinâ et fragore repentino res paucae inter alias solae obtinuerunt animadversionem: quum barbaries et insania artium specimina contriverunt, justitiae sacerdotes expellebantur; probi viri tanquam sceleratissimi, in foro interfecti, aut in carceribus detrusi fuere: in tam luctuoso rerum statu, vix aliqui antiquarum legum amissionem perspexerunt* (2); *unde tantus sopor? Quum Romani exteras nationes in suam redegerunt potestatem, ipsis Majorum religionem et leges concesserunt: nulla erat revera benignitas, sed prudentia; alioquin victi populi nova aliquando arma, novas vires acquirunt, quibus cultum simul et mores de-*

---

(1) *Plato*, dialog. de leg. lib. 4. — *Montesquieu*, esprit des lois, liv. 26, art. 11.

(2) De quibusdam bonis legibus loquimur; nam plurimæ merito contemptu dignæ, penitus et in perpetuum abrogatæ sunt.

fendunt. Societas aut externo exercitu, aut civili bello diruitur; at post exitium, amor patriae et antiqua fortitudo reviviscere, vel potius remanere videntur; sicque codex legum, aeternum Romanorum sapientiae aequitatisque monumentum, principes atque subditos rexit, quum ipsi solum in historiâ vivebant; ita ut victrices leges supersint, quanquam cives viribus easdem tueri nequeunt.

§ III. — *Antiquae forsitan leges Belgarum, qui continuo aequitatem et bonam fidem coluerunt, reviviscere poterunt: sed illae tantum, quae libertatem stabiliunt; iniquitates etenim et saevitiam priorum temporum spernentes, e magna in Europa conflagratione, bona quaedam, sed sola bona, servare exoptamus.*

Inter diversas dispositiones, haud dubie illae, quae familias componunt, majorem praebent occasionem, utiles exhibendi regulas; nullae magis ad personarum felicitatem spectant, nullae melius sanciunt principia, quae morum firmant disciplinam. Codex civilis enim duabus partibus componitur: quarum una *agitur de contractibus; eorum principia, quae naturam, et formas, et effectus dilucidant, aeterna valebunt; a temporum circumstantiis aliena manent, ac non immerito jus commune omnium gentium nuncupantur*: altera *vero statum personarum ordinat; quâ occasione curiae Rhotomagi verba adferre malumus* (3): » L'autre partie des lois civiles, forme » la législation *particulière et positive* de chaque peuple; elle règle » les droits des pères et des enfans; ceux des époux, le ma» riage, *le divorce*, les successions, les testaments; elle tient » essentiellement à l'ordre public, il n'y peut être dérogé par » des usages locaux, ni par des conventions privées: *la stabilité » des mariages*, l'autorité paternelle, les droits de famille, sont » donc les bases de l'ordre social, établies par les lois civiles."

Initio quoque hujusce saeculi (tempore confectionis codicis civilis), leges familiae maxime desiderabantur; illarum fundamenta tanto facilius statuenda erant, quanto latius a rebus politicis absunt; de

---

(3) Observ. du tribunal de Rouen sur le projet du code civil.

iisdem etiam homines saepe conveniunt, quia pauciores libidines et corruptelam propugnare audent; e contra rerum politicarum certamina animi motus saepius concitant; majores inde difficultates oriuntur, quominus omnibus placeant leges politicae, atque unanimi consensu recipiantur.

§ IV. — *Praecipua lex familiae certe procedit, quae matrimonii constituit jura; quorum mutationis causam quaerentes, magnum nuptiarum indissolubilitatis momentum animadvertimus; eaedem consequentiae e legislatione matrimonii exoriri videntur in patria nostra, ac olim Romae e principiis patriae potestatis; nam veluti haec posterior apud Romanos diuturnitatem familiarum tuebatur; non aliter indissolubilia conjugum vincula in Belgio incolumes servarunt mores. Historiâ adhuc comprobatur, quantum duo illa jura bene ordinata in omni tempore, repulsâ corruptelâ, civibus praebuerunt concordiam! Quam sancta in Belgio nostro fuêre matrimonia, quam beatam effecerunt societatem privatam, in capitibus de jure Germanorum, et jure* antiquo *Belgarum, quoad Divortia, latius exponemus* (4).

§ V. — *Quoniam Divortium magnopere reipublicae faciem mutare potest, ex omnibus ante dictis patet, non inutile nec vanum inquirere, quid sit Divortium; an e jure naturae et sana ratione concedatur; quae leges hac de re olim exstiterint; quae regulae hodie rectius obventurae sint.*

§ VI. — *Ordo naturalis jubet, ut primum enucleemus jura populorum, qui velut antiquiores noscuntur, quorum vera historia propius ipsorum originem et* socialem, *ut ita dicam,* structuram *aut compositionem collocatur, et in scriptis redacta invenitur: Judaei certe primi procedunt; alii principes orbis populi, Graeci et Romani, etc. sequuntur. Multa post saecula Imperii Romani moles tandem frangitur et atteritur; barbaries mentes in iisdem regionibus*

(4) Vide capita V et VII hujus commentationis.

obtundit, in quibus tamdiu scientiae nec non artes praefulserant; et si Christiana tandem praecepta passim non veram praebuissent sapientiam, nepotes nunquam Majores *superare potuissent. Germanorum autem Gallorumque mores investigandos credimus, antequam Christi doctrinam in tota fere Europa vigentem explanamus. Praevalet tunc patriae nostrae legislatio; duobus hic capitibus divisionem instituere placet; in* primo *de jure antiquo Belgarum, in* altero *de hodierno dicendum erit. Superest quaedam apud ignotos populos praevalentia matrimonii jura enarrare; tandem diversarum legum effectus, germanaeque materiei regulae detegantur oportet, ut tuti et certiores facti non inconsulte futurae legislationis systema explanemus, quâ perquisitione apparebit, primum legumconditorum esse munus, probos atque incorruptos efficere cives.*

CAPUT PRIMUM.

NATURA MATRIMONII ATQUE DIVORTII ET REPUDII.

§ I. — MInime inquirere volumus, qualiscumque extiterit hominum status ante conditam societatem, quo tempore, quoque modo constituta sit societas *primaeva;* tantummodo pro certo habetur, ex conservationis et tranquillitatis desiderio omnia mediate effluxisse. Haudquaquam *mere naturalem* primorum temporum statum effingere licet: non adeo veræ hominum naturæ oblivisci audemus, existimantes, nos omnes natos fuisse, ut sejuncti horridam incolamus solitudinem; communitatemque mortalium indoli infestam esse. Quare enim sanam rationem et sermonem Numen concessisset, si cum nobismetipsis communicare non obligamur? Quare cæteris animalibus adeo superiores sumus? Quâ ratione cordibus nostris liberam voluntatem Providentia infudit? Quo aliter tenderet pietas? Quid adjuvaret beneficentia? Quid amor? (1)

§ II. — Non difficile vero visu est, quo naturali fundamento nitatur societas. Homo sese tueri cupiens, at viribus necessariis orbatus, attamen superbiens, existere longius non posset, nisi *sociabilis* eveniat, ut omnes sese invicem adjuvent, et quivis propinquum diligat, et nemini noceat (2).

(1) Confer. *Gaëtano Filangieri*, science de la législation, liv. 1, chap. 1. — *Grotius*, de jure belli ac pacis, lib. 1, cap. 4, § 7. — *Puffendorf*, jus nat. et gent. (trad. de *Barbeyrac*) liv. 7, ch. 1, § 7. *Cicero*, de off. lib. 2, cap. 12. — *D'Aguesseau*, instit. au droit public, 2e part. § 4. — Caractères de *La Bruyère*, ch. 10, du souverain et de la république.

(2) [illegible] de leg. lib. 1. cap. 10. — *Seneca* de beneficiis, lib. 4, cap. 18.

§ III. — Quoniam autem societas dividitur in *domesticam* ac *publicam*, diversa media intendere tenentur homines, ut legitimâ ratione ipsius scopum attingant; aut potius iisdem mediis duos totius communitatis fines implere valent, nempe *regenerare* atque *tueri* alios : quod quidem consequuntur *nuptiis*, et *educatione* vel *institutione liberorum*. Inde quoque sequitur, statum domesticum necessarie institutum esse, ut homo hominem conservet, statum vero publicum aut politicum, ut augeat familias, simul ac rempublicam.

Quum nuptiæ itaque præcipuum societatis sint fundamentum, omnesque cives eam tueri teneantur, cunctis quodammodo justas ineundi nuptias munus imponitur; optimi auctores idem docuerunt : » Cum autem, ait *Cicero*, ad *tuendos conservandosque* » homines, hominem natum esse videamus : consentaneum est » huic naturæ, ut sapiens velit gerere et administrare rempu- » blicam; atque ut e natura vivat, uxorem adjungere, et velle » ex ea liberos" (3). Leges autem sanciendæ sunt, quibus cupidines comprimantur, quæque quasi determinatas civibus offerant regulas, ut æquitatem colentes, tutius munera privata ac publica impleant; obveniunt itaque leges *domesticae* seu *privatae*, atque *publicae*. Inter primas certe matrimonii leges præcipuum obtinent locum, nam nuptiæ, quanquam profluunt e jure naturali, et non solum procreationem, at educationem conservationemque liberorum intendunt, in omni regno legibus positivis ordinatæ fuerunt; et quotidie cum dignitate hominis etiam conjungantur oportet.

§ IV. — Antequam jus positivum exponamus, naturam et veluti sanctitatem matrimonii inspicere non inutile erit. Matrimonium haud dubie jure naturali institutum est : jurisperiti Romani id quidem legibus expressere (4). Conjugum enim voluntate et consensu, non concupiscentiâ nituntur nuptiæ ; duo

(3) *Cic.* de finib. bon. et mal., lib. 3, cap. 20.
(4) Lib. 1, tit. 2, inst. in princ. — L. 1, § 3, ff. de justitia et jure.

ibi personæ æterne junguntur, ut vitam recte degant, sese invicem sustineant, nec aliter societatem, quæ e rerum natura profluit, consolident (5). Legislatores Romani idem principium agnoverunt, inter quos *Ulpianus:* » Nuptias, *inquit*, non concu» bitus, sed consensus facit" (6). Adeo veteres scriptores eâ imbuti erant veritate, ut nuptias ubique cum amicitia comparaverint. Sive enim spectes leges utriusque, sive effectus, in his nihil est quod in magno ponas discrimine; præterquam quod in matrimonio maris ac feminæ, in amicitia virorum aut feminarum, aut sexûs utriusque consensus est: illa animos miscet, hoc etiám corpora, non solum mentes. Matrimonium a *Modestino* in l. 1. ff. de ritu nupt. definitur: » Conjunctio maris » ac feminæ, consortium omnis vitæ, divini et humani juris » communicatio." Amicitia apud *Ciceronem* (7) ita describitur: » Omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia » et caritate summa consensio." Et alibi, in eodem opere: » Omnium rerum, consiliorum, voluntatum sine ulla exceptione » communitas." *Seneca* in epistola 48: » Consortium rerum om» nium inter nos fecit amicitia." Quæ cuncta matrimonii definitioni consonant (8).

§ V. — Non sola procreatio, sed conservatio potius matrimonii scopus dicitur; tota etenim societas, non liberis natis, in medio autem familiæ institutis, perpetuatur. Si liberi parentes non agnoscerent, difficilius quam bruta vitam agerent, aut rectius, nequaquam conservarentur. » *L'obligation naturelle*, ait Mon» tesquieu (9), *qu'a le père de nourrir ses enfans, a fait établir* » *le mariage qui déclare celui qui doit remplir cette obligation.* — » *Cette obligation chez les animaux est telle que la mère peut or-*

(5) Vide S. Augustinum, de nupt. et concup. lib. 1, cap. 11.
(6) L. 30, ff. de diversis reg. juris.
(7) *Cic.* in Lælio, sive de amicitia, cap. 6.
(8) Confer: *Noodt*, probabilia juris civilis, lib. 2. cap. 9.
(9) Esprit des lois, liv. 23, chap. 2. — *Puffendorf*, jus nat. et gent., lib. 6, cap. 1, § 2.

» *dinairement y suffire : elle a beaucoup plus d'étendue chez les* » *hommes ; leurs enfans ont de la raison, mais elle ne leur vient* » *que par degrés ; il ne suffit pas de les* nourrir, *il faut encore* » *les* conduire; *déjà ils pourraient vivre, et ils ne peuvent pas se* » *gouverner. Les conjonctions illicites contribuent peu à la propa-* » *gation de l'espèce : le père qui a l'obligation naturelle de nourrir* » *et d'élever les enfans, n'y est point alors fixé ; et la mère, à* » *qui l'obligation reste, trouve mille obstacles par la honte, les* » *remords, la gêne de son sexe, la rigueur des lois ; la plupart* » *du tems elle manque de moyens.*" Auctores omnes eamdem doctrinam amplexi sunt; pauci aliquando nuptiarum finem longe a rerum humanarum natura remotum invenire voluerunt; inter quos *Condorcet* rem fere implicavit; D[us] *Bonald*, quanquam in erroribus sæpe versatur, philosophum in illo puncto correxit (10). Etiam *Proudhon* hac de re dixit (11) : » *Institué par la nature pour la* » *propagation du genre humain, le mariage est le fondement de la* » *société et appartient au droit naturel.*" Non aliter sentiunt hodierni legislatores (art. 203, 212 c. c.); nam, quoniam jubent ut conjuges sese invicem tueantur, et liberos edoceant, propagationem generis humani stabilire, et consolidationem nostræ communitatis spondere conati sunt (12).

§ VI. — Ex germanis illis principiis optima fluit conjugii definitio, quæ legitur in tit. 9, inst. lib. 1 : » Nuptiæ, sive matri- » monium est viri et mulieris *justa* conjunctio, individuam vitæ » consuetudinem continens." Omnia verba ponderanda veniunt: *conjunctio* appellatur, nam consensu conficitur, si mutua enim voluntas abesset, nulla vera conjunctio vocari posset (13); » sic- » que maritum lugere debet uxor, *licet nondum concubuerint*" (14). *Consuetudinem vitae continens*, id est omnium jurium, commodo-

---

(10) Du divorce considéré au XIX[e] siècle, chap. 6.

(11) Cours de droit français, chap. 22, sect. 1. — V. *Toullier*, droit civil, tit 5 du liv. 1. (tom. 1, § 488, 489, 490.)

(12) Du divorce considéré au XIX[e] siècle, résumé, sect. 2, (par M. *Bonald*.)

(13) L. 30. ff. de reg. juris.

(14) L. 6. ff. de ritu nuptiarum.

rum, honorumque communitatem (15); mulier ergo, *maritalibus radiis coruscat* (16); *individuam consuetudinem*, id est arctam ac perpetuam; nam in eo matrimonium a concubinatu distinguitur; ita ut, quum *Divortium* lege conceditur, non principium destruatur; lex tantum exceptionem regulæ adfert.

§ VII. — Naturâ conjugii dilucidatâ, facile conclusio oritur, indissolubile esse atque perpetuum; quod non solum philosophi, sed poëtæ et oratores tam veteres, quam recentiores, indixerunt. Virgilius in Æneide libro IV, ait:

» Connubio jungam *stabili*, propriamque dicabo,
» Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
» Exigat. . . . ." (17).

Tacitus de Moribus Germanorum, domesticam prosperitatem invenit in vinculo indissolubili: feliciores, et quidem magis sapientes appellat civitates, quarum virgines semel eligunt maritum; tum revera corda explicant, ut votum conjugis impleant: virum non aliter quam animam accipiunt. » Denys-» d'Halicarnasse, *inquit* Dus Maleville, *donne les plus grands* » *éloges à ces lois plus anciennes de Rome, qui interdisaient le* » *Divorce; il regnait, dit-il, une harmonie admirable entre les* » *époux, produite par l'union inséparable des intérêts.*" Qui Divortium postularunt, indissolubilitatis præceptum agnovere; curia suprema cassationis, quanquam divertendi optabat facultatem, adhibuit: » *Le Mariage est une société perpétuelle dans son vœu.*" Codex etiam civilis id insinuat art. 304, nam liberi hæreditatem parentum acquirunt, ipsorum tantum interitu, quasi nunquam existitisset Divortium. — » *Tous ces articles* (du titre du Divorce) » *attestent combien le Divorce est contraire à l'essence même du* » *mariage. Quelqu'effet que fasse l'homme pour dissoudre le nœud* » *qui unit un mari et une femme, la nature lui résiste, et le* » *maintient malgré lui. Ces deux êtres, quand une fois le nœud* » *est serré par l'existence des enfans, ne peuvent plus devenir*

(15) L. 1. ff. eod. tit. (16) L. 8. ff. de senatoribus.
(17) Confer quoque *Ovidium*, lib. 5 trist. eleg. 5.

» *étrangers l'un à l'autre. Ils conservent ensemble des relations* » *nécessaires, des devoirs réciproques et indispensables, que la loi* » *elle-même est forcé de maintenir et de commander. Les titres de* » *Père et de Mère entretiennent inévitablement les idées de Mari* » *et d'Epouse; si l'une et l'autre se remarient, si l'un et l'autre* » *ont des enfans d'un second mariage, ces deux unions ne for-* » *ment point deux familles distinctes, mais véritablement trois fa-* » *milles mélées ensemble. Les enfans du premier mariage forment* » *entre ces nouveaux époux une sorte de famille qui se rattache* » *aux deux autres puisqu'ils ont des frères dans chacune d'elles,* » *et l'on ne sait plus où est la tige commune. Comme l'ont très-* » *bien dit MM.* Portalis *et* Siméon, *au conseil des cinq-cent et au* » *conseil des anciens: le Divorce opère moins la dissolution réelle* » *des Mariages, que la confusion des familles*" (18). Antequam codicis auctores leges civiles sanctioni præbuerint, omnibus argumentis, quæ in Divortium scribebantur, palmam dare coacti sunt (19), et nisi inviti divertendi facultatem propter temporum circumstantias concessêre (20).

Ob plurimas huc usque allatas rationes, scriptores perpetuum declarant connubium; inspiciatur præsertim *Puffendorf*, jus nat. et gent. lib. 6, cap. 1, § 20; et notas à *Barbeyrac*, eod. loco. *Grotius* (21) probare voluit, naturæ non repugnare, ut matrimonia dissolvantur ante mortem unius vel alterius conjugis: attamen argumenta in eum facile retorquentur; nam *Christus* Divortium vetans, non novam condidit doctrinam, primam vero restituit; si Judæi nempe dimiserunt uxores, id ob *cordis duritiem* a legislatore concessum fuit; itaque *Domat* dixit (22): » *Il faut remar-* » *quer que la loi divine était donnée à un peuple dur et grossier* » (duræ cervicis, Exod. 32, v. 9; durissimæ cervicis, Deut. 9,

(18) *Pandectes françaises*, vol. 4. (1re édition), sur l'art. 304 du code civil.
(19) V. Discours prélimin. du projet du cod. civ. franç.
(20) *Maleville*, sur le cod. civ., tom. 1, pag. 241. — *Toullier*, droit civil, tom. 2. § 668, pag. 32. (édit. de Brux.)
(21) De jure belli ac pacis, lib. 2, cap. 5, § 9.
(22) *Lois civiles*, liv. 1, tit. 6.

» v. 6); *et qu'à cause de leur dureté, elle tolérait de certaines » choses que la loi naturelle défendait assez, ainsi, par exemple, » cette loi écrite souffrait le Divorce et le permettait* (Deut. 24, v. 1.), » *quoique contraire au droit naturel, et à cette union si étroite que » Dieu a lui-même formée entre le mari et la femme; et dont il est » dit qu'il n'est pas permis aux hommes de les séparer* (Math. 19, » v. 5 - 8; Genes. 2, v. 23.)" Idem auctor alio loco: » *Ainsi » le Mari et la Femme étant donnés l'un à l'autre de la main de » Dieu qui les unit en un seul tout, que rien ne peut séparer, on » ne peut jamais dissoudre un mariage qui a été une fois contracté » légitimement*" (23).

Omnes gentes eamdem secutæ sunt sententiam: Lucretia, honore sexûs amisso, supremum sibi attulit diem, et omnis populus Romanus in Tarquinios crimen vindicavit (24). Susanna mortem subire maluit, quam adulterium committere (25); *Abimelech* uxorem Abrahæ, Saram nempe, sororem ejus credens, abstulit; at ipsam alterius conjugem cognoscens, statim marito remisit (26).

Nonne dictis nostris corruit, quod celebris auctor perhibuit, Divortium tantum repugnare, si a tertio quodam pendeat; id est, si alter (ut pater mariti vel uxoris) quam unus conjugum nuptias dirimere valet (27)? Idem tamen scriptor alio loco (28) probat, magis rerum naturæ obstare, a femina nuptias dissolvi, quanquam a parte tum viri, tum uxoris, inhoneste procedit Divortium aut Repudium.

§ VIII. — Attamen sectatores dissolutionis aiunt: leges civiles conficiunt matrimonium, quare etiam dirimere non possent et uxori, vivente primo marito, ob legitimas causas secundum concedere? Leges civiles vero connubii consequentias tantum ordinant, bonaque conjugum dirigunt. *Conjunctio* a natura pro-

(23) Traité des lois, ch. 3.
(24) Hist. rom. de *Rollin*, (vol. 1), liv. 1, art. 7. — Révolutions romaines par *Vertot*, liv. 1.
(25) Dict. hist. de *Feller*, v°. Susanne.
(26) *Genesis*, cap. 20.
(27) *Montesquieu*, espr. des lois, liv. 26, ch. 3.
(28) Idem, ibidem, liv. 26, chap. 7.

cedit, *contractus* a jure civili et gentium; a jure gentium, quia ab omnibus populis receptus est; a jure civili, quia apud quamcumque nationem variat, vel saltem variare potest, et secundum jus civile conficiendus est, ut nuptiæ justos obtineant effectus; quam distinctionem continuo peritissimi instituerunt auctores (29). » *Tout ce qui regarde le* caractère du mariage, *sa forme, la ma-* » *nière de le contracter, la fécondité qu'il procure, qui a fait com-* » *prendre à tous les peuples qu'il était l'objet d'une bénédiction* » *particulière qui n'y étant pas toujours attachée, dépendait de* » *certaines grâces supérieures; tout cela est du ressort de la reli-* » *gion. Les* conséquences *de cette union par rapport aux biens,* » *les avantages réciproques; tout ce qui a du rapport à la famille* » *nouvelle, à celle dont elle est sortie, à celle qui doit naître;* » *tout cela regarde les lois civiles;....... il suit de-là que c'est* » *à la loi de la religion à décider si le lien sera indissoluble ou* » *non, etc.*" (30). Puffendorf quoque docet nuptias ordinandas esse legibus civilibus (31).

Quamvis divortium maxime naturæ obstat, apud plurimos tamen populos introductum fuit: antequam ideo varias legumlationes perscrutemur, rectius erit, germanam tradere notionem vocis Divortii et Repudii.

§ IX. — *Divortium* appellari potest: » Dissolutio matrimonii, » utroque vivente conjuge." Sicque vocatur in gloss. in can. l. XXXII. q. 7. *Pothier* in Pand. Just. lib. 24, tit. 2, art. 1, N° 2, ait: » Potest definiri divortium, legitima viri et mulieris » separatio, hoc animo facta, *ut nunquam reintegretur matri-* » *monium.*" Jurisconsultus Gaïus originem vocis præbet: » Di-

(29) *Lannoi*, tract. de regia in matrim. potest. — *Van Espen*, de matrimonio. — *Pothier*, traité du contrat de mariage, part. 1, ch. 3, art. 1, N° 15 et 16. — *Pandectes franç.*, chap. du mariage, sect. 6. — *Proudhon*, cours de droit français, chap. 22, sect. 1. — *Toullier*, droit civil, § 488 ad 494, liv. 1. (vol. 1. édit. de Bruxelles.)

(30) *Montesquieu*, esprit des lois, liv. 26, chap. 11 et 12.

(31) De jure nat. et gent. lib. 6, cap. 1, § 5.

» vortium, *inquit*, vel a diversitate mentium dictum est, vel » quia in diversas partes eunt, qui distrahunt matrimonium" (32). Vel potius, ut alii malunt: a *divertendo* seu *divortondo*, nam Cicero dixit, *Divortia aquarum*; et Livius, *Divortia itinerum* (33). Secundum *Andream Vallensem* discrepat divortium a repudio, *quod illud inter virum et uxorem tantum fieri dicatur; repudium vero sponsae remitti videtur, et in uxoris personam non absurde cadit;* sunt hæc verba legis 101, § 1, ff. de verb. signific. Futurum matrimonium *repudiari* potest; non recte vero *divortisse* dicitur sponsa (34). Aliam differentiam, et quidem meliorem invenimus; nempe *divortium* mutuâ conjugum voluntate fieri debet, et *repudium* a solo unius vel alterius partis contrahentium arbitrio pendet; sagax auctor id sequentibus verbis exposuit: » *Il y a cette différence entre le Divorce et la Répudiation, que le* » *Divorce se fait par un consentement mutuel à l'occasion d'une* » *incomptabilité d'humeurs; au lieu que la Répudiation se fait par* » *la volonté et pour l'avantage* d'une des deux parties, *indépen-* » *damment de la volonté et de l'avantage de l'autre*" (35). Divortium aliquando sumitur duplici sensu: 1° pro *diremptione* matrimonii, quoad fœdus et vinculum et revera in eo consistit; 2° pro *separatione a thoro et mensa*, id est quoad cohabitationem, durante tamen matrimonii vinculo; id vero improprie *divortium* nuncupatur (36).

Diximus in divortii definitione: 1° *separatio*, quia maxime necessaria est, ut perduret divortium; » Si enim inconsulte calore » atque præcipitantiâ, cujus plerumque pœnitentia comes est, » repudium missum est, ac brevi uxor revertitur, divertisse non » videtur; eo quod, quidquid calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, » non prius ratum est, quam si perseverantiâ apparuit judicium

---

(32) L. 2. princ. ff. de Divortiis et Repudiis.
(33) V. Paratitla decretalium, *Andreæ Vallensis*, lib. 4, tit. 19, § 1.
(34) L. 191, ff. de verb. signif. — *Andreæ Vallensis* paratitla, loco laudato.
(35) *Montesquieu*, espr. des lois, liv. 16, chap. 15.
(36) *Andreæ Vallensis*, paratitla decret., lib. 4, tit. 19, § 1 in fine.

» animi fuisse (37); unde et tunc jurgium magis ac fribisculum vel » friguscululm, quam divortium appellabatur apud Romanos" (38).

2° Diximus: *legitima* separatio; nam matrimonium, quoniam sanctissimus est contractuum, nisi justissimis dirimatur causis; strictum jus observandum est, velut imperatores Theodosius et Valentinus jubent: » Consensu, *aiunt*, licita matrimonia posse » contrahi, contracta non nisi misso repudio dissolvi præcipi- » mus; solutionem etenim matrimonii *difficiliorem debere esse* » *favor imperat liberorum*" (39).

3° *Ut nunquam reintegretur;* si divortium et repudium, etiam lege permissa, mala plurima procreant, et minime moribus favent, quid eveniret tandem, si sanctitate nuptiarum spretâ, dimittere, recipere et rursus dimittere conjugem liceret? Quapropter *Montesquieu* sequentia observavit: » *La loi des Maldives* » *permet de reprendre une femme qu'on a répudiée: la loi du Mexi-* » *que défendait de se réunir sous peine de la vie: la loi du Mexique* » *était plus sensée que celle des Maldives;* dans le temps même » de la dissolution elle songeait à l'éternité du mariage, *au lieu* » *que la loi des Maldives semble se jouer également du mariage et* » *de la répudiation. La loi du Mexique n'accordait que le Divorce:* » *c'était une nouvelle raison pour ne point permettre à des époux* » *qui s'étaient volontairement séparés de se réunir*" (40).

Primis materiæ notionibus expositis, nunc jura positiva diversarum gentium conscribendi momentum venit. Per plurima, perspicuitatis gratiâ, capita progrediemur, ut sensim ad hodiernam perveniamus legislationem.

---

(37) L. 3. ff. de Divortiis et Repudiis. — L. 48. ff. de div. reg. juris antiqui.
(38) *Voet*, ad ff. lib. 24, tit. 2, § 1.
(39) L. 8. princ. cod. de repudiis et judic. moribus sublato.
(40) Esprit des lois, liv. 16, art. 15.

CAPUT SECUNDUM.

JUS MOSAÏCUM.

§ X. — Primi inter orbis terrarum populos, Judæi, diu ante societatis bene conditæ notitiam, non exceptâ Græciâ, tum publicas, tum privatas leges, hominum dignitati magis consentaneas, obtinuerunt; attamen cupidinibus etiam ducti *perfectionem* assequi haudquaquam potuerunt, imo optimas ibidem institutiones detrudere, consuetudines rectæ rationi contrarias sancire cogebantur legislatores. Providentia quodammodo ipsam gentem gubernabat; Judices saltem et populi Duces mediate à Summo Numine per prophetas consilia et agendi normas recepta civibus tradidere. Ab initio enim rerum sancta vigebant conjugia; flagitia autem nationis, nimia iniquitas in proximos, ac præcipue in uxores, voluptates atque levitas tandem primævam castitatem sustulerunt: tunc nuptias dirimere concedebatur, donec, plurimis elapsis sæculis, christianâ doctrinâ prohibitum sit repudium, quum jam cives sanioribus imbuti præceptis, facilius rectas morum ordinationes custodire valebant.

§ XI. — In cap. 2, Gen. v. 23 et 24, prima æternitatis matrimonii vestigia apud Judæos invenimus (1); nam postea permittitur dissolutio ante mortem unius vel alterius conjugum, sed solum *ob rationes juris politici aut saltem publici;* ne securitas publica turbaretur. Viri enim contemptu uxores persequentes, si alias ducere non potuissent, incredibile auditu, irâ propulsi

(1) Confer epist. *Pauli* ad Eph. 5, v. 31. — Et epist. I. *Pauli* ad Cor. 6, v. 16, 17.

ipsas interficere sæpe non dubitassent; barbaries morum insolito modo increverat; homines severitate quasi celebres propriam dignitatem communitatisque scopum omnino dignoscebant. Apostolus Mathæus eamdem rationem adducit in cap. 19, v. 8: » Quoniam Moyses ob duritiem cordis vestri permisit vobis di» mittere uxores vestras; *ab initio autem non fuit sic.*" Marcus in cap. 10, v. 5: » Jesus ait, ad duritiem cordis vestri scripsit » (Moyses) vobis præceptum istud." (2) Dein a legislatore quidem concessa est divertendi libertas: » Si acceperit homo uxorem, » et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus » propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et dabit » in manu illius, et dimittet eam de domo suâ" (3). Scriptoribus stabilitum fuit ob solam sterilitatem a viro uxorem dimitti posse, aliamque duci (4). A plurimis Judæis divortium intendebatûr, quanquam pauca in historia, tam sacra quam profana, exempla reperiuntur per spatium 700 annorum; auctoribus tantum extraordinaria facta enarrantibus.

Prophetæ attamen populo peccata exprobrantes, à Divortio, tanquam à re communi et ordinariâ, comparationes instituunt (5).

Mala plurima regnum inquinavêre; repudium inprimis solummodo viro permittebatur, non uxori, nisi ille inique dixisset non virginitatis flosculum ab ea accepisse; sed tandem divortium mutuum invaluit; uxor jam dimisit maritum, et Flavius Josephus (6) velut rem insolitam, legibusque contrariam, refert factum *Salomae*, sororis Herodis magni, quæ conjugi *Castobaro*, Idumeæ et Gazæ gubernatori, libellum repudii misit, quamvis uxor sejungi a viro non posset, nisi ab eo dimitteretur. Idem scriptor narrat (7) exemplum *Herodiadis*, filiæ *Aristobuli*, quæ ob repudium a Joanne-Baptistâ objurgata est (8). Lex itaque

(2) V. § 7 hujus commentationis. (3) *Deuteron.* c. 24, v. 1.
(4) *Aul. Gell.*, lib. 4, cap. 3. — *Valer. Maxim.* lib. 3, cap. 1, § 4.
(5) *Isaie*, c. 50, v. 1. — *Jerem.*, c. 3. v. 1 - 6.
(6) *Antiq. Judaeorum*, lib. 15, cap. 9. (7) *Ibidem*, lib. 18, cap. 7.
(8) *Matheus*, c. 14, v. 3, 4. — *Marcus*, c. 6, v. 17 e. 18. — *Lucas*, c. 3, v. 19. — *Levitic.*, c. 18, v. 16.

solum in tempus propter circumstantias concessa fuit, tanquam res imperfecta, aut malum necessarium; hac ratione merito animadvertit *Merlin* (9): » *La Loi du Divorce Judaïque doit être* » *reléguée dans la classe des pures ordonnances de police, qui rè-* » *glent et souffrent le mal qu'on ne peut empêcher, etc.*" Nam secundum rectam doctrinam divortium apud Judæos semper odiosum: » Operiebat, ait Propheta Malachias (10), lacrymis altare » Domini, fletu et mugitu; ita ut non respiciam, (ego Dominus) » ultra ad sacrificium....... quia Dominus testificatus est inter » te et uxorem pubertatis tuæ, *quam tu despexisti*; et hæc par- » ticeps tua, et uxor fœderis tui........ custodite ergo spiritum » vestrum, et uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere." Ulterius Merlin, » *St. Jean Chrysostôme,* inquit, *dans son homélie* 17 *sur le chap.* 5 *de St. Mathieu, observe que Moïse a moins introduit le Divorce même, dont les Juifs avaient apporté l'usage du milieu des Égyptiens, qu'il n'a mis une règle dans le désordre, en ordonnant que le libelle serait écrit et délivré à la femme. — St. Jérôme sur le chap.* 19 *de St. Mathieu, se fait cette objection sur la différence apparente de la loi judaïque, et de la loi chrétienne:* » *Dieu* » *peut-il donc être contraire à lui-même, commander une chose, et* » *détruire sa volonté par un ordre nouveau"? Il ne faut pas penser ainsi: mais Moïse voyant que le désir des secondes nôces, l'attrait d'une femme ou plus riche, ou plus jeune, ou plus belle, portait les Juifs au meurtre de leurs premières femmes, ou à une vie débordée, aima mieux montrer de* l'indulgence *pour la rupture du mariage, que de perpétuer le règne des haines et des homicides. La permission du Divorce (chez les Juifs) est une loi humaine, un réglement, une indulgence, une invitation de l'homme, et non pas un commandement de Dieu, suivant les expressions de l'apôtre;* simulque considera quod non dixit, propter duritiem cordis vestri permisit vobis Deus, sed Moyses, ut juxta apostolum,

(9) Répert. de jurisp., v°. *Divorce*, sect. 1, N° 1. (4e édition.)
(10) Cap. 2, v. 13, 14, 15.

consilium, sit hominis, non imperium Dei. *Saint Jérôme fait allusion au passage de la 1re épitre de St. Paul aux Corinthiens, ch. 7, v. 10:* hæc dico secundum indulgentiam, non secundum imperium; — præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere." *C'est aussi l'opinion de Buxtorf* (11), *qui prouve également, ce qui déjà est si clairement démontré, que le passage de la loi sur le Divorce est une tolérance, une connivence politique à ce qui était déjà établi, et nullement un prétexte ou une autorisation directe.*" (12).

Plurimi quidem interpretes existimant non nisi *separationem* extitisse *à mensâ et thoro*, quâ viro, non feminæ licuit alium ducere conjugem, quoniam in *Deuteron.* femina dimissa et secundas iniens nuptias, *polluta et abominabilis facta* appellatur *coram Domino* (13). Flavius Josephus expresse perhibet (14), uxores dimissas indigere consensu primi mariti, ut alii nubant. Alii quoque referunt (15), sæpissime uxores dimitti ob adulterium, ne amplius morte, ut olim, punirentur: nam Moyses mortis pœnam in adulteros statuit; humanitate incitatus, maritus tunc repudii libellum, locum pœnæ capitalis, misit; ita ut tum etiam regula valuerit: *non bis in idem.*

Postquam maritus dimisit uxorem, non amplius eamdem recipere licebat (16), ne promptius irâ forsitan pulsus, ob vanam causam statim repudiasset; si nempe recipere potuisset conjugem, quid aliud quam uxorum mercaturam instituissent plurimi viri, atque falso usi prætextu, pro tempore aliis cedere, et brevi denuo ducere voluissent (17); quanquam alii auctores comprobare conati sunt, a marito revocari posse feminam, si nondum alium

---

(11) *De sponsalibus et Divortiis*, pag. 99 et seqq.
(12) Répert. univ. de jurisp. par *Merlin*, (4e édit.) vo, *Divorce*, sect. 1, No 1.
(13) *Deuter.*, cap. 24, v. 4.
(14) *Antiq. Jud.*, lib. 15, cap. 11.
(15) *Buxtorf.* de sponsalib. et Divortiis, pag. 99 et seqq.
(16) *Deuter.*, cap. 24, v. 4.
(17) *Puffendorf*, jus nat. et gent. lib. 6, c. 1, § 27.

duxerat; sed immerito sese textu *Jeremiæ* (18) sustinent; ibi enim omnino aliâ de re agitur: Deus nempe populum suum ab idolatria revocat per prophetam, qui a dimittendæ uxoris usu comparationes et quidem distinctiones quærit; ut etiam videre est in *Isaïa*, cap. 50, v. 1.

§ XII. — Novus tandem legislator, Christus, judæorum duritiem, barbariem, morumque crassitudinem, divinæ facundiæ persuasione correxit; lenitatem, legitimas cupidines, ac matrimonii castitatem quâ familiarum fulcitur felicitas, cordibus infudit. Mala divinus præceptor avertere studuit; impediens itaque divertendi libertatem, primorum temporum permissûs rationem expressit; » omnis, *inquit*, qui dimittit uxorem suam et alteram » ducit, mæchatur (19); dico autem vobis quia quicumque di» miserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, » mæchatur, et qui dimissam duxerit, mæchatur. Quoniam Moy» ses ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere uxores » vestras; *ab initio autem sic non fuit* (20); Jesus ait: ad duri» tiem cordis vestri scripsit vobis præceptum istud. Ab initio » autem creaturæ, masculum et feminam fecit eos Deus; propter » hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit » ad uxorem suam, et erunt duo in carne unâ. Itaque jam non » sunt duo, sed una caro. — *Quod ergo Deus conjunxit, homo » non separet.* — Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam » duxerit, *adulterium* committet super eam. — Et si uxor dimi» serit virum suum, et alii nupserit, mæchatur (21)." Paulus idem docet (22): » iis qui matrimonio juncti sunt, præcipio non » ego, sed Dominus uxorem a viro non discedere. — Quod si » discesserit, manere *innuptam*, aut viro suo reconciliari, et vir » uxorem non dimittat."

§ XIII. — Plurimi in diversis sæculis aliam amplexi sunt doc-

(18) *Jerem.*, cap. 3, v. 1 ad 12.
(19) *Lucas*, c. 16, v. 18.
(20) *Mathaeus*, cap. 19, v. 8, 9.
(21) *Marcus*, c. 10, v. 6 ad 13.
(22) *Paulus* ad *Cor.* 1, cap. 7, v. 10 et seqq.

trinam; scripturâ discedendi libertatem non prohiberi crediderunt. » In instituendo matrimonio, inquiunt, Deus præcipue viri ac feminæ ordinavit societatem, ut ambo in pace viverent, sese invicem tuerentur; si mutuo autem amore ac consilio non junguntur, jure merito discedere eis conceditur, ut alibi felicitatem inveniant: quod spectat ad generis humani propagationem, secundarius solum nuptiarum scopus est." Sed respondemus; quum Moyses (23) Dei verba adfert : » *faciamus ei (viro) adjutorium* » *simile sibi;* et ait Deus: *crescite et multiplicamini et replete* » *terram";* non duo hic fines indicantur; at apparet ultimis verbis, quisnam *effectus* ex arctâ viri et feminæ consociatione, ac mutuo auxilio profluit. Si deliciæ e contra hominum vitæ finis essent, non diversi sexûs opus erat; homines etenim aut in tenera ætate, nondum desiderio turbatâ, aut in senectute magis inter sese verum gaudium absque ullâ suspicione obtinent; ita ut alius principalis scopus exstet, nempe propagatio mortalium atque institutio liberorum. Aliud quærunt adversarii argumentum: si uxor dimissa alii viro nubit, verum adulterium committet, quare Deus id populo suo permisit? Quare jus naturæ lædere voluit? Nonne dicendum potius nihil a Deo concedi, quod iniquum est, atque majestati ejus repugnare videtur. — Sed male *dispensationem* cum *aequitate*, et æternum *principium* cum *exceptione* commiscent; quæ longe distinguantur oportet; jam ratio dispensationis cognoscitur, nempe barbaries Judæorum ac morum duritia: in malum quædam media intendebant Duces populi, donec tandem Judæi meliores facti optimas tueri potuerint leges; *Montesquieu* difficultatem hâc de re sequentibus verbis aufert (24) : » *Quand la Sagesse Divine dit au peuple juif:* JE VOUS » AI DONNÉ DES PRÉCEPTES QUI NE SONT PAS BONS, *cela signifie* » *qu'ils n'avaient qu'une bonté relative; ce qui est l'éponge de toutes* » *les difficultés que l'on peut élever sur les lois de Moyse."* Satis clare etiam divinus legislator dixit : virum et feminam a Deo

---

(23) *Genes.* c. 2, v. 18; et c. 1, v. 28. (24) Esprit des lois, liv. 19, chap. 19.

natos esse, ut duo essent in carne unâ; et non amplius duos esse, sed unam carnem (25). Si aliter enim fieri posset, inutile foret, quod præcipitur : *quod Deus conjunxit, homo ne separet* (26). Ecclesia romana ulterius idem docet ac jubet; plurima Decreta Pontificum atque Conciliorum, in capite de jure ecclesiastico, in medium conferre nostrum erit, ne ullum quoad hanc partem supersit dubium (27).

CAPUT TERTIUM.

JUS GRÆCORUM.

§ XIV. — Si naturam hominis perpendimus, non visu difficile erit, nullâ ratione utile fieri, ut genus mortalium incertis atque dissolutis conjunctionibus propagaretur; imo impossibile, aut saltem omnino perniciosum; quænam enim in hypothesi, inter animalia hominesque ratione præditos discrimina exstarent? Si matrimonii vincula non agnoscere, vel etiam spernere liceret, si feminarum quædam vigeret communitas, vel mercatura quidem, ut ita dicam, majora jurgia dividerent societatis membra, quam olim exstiterunt prælia taurorum; et potius nulla instituta foret societas. Tam miserabilis verum res in Atticâ ante Cecropem visa est! Non ulla tunc temporis connubia; non bestiarum impares fortuito coïtu liberi nascebantur!........

(25) *Marcus*, c. 10, v. 8. — Confer ulterius *Puffendorf*, jus nat. et gent. lib. 6, cap. 1, § 24.

(26) *Matheus*, cap. 19, v. 6.

(27) Quod attinet Judæorum consuetudines circa *matrimonium et divortium*, vide *Mœurs des Israëlites*, (par l'abbé *Fleury*), chap. 14.

§ XV. — Cecrops aliis cum Egyptiis circa ann. 1582 ante Ch. N. in Græciam advenit; inter plurima alia, constituit nuptias; unam tantummodo maritare uxorem concessit; ideo *biformis* pingitur; quoniam legibus ejus obtigit, ut unusquisque matrem atque patrem agnoverit; vel quia sancto matrimonii fœdere duas in unam conjunxit personas (1). Postquam 50 ann. Græciam rexerat, successor ejus Cranaus iisdem mediis sævas populi coërcuit cupiditates. Optimi tandem mores invaluerunt; ita ut a Græcis haudquaquam in heroum temporibus divertendi facultas adhibita sit. Diu viguit ibidem castitas; *Gronovius* id quidem textu Euripidis (in Medeâ) probari putat; *non enim honesta*, inquit poëta (2), *sunt Divortia mulieribus, neque licet mulieri abdicare maritum.* Non per decem annos Trojæ bellum flagrasset, si Helena divortio a primo sejungi potuisset viro, ut sequeretur amantem. Diversi autem in posterum legum conditores diversas de Divortio dispositiones sanxiverunt.

§ XVI. — *Solon*, 639 ann. ante Ch. N., primus omnes *Draconis* leges abrogavit, exceptâ unicâ, nempe adversus interfectores; Atheniensibus quoque divertendi veniam obtulit, quam feminæ tamen sibi jam vindicarant. Ne luxuria vero regnum labefactaret, conditiones quasdam adjunxit; si maritus itaque dissolutionem nuptiarum quærebat, dotem reddere aut saltem uxori alimentorum attributionem, lege determinatam, concedere debebat; uxor e contra a viro abire exoptans, coram judicibus, id est Archontibus, procedebat, ut ipsa, nec unquam per extraneos, Divortii deponeret libellum, ac effringendi connubium veniam assequeretur (3). Si uxor fidem conjugii lædit et violat, si etiam in domo adulterum recipit, jure Græco maritus stupri testis, mortem infert perfidæ consociæ, vel statim eam repudiat; attamen in hoc ultimo casu veniam quærit a judice; femina di-

(1) *Justinus*, hist. lib. 2, cap. 6.
(2) *Euripid.* in Med. vers. 250.
(3) *Plutarchus*, in *Alcibiadem*. — Voyage du jeune *Anacharsis* en Grèce, par *Barthélémy*, introd. 2e part. sect. 1.

missa a religionis ritu ceremoniisque in perpetuum avertitur; et si non simplici ornatu in publicum procedit, omnis civis evellere potest vestimenta, et miseram dedecore atque infamiâ operire : » adultera, *ait Graecus orator* (4), in publicum ornata ne » prodito; si secus faxit, quivis ejus vestes discindito, ejusque » mundum auferto, atque eam pulsato, si libuerit, dummodo » ne occidat, aut membro aliquo captam reddat."

Qui Divortio sejuncti sunt, etiam aliud inire valent matrimonium, antequam unus vel alter conjugum moriatur (5). Uxor, ut jam animadvertimus, veniam divertendi a judice postulat; historia celebre exemplum offert : *Hipparetes*, conjux Alcibiadis, virtutibus clara, at inhonestis mariti amoribus excitata, pallida atque tremens justitiæ tribunali scriptum aut libellum Divortii exhibet; procedit autem *Alcibiades*, uxorem in brachiis abripit, ac per forum, plaudente populo, eam non invitam sponte refert domum (6). Maritus adhuc, jure Græco, *adulteram* conjugem repudiare tenetur : » Postquam adulteram maritus adulterii damn» naverit, ab uxore adulterâ divertito; nisi diverterit, ignomi» niosus esto" (7).

Ex prædictis patet facultatem repudiandi tam uxori, quam marito apud Athenienses lege Solonis concessam fuisse, teste quoque *Montesquieu*, in quo rei ratio satis verisimilis legitur : » *Il est quelquefois si nécessaire aux femmes de répudier*, inquit, *et il leur est toujours si fâcheux de le faire, que la loi est tyrannique qui donne ce droit aux hommes sans le donner aux femmes. Un mari est le maître de la maison, il a mille moyens de tenir ou de remettre ses femmes dans le devoir, et il semble que dans ses mains la répudiation ne soit qu'un nouvel abus de sa puissance. Mais une femme qui répudie, n'exerce qu'un triste remède : c'est toujours un grand malheur pour elle d'être contrainte d'aller chercher un second mari, lorsqu'elle a perdu la plupart de ses agréments*

(4) *Æschin.* in *Timarch.*
(5) Voyage d'*Anacharsis* en Grèce, par *Barthélémy*, chap. 20.
(6) Même ouvrage, même ch. 20. (7) *Demosth.* in *Neaeram.*

chez un autre. C'est un des avantages des charmes de la jeunesse dans les femmes, que dans un âge avancé, un mari se porte à la bienveillance par le souvenir de ses plaisirs. — C'est donc une règle générale que dans tous les pays où la loi accorde aux hommes la faculté de répudier, elle doit aussi l'accorder aux femmes" (8).

In omni itaque casu Athenis maritus vel uxor recte divortium instituebat; id est, Solon non ullam certam Divortii causam indixit, modo divertentes conditiones a lege præscriptas, et supra allatas, implebant; ita ut veritati conveniant, quæ dicit *Merlin* (9): *»Solon permit aux femmes d'Athènes de quitter leurs maris, et aux maris de répudier leurs femmes; il n'exprima aucune cause de répudiation, parce que la volonté de l'une ou de l'autre des parties en formait seule une suffisante."* Quanquam, ut alii affirmant scriptores (10), dissolutio nuptiarum a judice concedenda esset; at judex tantummodo petentibus veniam dabat.

Jam Athenienses Divortio usi fuerant, quum a Solone concedebatur; moribus etenim corruptis, diutius optimas institutiones sequi non poterant; et non aliter, quam apud Judæos, legislator confecit leges, quas facilius cives custodirent: *» On a demandé à Solon,* ait Montesquieu (11), *si les lois qu'il avait données aux Athéniens étaient les meilleures; je leur ai donné,* répondit-il, *les meilleures de celles qu'ils pouvaient souffrir: belle parole qui devrait être entendue de tous les législateurs."* Quod tamen non in omni casu sequendum; nam ut leges virtutem concitent, aut saltem non impediant, juvat et omnino necesse est.

Quidquid sit, si divertendi libertas in Græcia apud Athenienses viguit, non continuo tamen perniciosa exempla exstiterunt; nam sat raro mulieres divertere ausæ sunt; quæ opinio est plurimorum auctorum, inter quos *Barthélémy* (12): *» En général*

---

(8) Esprit des lois, liv. 16, chap. 15; confer quoque, chap. 16.
(9) Répert. univ. de jurisp., v°. *Divorce*, sect. 1, N° 2.
(10) Voyage d'*Anacharsis* en Grèce, chap. 20.
(11) Esprit des lois, liv. 19, chap. 19.
(12) Voyage d'*Anacharsis* en Grèce, chap. 20.

(*en Grèce*), inquit, *les femmes d'un certain état n'osent pas demander le Divorce; et, soit faiblesse ou fierté, la plupart aimeraient mieux essuyer en secret de mauvais traitements, que de s'en délivrer par un éclat qui publierait leur honte ou celle de leurs époux.*" Longo tempore ante Solonem Medea per divortium propter adultam privigni ætatem, a conjuge Ægeo decedens cum Medeo filio, ex eodem suscepto, Colchos concessit (13).

Plato (14), ut continuo civium in republica numerus cresceret, novam divertendi causam introducere cupiebat; ob sterilitatem nempe permisisset, ut post sex annos sine una edita prole, divortium conficerent, novasque inirent nuptias. Simili dispositione nimis statui *materiali*, ut ita dicam, providere voluit; jam pravi autem mores salutem patriæ atque virtutem omnium penitus labefactaverant.

Libido tandem Athenis solium erexit; mutuo Divortio lege permisso, majora mala irrepserunt; pessimi amores obtuderunt mentes, et in exteras regiones corruptelæ exempla contulerunt. » Mihi quidem, exclamat Cicero, hæc in Græcorum gymnasiis » nata consuetudo videtur, in quibus *isti* liberi et concessi sunt » amores." Paterna potestas secuta est miserum maritalis potestatis statum, atque Athenis tantum inferior fuit, quantum apud Lacedæmonios magis valuit, ita ut Spartæ puer in quocumque sene invenerit patrem, eumque eodem amore ac patrem naturalem persecutus sit.

§ XVII. — Ratio differentiæ in promptu est; nunquam enim Spartani divertendi veniâ uti potuerunt; nullis ibidem legibus dissolutio nuptiarum sancita reperitur.

Non scriptæ exstabant leges, quum Lycurgus fratri suo Polybitæ successit; regnum sibi vindicare potuisset; at Charillo filio ejus, quum ad ætatem adultam pervenit, regnum summa fide restituit. Dum puer convaluit, Lycurgus leges urbis Spartæ sanci-

(13) *Justinus*, lib. 2, cap. 6.
(14) *Plato*, de legibus, lib. 6.

vit, prope ann. 870 ante Ch. Nat.; non inventione earum magis, quam exemplo suo in obsequio clarior. Populum in observantia erga principem, atque alios principes ad justitiam imperiorum bene conditorum formavit: parsimoniam omnibus infudit; emi singulas res non pecuniâ, sed compensatione et permutatione mercium jussit (15). Imperium morum stabiliit; civitatisque prosperitatem fulsit; nulla dispositione legum suarum divortium vel repudium ordinavit; sed quocumque tempore apud Lacedæmonios prohibitum fuit. Sancta ibi matrimonia; cum gloria quadam per nuptias jungebantur juvenes; et nullibi magis videre est, quanto studio statum familiæ rexerint cives stabiliendo conjugii vinculo; quam apud *Barthélémy* (16), qui cum omni styli decore et gratia Spartanæ juventutis hac de re consuetudines explanat.

» *Les filles de Sparte*, inquit, *ne sont point élevées comme celles d'Athènes: on ne leur prescrit point de se tenir renfermées, de filer la laine, de s'abstenir du vin et d'une nourriture trop forte; mais on leur apprend à danser, à chanter, à lutter entr'elles, à courir légèrement sur le sable, à lancer avec force le palet ou le javelot, à faire tous leurs exercices sans voile et demi-nues, en présence des rois, des magistrats et de tous les citoyens, sans en excepter même les jeunes garçons, qu'elles excitent à la gloire, soit par leurs exemples, soit par des éloges flatteurs, ou par des ironies piquantes.*

» *C'est dans ces jeux que deux cœurs destinés à s'unir un jour, commencent à se pénétrer des sentiments qui doivent assurer leur bonheur; mais les transports d'un amour naissant ne sont jamais couronnés par un hymen prématuré. Partout où l'on permet à des enfants de perpétuer les familles, l'espèce humaine se rapétisse et dégénère d'une manière sensible. Elle s'est soutenue à Lacédémone, parce que l'on ne s'y marie que lorsque le corps a pris son accroissement et que la raison peut éclairer le choix.*

» *Aux qualités de l'âme les deux époux doivent joindre une beauté mâle, une taille avantageuse, une santé brillante.*

---

(15) *Justinus*, lib. 5, cap. 2. (16) Voyage d'*Anacharsis* en Grèce, ch. 47.

» *Je supprime le détail des cérémonies du mariage; mais je dois parler d'un usage remarquable par sa singularité. Lorsque l'instant de la conclusion est arrivé, l'époux, après un léger repas qu'il a pris dans la salle publique, se rend, au commencement de la nuit, à la maison de ses nouveanx parents; il enlève furtivement son épouse, la mène chez lui, et bientôt après vient au gymnase rejoindre ses camarades, avec lesquels il continue d'habiter comme auparavant. Les jours suivants, il fréquente à l'ordinaire la maison paternelle; mais il ne peut accorder à sa passion que des instants dérobés à la vigilance de ceux qui l'entourent: ce serait une honte pour lui si on le voyait sortir de l'appartement de sa femme. Il vit quelquefois des années entières dans ce commerce, où le mystère donne tant de charmes aux surprises et aux larcins. Lycurgue savait que des désirs trop tôt et trop souvent satisfaits, se terminent par l'indifférence ou par le dégoût; il eut soin de les entretenir, afin que les époux eussent le temps de s'accoutumer à leurs défauts, et que l'amour, dépouillé insensiblement de ses illusions, parvînt à sa perfection en se changeant en amitié. De là l'heureuse harmonie qui règne dans ces familles, où les chefs, déposant leur fierté à la voix l'un de l'autre, semblent tous les jours s'unir par un nouveau choix, et présentent sans cesse le spectacle touchant de l'extrême courage joint à l'extrême douceur."*

Nostram sententiam aliqui oppugnarent forsitan, objiciendo exemplum Aristonis (filii Agasicli regis Lacedomonii), qui revera divortium confecit (17); ita ut probare conentur Spartanis divortium permissum fuisse; at potius generali regulæ exceptio fuit: » Et id tributum regi, inquit *Gronovius* (18), ex quo desi» derabatur filius, regnum suscepturus; sed nunquam in aliis » toleratum." Itaque semel reipublicæ salutis atque regiæ familiæ conservationis causâ divortium est adhibitum, non vero sancitum in favorem omnium, neque in exemplar civium a rege *Aristone* confectum. » Virgines, ait *Justinus* (19), sine dote nubere jussit

(17) *Herodot.* lib. 6. (18) Antiq. græc., tract. de republ. Laced. lib. 3, cap. 1. (19) Lib. 3, cap. 3.

» (Lycurgus), ut uxores eligerentur, non pecuniæ; severiusque » matrimonia sua viri coërcerent, quum nullis dotis frænis tene» rentur." Omnia ergo intendebat media, quibus arcta et firmiora manerent connubia, quoniam nulla ratione, nec sub ullo prætextu rumpi possent, quum vir aut mulier querelas excitarent, atque divertendo infortunii remedium sese obtenturos sperarent. Mores ideo legibus firmati sunt; virtus fortes fecit, sicque ad gloriam veram pervenerunt Spartani; post innumeras solum Græciæ gentes, et quidem post omnes extraneas a Macedonibus victi fuere; Philopœmen (20) antequam gubernare cœpit, totam puerorum institutionem mutare voluit, ut facilius tyrannidem firmasset.

Lycurgi leges secundum Minoïs, Cretæ Regis, institutiones, confectæ fuerunt; Creta quoque a Roma superata non est, nisi post triennale bellum, et cunctis aliis in potestatem redactis populis (21).

Præcipuum regni fundamentum, patria potestas iisdem constitutionibus æterna stetit, et mirifice per longum temporis spatium sustentavit rempublicam, quæ optime comprobantur a *Montesquieu* (22). Non diversæ viguerunt dispositiones apud Laconiæ incolas, nec non apud Samnites, qui annis viginti et quatuor cum Romanis, orbis victoribus, dimicaverunt (23). In omni ævo matrimonia *inviolabilia* voluerunt Spartani; quare ergo divortium instituissent; semel ibi liberi incerti fuerunt; nempe quum contra præsumptionem annis decem in obsidione Messenæ tenebantur, et querelis uxorum post tam longam viduitatem revocabantur, eligerunt juvenes quosdam inter milites, quibus Spartam remissis promiscuos omnium feminarum concubitus permiserunt: ex his natæ incertæ proles, et ob maternum pudorem *Partheniae* vocatæ; illi vero postea adulti, metu inopiæ (nullus enim pa-

(20) *Plutarchus*, vita *Philopœm.* — *Tit. Liv.* lib. 38.
(21) *Tit. Liv.* lib. 98, 99, 100.
(22) Esprit des lois, liv. 5, chap. 7. — Liv. 4, chap. 6.
(23) *Florus*, lib. 1.

trem noscebat, cujus successionem speraret), ad sedes novas inquirendas, novumque arandum agrum proficisci coacti sunt (24).

A nobis autem minime inquirendum est, an auctorum rationes valeant, quibus probare conantur, Lycurgum non istis vixisse temporibus, nec ullas ideo Lacedæmonio leges concessisse; leges verum latæ fuerunt, quanquam verisimile quoque foret, quod ab alio principe, vel plurimis succedentibus regibus, conditæ sint; at quidquid sit, cives eas observavere, et historiæ scriptores difficultatem enucleare valent; inter alios *Feller* (25), idem dubium amplecti videtur. Samnites, de quibus parum supra, a Lacedæmoniis orti, eorumque leges secuti, casta conficiebant conjugia: ex omnibus juvenibus dignissimus uxorem e medio puellarum eligebat; secundus carissimam existimans etiam assumebat, sicque plurimis idem eligendi jus competiit; amor, decus, castitas, quasi solam virtutis constituebant dotem; non unquam talia dissolvebantur matrimonia (26).

Macedoniæ Reges Repudio facile usos fuisse apparet: inter alios Philippus matrem *Alexandri* filii sui, dimisit; qua de re *Justinus* ait (27): » Cujus (Attali) sororem, nuper *expulsâ* » Alexandri matre Olympiade propter stupri *suspicionem*, in » matrimonium receperat."

En omnia, quæ habere præplacet de divertendi in Græciâ facultate, quam pauci attamen adhibuere populi; quam alii, ut animadvertimus, parvo cum honore in civitate permiserunt.

---

(24) *Justinus*, lib. 3, cap. 4. (25) Dictionn. historique, v°. *Lycurgue*.
(26) *Montesquieu*, esprit des lois, liv. 7, ch. 16.
(27) *Justinus*, lib. 9, cap. 5 in fine.

CAPUT QUARTUM.

JUS ROMANORUM.

§ XVIII. — Postquam græcarum legum dispositiones, quæ historiâ noscuntur, ob oculos objecimus, Romanam legislationem expendere nostrum est. Non multorum sæculorum caligine, ut præcedentes populi, Roma obruitur, si origo quidem priorum legum non omnino apparet, posteriores e contra libris æterne scriptæ manent; quas majori quoque studio explicandas credimus, quoniam inter omnes fere orbis terrarum gentes viguerunt, et hodie etiam vigent, nam leges totius fere Europæ e romanis constitutionibus confectas aut excerptas reperimus; ita ut ex iis intimam originem trahant, vel eas imitatæ fuerint.

In Belgio non imperantis sanctionem obtinuere; at in plurimis casibus, velut æquitatis fontes et rationem scriptam, easdem et judices et jurisconsulti simul sequebantur; auctor quidam belgicus, (*Zypeus* in notitiâ juris belgici), dixit: *nos moribus nostris vivimus;* sed consuetudines tamen Belgarum sæpissime jure romano fulciuntur. Hodierna vero regui Belgici Legislatio in pluribus partibus ipsum Jus Romanum appellari potest; non solum enim imitata leges Justinianeas, sed verbo tenus sæpe secuta est, et propemodum exscripsit: quod si non verum esset, non minus utile et necessarium maneret, totum romanorum jus exponere; sæpius enim leges pandectarum æquitati, atque sanæ rationis principiis conveniunt ac consonant; non nostrum illud probare; omnes, puto, hâc de re consentiunt; et præterea *De Ferrière* id optime explanat, quum historiæ factis suadet, quantum omnes

populi æternum Romæ jureperitorum ac legumlatorum coluerint monimentum, et quasi adoptare voluerint (1).

§ XIX. — Nostræ vero materia disquisitionis, solas nuptiarum et præsertim Divortii leges spectat, quæ haud dubie cum civili hominum societate intime junguntur; omnimodo itaque præplacet ipsarum studium; nam ornatissimam legum civilium partem constituunt in jure romano (2).

Primis temporibus non servitus domestica morum barbariem invexit, solum reperitur repudium longo usu (non autem Divortium mutuum), a parte mariti permissum fuisse; at urbe constitutâ per quinque prima sæcula nemo uti repudio ausus est; si sæculi sexti initio *Carvilius Ruga* primum exemplum obtulit, continuo populus atque scriptores indignationem præbuerunt in quemcumque civem, qui publicos pervertere vellet mores; inferius verum plura suo loco adferemus. Repudiandi facultatem a maritali potestate oriri, nullum est dubium; uxor enim viri proprietas, res quædam efficiebatur per vim et abusum; quod si non jure legitimo, saltem jure fortioris fieri videbatur; id eleganter tradit doctus *Nougarède* (3). Inter alia plura : » *On employa pour épouser une femme*, ait, *des formalités absolument semblables à celles d'un achat, dont le mariage prit même le nom. Le prix fut payé à celui qui avait la femme sous sa puissance, et au moyen de cette somme convenue, elle devint la propriété de son mari. Elle quitta le nom de son père pour adopter celui de son nouveau maître. — Elle ne put rien acquérir, ni par des donations volontaires, ni par toute autre voie, qui n'appartînt au mari et qui ne fût considéré comme un des produits de sa propriété. Les enfants du mariage furent comptés eux-mêmes au nombre de ces produits; et ce fut un nouveau droit sur les enfants, qui acheva de confirmer le caractère de propriété déjà attribué au pouvoir du père de famille.*

---

(1) Histoire du droit romain, chap. 31.
(2) *Bach.*, hist. juris, lib. 1, chap. 1. — *Heineccius*, præfat. ad L. Pap. — *Montesquieu*, espr. des lois, liv. 23, chap. 20.
(3) Histoire des lois sur le mariage et le divorce, chap. 1.

» Pour se former une juste idée des droits qui étaient alors attachés à la puissance maritale, il faudra donc la considérer comme l'exercice du droit de propriété à l'égard de sa femme. Nous y trouverons les fondemens de la faculté de prêter leur femme, qui avait été accordée aux maris. Cette coutume a été plus remarquée que les autres, et ce n'est pas seulement comme le plus odieux abus de la puissance maritale. C'est aussi parce qu'après avoir été proscrite par Numa, elle reparut ensuite dans des siècles postérieurs, et parvint à s'y autoriser par un exemple que je rougis d'avoir à rappeler, par l'exemple de l'austère Caton.

» Le mari ne se bornait pas toujours à accorder l'usufruit de sa femme, il pouvait aussi en céder la propriété, par la même voie qui la lui avait acquise, par celle de l'achat. Enfin, il lui était permis, à plus forte raison, de renoncer à son droit même, et c'est ainsi que le droit de répudier la femme, se trouvait alors l'usage le moins violent de l'autorité maritale. Dans ce dernier cas, la femme redevenait la propriété de ceux qui l'avaient vendue à son mari, de son père ou du plus proche de ses parents mâles."

Sæpissime et quotidie adhuc inter auctores disceptatur, an revera Romulus repudium marito concesserit? Dionysius Halicarnassensis nullum affirmantibus argumentum præbet; solus Plutarchus, cui assentiri videtur Montesquieu (4), rem comprobare voluit. Teste Dionysio Halicarn. unam tantummodo Romulus legem de matrimonio sanxit, quâ uxores ab omni luxuria retinere conatus est; ibi legitur: » Temetum mulier ne bibito." Marito *judicium morum* dedit, ut si uxor delictum perpetrasset, solus esset judex. Romulus, secundum eumdem auctorem (5), nullam dispositionem in lege scripsit, quâ viro actio de divortio tributa fuerit. Quum adulterio aut vinolentiâ mulier accusaretur, maritus uxoris proximos convocare, ipsamque convincere debebat, ut solus pœnam statueret. Si Plutarchus (6) diversam exstitisse

(4) Esprit des lois, liv. 16, chap. 16.
(5) Antiq. rom. lib. 2, cap. 25.
(6) In vitâ Romuli.

dispositionem putat, in errore versari a plurimis dicitur; Merlin autem illius opinionem sequitur: » *Romulus*, ait, *voulut restreindre la faculté du Divorce, (permis chez les Athéniens arbitrairement du côté de la femme et du mari), dans les bornes et à des occasions prescrites. Il fallait que la femme, pour être répudiée, eut commis un adultère, préparé du poison ou falsifié les clefs"* (7). Quidquid sit, refert Plutarchus maritum adulterio, veneno, claviumque falsificatione convictam uxorem repudiare teneri; at mulieri vicissim eum dimittere non licere; quibus adversatur Balduinus, qui nihil inveniri perhibet, quo ipsa sustentetur sententia (8), quam Sigonius quoque oppugnat (9). Cicero probare cupit repudium primo concessum fuisse legg. XII. tabb. » Frugi factus est; *in-* » *quit* (10); mimam illam suam, res suas sibi habere dixit, ex » lege XII. tabb., claves ademit, exegit."

Lex duodecim tabb. causas repudii statuisse non videtur, tantum jussit, ut maritus nisi ob maximas causas repudio uteretur, quas exprimere debuit, quum adversus uxorem judicium ferret (11). Merlin etiam hic a nostra sententia divertitur; quanquam propria sua verba non comprobat: » *La loi des douze tables*, inquit, *étendit le pouvoir de divorcer à d'autres circonstances, que ne l'avait fait la loi de Romulus"* (12).

Causæ repudii primitus a magistratu inspici non poterant (13). Non autem maritus mortem infligere potuit, ut alii existimaverunt; commentatores verbum *necare* scripsere, at Cujacius (observ. VI, 25) argumentis fortissimis statuit, legendum esse *mulctare* (14). Quum mariti sæpe injuste repudium pronunciabant, jure statuendæ poenæ etiam abusi sunt, atque uxoris dotem per sententiam quamdam sibi vindicarunt. Non semper prævari-

(7) Répert. univ. de jurispr. v°. *Divorce.*
(8) *Balduinus*, ad leg. Romuli, N°^{s} 15 — 16.
(9) De antiq. jure lib. 1, cap. 9.
(10) *Cic.* Philipp. II.
(11) *Bouchaud*, 6e table, 7e chef.
(12) Répert. univ. de jurisp. v°. *Divorce.*
(13) *Brower*, de jure connub. 2, 31, § 6.
(14) *Bouchaud*, tom. 1. pag. 665.

cationis nullas subierunt pœnas; primi reipublicæ magistratus in omnia jurisdictionem obtinuerunt (excepta patria potestate, quæ omnimodo patribus-familias ab origine civitatis competebat), ac maritorum judicia reformabant (15).

Sententiâ quâdam Marii apparet maritos uxorum impudicitiâ lucrari voluisse: Titinius Fanniam duxerat, quanquam ea afficeretur infamiâ propter morum licentiam; postea ob adulterium repudiavit, dotemque arripuit; Fannia coram Mario actionem confecit, qui dotem restitui jussit, quia impudicam feminam, cujus mores noscebat, consulte duxerat, ut fortunâ ejus in posterum fruitus, quæstum faceret ex turpitudine sua et propemodum ex delicto (16).

Si ob alias quam lege præscriptas causas maritus uxorem repudiabat, omnia ipsius amittebat bona; quorum media prima pars uxori, et altera Cereri offerebatur (17).

Nequaquam feminæ repudiare potuerunt conjugem, quum in ejus erant potestate, id est, quum nuptiis viro conjungebantur *coëmptione, confarreatione*, vel *praescriptione;* sin aliter, repudiare eis permittebatur, nec non etiam pater uxoris, qui marito repudii libellum mittebat (18); hic verba *Montesquieu* in medium adferre præplacet (19): » *Un père pouvait chez les Romains obliger sa fille à répudier son mari, quoiqu'il eut lui-même consenti au mariage. Mais il est contre la nature que le Divorce soit mis entre les mains d'un tiers, si le Divorce est conforme à la nature*, *il ne l'est que lorsque les deux parties, ou au moins une d'elles, y consentent;* ET LORSQUE NI L'UNE NI L'AUTRE N'Y CONSENTENT, C'EST UN MONSTRE QUE LE DIVORCE." Non quidem filii aut filiæ consensu indigebat pater; leges positivæ (20) jus illud ordinaverunt, ita ut

(15) *Brower*, de jure connub. 11, 31. — *Hein.*, antiq. rom. lib. 1. adp. § 45.
(16) *Plutarchus* in vitâ Marii. — *Valer. Maxim.* lib. 8.
(17) *Plutarchus* in vitâ Romuli.
(18) L. 5; cod. de repud. et judic. de morib. oblato.
(19) Esprit des lois, liv. 26, art. 3.
(20) Tit. pand. de liber. exhib. — (lib. 43, tit. 3. ff.)

quum pater liberum vindicabat, prætor solum inquireret, an esset *filius-familias* (21); quod primum ab Antonio prohibitum est (22).

Facultas Divortii proprie dicti e lege XII. tabb. oritur; nam ab ipso momento, quo maritus ac uxor repudium instituere poterant, a fortiori mutuâ voluntate, mutuo consensu sese disjungere eis licebat (23); in illo casu nullas adhibere debuerunt rationes: » *C'est que par la nature de la chose*, perhibet Montesquieu (24), *il faut des causes pour la répudiation, et qu'il n'en faut point pour le Divorce, parce que là où la loi établit des causes qui peuvent rompre le mariage, l'incompatibilité mutuelle est la plus forte de toutes.*" Quamvis plurimi scriptores, et oratores (in senatu gallico) exposuerunt, quam perniciosum sit, lege talem sancire doctrinam (25).

§ XX. — Principium tamen indissolubilitatis conjugii Romæ viguit, et religionis ritu fulciebatur; nempe quum *confarreatione* institutum erat matrimonium. Postquam auspicatæ essent familiæ, uxor futura a Patre aut Tutore ad Pontificem deducebatur, præsentibus decem testibus; Pontifex uxorem solemni traditione in mariti potestatem tradens, partium jungens manus, in duabus sellis connexis et alba ovis pelle tectis, novos jussit sedere conjuges; farrem pium, id est libum farreum, Jovi obtulit, et sacris verbis matrimonium sancivit (26), quod nullâ ratione disrumpi poterat; maximâ morum corruptelâ res tam sacra dissolvi debuit, et minime mirificum, si populus odio Carvilium Rugam persecutus sit. Postquam majora bella Roma sustinuerat, et longinquas in regiones miserat exercitus, vastitatem in republicâ animadvertêre censores; universo itaque convocato populo, ab omnibus civibus juramentum expostulârunt, quo liberos procreare adstricti

---

(21) *Brower*, de jure conn. lib. 1, cap. 7, § 3 et seqq.
(22) Id. ibidem, § 7.
(23) *Montesquieu*, esp. des lois, liv. 16, chap. 16. (24) Id. Ibid.
(25) Discours contre le Divorce, prononcé au Tribunat, par *Carrion-Nissas*.
(26) *Trekell.* ad *Brissonium* de ritu nuptiarum. — Confer quoque *Bouchaud* sur la loi des douze tables.

erant. Sub prætextu itaque juraminis Carvilius Ruga (27), anno 523, aut 525 Urbis conditæ, consulibus, secundum *Gellium*, M. Attilio atque Valerio, uxorem quam maximo prosequebatur amore, ob sterilitatem repudiare cogebatur (28).

Quæstio hic oritur, an postea, jure romano, legaliter concessum fuerit divortium ob sterilitatem? Contendunt auctores; jurisconsultus Hermogenianus divortium adprobat » ob sterilitatem, propter quam matrimonium commode retinere non potest." Seneca autem, de muliere torta, quam intra quinquennium non parientem, sterilitatis nomine maritus dimiserat, (controvers. lib. 2, cap. 5.) » exspecta, *inquit*, potest parere; non respondet ad propositum, nec ad certum diem fœcunditas, sui juris rerum natura est; modo properat, ac vota præcurrit, modo lenta est ac demoratur." Apparet autem sæpius ob hanc causam conjuges sese disjunxisse tam Romæ, quam postmodo in Gallia (29). Justinianus tamen repudium uxori permisit, si maritus consummando, uti dicunt auctores, matrimonio impar fuerit (30).

Ad dissolvendas nuptias, aliud adhuc impedimentem obstabat; confarreationis enim dissolutionem a Pontificibus obtinere debuerunt; at civilia reipublicæ munera jamjam miscebantur cum officiis collegii Pontificum; atque religio ambitionis publicorumque honorum contentionis hac tempestate præcipuum fuit instrumentum. Obedierunt templorum Ministri; *diffarreationem* invenerunt, cujus lugubres solemnitates, cœlestem quasi denotant indignationem, et tristes avertunt effectus (31).

Plerique antiquiores auctores referunt primum a parte Carvilii Rugæ exstitisse Divortii exemplum; quod plures alii attamen inter

---

(27) Ab aliis vocatur *Spurius Corbilius*; ab aliis *Servilius Carbilius*, vel *Corvilius*, filius *Corvilii Maximi*, (vide dict. hist. de *Feller*, v°. *Carvilius.*) — (*Rollin*, hist. rom. liv. 12, § 1.)

(28) *Gellius*, lib. 4, cap. 3. — *Dionis. Halic.* lib. 2. — *Valer. Max.*, lib. 2, cap. 4.

(29) *Fevret* de l'abus, liv. 5, chap. 4, § 3. — *Plato*, de legibus, lib. 6.

(30) Confer ulterius § 21 hujus commentationis.

(31) *Plutarchus*, in quæst. rom., cap. 49. — V. *Festum*, v°. *diffarreatio*; à quo solemnitates describuntur.

recentiores inpugnant, et præsertim *Montesquieu* et *Brower* (32); Heineccius autem ultimi argumenta respuit, ulteriorem probationem inutilem existimans (33). *Montesquieu* (34) nullas dubitandi rationes attulit, nisi quod res minime verisimilis sit; optimi commentatores sententiam nostram stabilierunt (35).

§ XXI. — Divortio Carvilii facto, atque iram populi excitante, quanquam necessitate coactus fuisset (36), longum effluxit temporis spatium, antequam alia exstiterint: » *Sp. Carvilius Ruga*, ait Rollin, *répudia sa femme, qu'il amait pourtant beaucoup, uniquement pour cause de stérilité; à quoi il se détermina par respect pour le serment qu'il avait prêté comme les autres de se marier pour avoir des enfans, et donner des sujets à la République. Quoique ce fut par une espèce de nécessité, et après avoir pris conseil de ses amis, qu'il en eut usé de la sorte, cette action fut généralement improuvée, et le rendit extrêmement odieux.*" Frequentiora fuere divortia, quum morum imperium detrusum fuit majori mercium copiâ, funestisque victoriarum fructibus; nec valuit amplius præclarum illud a Montesquieu: » *Rome était un vaisseau tenu par deux ancres dans la tempête, la religion et les mœurs*" (37). Diffarreatio quidem, paucis elapsis annis, inutilis facta: ritum enim confarreationis in nuptiis jam obliti fuerant cives; ita ut inter legitimas nuptiarum formulas tempore Ciceronis non amplius referatur (38).

Ipsi vero Pontifices utebantur confarreatione; nunquam in suum favorem diffarreationem adhibere ausi sunt, usque ad Domitianum, qui veluti Pontifex Maximus collegarum matrimonia diffarreatione dissolvi jussit, quæ etiam ab illo momento penitus abolita remansit.

(32) De jure connub. lib. 2, cap. 5.
(33) Comment. ad LL. Papian. — Et antiq. rom. lib. 1, § 45.
(34) Esprit des lois, liv. 16, chap. 16.
(35) *Tertullianus* quoque in lib. de Monoch.
(36) *Rollin*, hist. romaine, liv. 12, § 1.
(37) Esprit des lois, liv. 8, chap. 11.
(38) *Cicero*, pro Flacco, cap. 34. — *Hein.* antiq. lib. 1, tit. 10.

Conjugii vincula faciliori tamen modo resolvi potuerunt; quum nempe nuptiæ non confarreatione, sed *coëmptione* vel *praescriptione* celebratæ fuerant. In coëmptione uxor in familiâ viri venit, et maritus aliquo nummo feminæ emancipationem obtinet; si postea nuptias rumpere cupit, *remancipatione* utitur, quâ uxorem tanquam rem suam e potestate dimittit: eædem fere solemnitates obtinebant locum, ac in emancipatione filiæ (39).

In posteriori modo, non quidem magistratus aderat, ut institueretur repudium; per L. XII. tabb. vir maritalem acquirebat potestatem per anni spatium, *si uxor non tribus abfuisset subsequentibus noctibus*. Pothier tamen observat (40) : » minime verum » esse, quod e lege illâ nuptias inire licuerit per præscriptionem; » at in matrimonio, quod non maritalem tradidit potestatem, » præscriptione eam obtineri potuisse." Ad repudium ideo solas denuo remancipationis solemnitates adhibebant.

Duobus istis divertendi mediis sæpissime usi sunt cives; sicque confarreatione penitus relictâ, nulli tandem repudiorum limites superstiterunt. Tanto malo impedimenta quædam atque fræna adferre conati sunt censores; infamiâ notarunt maritum, si repudium uxori misit, antequam utriusque conjugis amicis approbatum fuisset; quam ob causam L. Antonium, e senatorum Albo expunxerunt (41). Lege religiosâ non usu abrogatâ, lex decemvirorum remansit, quæ non expresse prohibens repudium, multas solemnitates observari jussit, uti in cæteris maritalis potestatis actibus; ob graves enim et maximas solummodo causas repudiare licuit marito, qui in hoc casu *judicium morum* instituere tenebatur; sin aliter, duris coërcebatur pœnis; mediam partem omnium bonorum uxor obtinebat; altera pars, ut jam diximus, Cereri consecrabatur (42). Sed legem eluserunt; ita *Sulpitius Gallus* conjugi repudium misit, quia non velata in publicum processerat; *Q. Antistius*, quia inhonestam aluerat servam; *Sempro-*

---

(39) *Festus* v°. remancipatum.
(40) Ad duodecim tabb. VI, cap. 5.
(41) *Valer. Maximus.*
(42) *Heinec.* antiq. lib. I, tit. 10.

nius Sophus, quoniam, ignorante viro, spectacula et ludos adierat (43). *Æmilius Paulus* ne quidem rationem reddere voluit, quare uxorem probam, castam ac pulchram domo ejecisset; tantummodo calceum ostendit, dicens » se solum scire, quâ in parte » premebat pedem" (44). Hæc omnia post Carvilii divortium evenerunt (45).

Jam tunc temporis non ullas repudii causas expresserunt; maximâ impudentiâ, et sine aliqua verecundia mariti cum liberto repudii libellum mittere haudquaquam dubitaverunt; Pompeius morum cultor, uxorem Antistiam magnopere diligebat; Sylla autem ipsi in conjugem tradere optabat Æmiliam, filiam Scauri ac Metellæ, suæ tunc temporis uxoris; Æmilia Glabrioni jam nupserat; sed geminata tam cito adhibita sunt repudia, ut Æmilia a Glabrione gravida in Pompeii domum publice deducta sit, antequam partum ediderit. Pompeius postea Muciam, tertiam uxorem, ob pravos in absentia mariti mores repudiavit, et tandem quartam uxorem Juliam, filiam Cæsaris duxit (46).

Sylla summo imperio potitus, in domo festa in honorem Herculis indixit; uxor vero Metella graviter ægrotans, gaudio justa funebria miscere potuisset, itaque conjugem protinus repudians, morbidam a Palatio avertit; paulo post Valeriæ a viro vix disjunctæ nupsit (47).

Cicero, qui teste Heineccio (48), continuo servavit decorum, propter honorum impensas majori laborabat ære alieno; Terentiæ ideo epistolam misit, ut repudiata abiret; et Publiliæ ditiori dote creditores compressit; exstinctâ vero ejus fortunâ, falso usus prætextu Publiliam quoque avertit domo, quia minori adspexerat dolore Tulliæ filiæ ejus funus (49).

(43) *Valerius Maximus*, lib. 6, cap. 3. — *Plutarchus* in problem. 13.
(44) *Plutarch.* in vitâ Æmilii.
(45) *Heinec.* hist. juris, lib. 1, § 117.
(46) *Plutarch.* in vitâ Pompeii. — *Rollin*, hist. rom. liv. 36, § 2 in fine.
(47) *Plutarch.* in vitâ Syllæ. — *Rollin*, hist. rom. liv. 33, § 2.
(48) Antiq. rom. lib. 1, adp. § 45.
(49) *Plutarch.* in vitâ Ciceronis.

Dum uxor itaque maritali potestati non subesset, usque ad legem Juliam de adulterio, nullæ repudiandi observandæ erant solemnitates; sed usu constitutum, ut claves auferret maritus dotemque remitteret (50). Si femina conjugem repudiare vellet, etiam ei claves obtulit (51). Divortium mutuum, proprie dictum, ab omnibus itaque receptum est. Nulla fides; nulli quasi mores populum fortem effecerunt; nondum elapso anno, maritus absentem uxorem exspectans, sæpissime a liberto repudii libellum accepit; quanquam quidam scriptores in dubium revocent, an feminæ e leg. XII. tabb. repudiandi facultatem obtinuerint, ut affirmat *Montesquieu* (52); longo usu potius, secundum alios, sibi jus illud vindicavêre (53). Non verum ergo repudium exstabat a parte uxoris; quum illis temporibus per *mancipationem*, aut per *praescriptionem*, mariti in uxores potestatem assequi desiverant, nullum superfuit eas repetendi medium (54). Non aliter explicatur, quamobrem absque quâdam ratione uxores virum repudiaverunt: Cælius, in epistola Ciceronis (55), » Paula Valeria, » soror Triarii, *inquit*, divortium *sine causâ*, quo die vir e » provincia venturus erat, fecit; nuptura est Decimo Bruto."

En miseri Sp. Carvilii Rugæ repudii effectus, quod censores quidem inconsulte jusserant; at populus Romanus mores posthabuit gloriæ, cujus maximum tamen olim fuerunt fundamentum.

Postquam Augustus Jani templum clauserat, spes forte superfuit bonis civibus, ut nimiam coërceret licentiam; quid autem optare potuerunt a principe, qui publicas contemnere mores minime dubitaverat? eodem die, quo uxor ejus Scribonia Juliam nimis celebrem edit, a conjuge repudiatur; Liviam etenim licet gravidam Princeps ducere cupiit, sed Pontifices *consulti per lu-*

---

(50) *Cic.* Philipp. II.
(51) » *Mulier offensa claves remisit, et domum paternam revertit.*" Ambros. ep. 5.
(52) Esprit des lois, liv. 16, chap. 16.
(53) *Brower*, de jure connub. II, 31.
(54) *Pilati*, lois polit. chap. 14.
(55) Epist. ad famil. lib. 8, epist. 10.

dibrium (ut ait Tacitus, ann. lib. 10), *an concepto necdum edito partu, rite nuberet*, repudiandi veniam (quam non raro in omnibus fere rebus ob potentiæ metum concedebant) facile obtulerunt; Tiberius Liviæ maritus protinus *remancipationem* confecit, omniaque in Augustum transtulit jura (56).

Attamen Augustus legem adversus divertendi libertatem sanxit, quæ inter LL. Papinianas scribitur. Non inutile erit adspectu, an illæ revera fræna impedimentaque fuerint mali: antequam vero progrediamur ex auctoribus eorumdem temporum quædam in medium conferre præplacet, quibus triste malorum spectaculum absolvere possimus. Audiamus inprimis Juvenalem, non veritatem celantem:

» Cur desiderio Bibulæ, *inquit*, Sertorius ardet?
» Si verum excutias, facies, non uxor amatur.
» Tres rugæ subeant, et se cutis arida laxet;
» Fiant obscuri dentes, oculique minores;
» Collige sarcinulas, dicet *libertus*, et exi;
» Jam gravis es *nobis*, ut sæpe emungeris! exi
» Ocyus, et propera; sicco venit altera naso.
» — Imperat (ergo) viro: sed mox hæc regna relinquit,
» Permutatque domos, et flamea conterit; inde
» Advolat, et spreti repetit vestigia lecti.
» Ornatas paulo ante fores, pendentia linquit
» Vela domus, et adhuc virides in limine ramos.
» Sic crescit numerus; sic fiunt octo mariti,
» Quinque per autumnos: *titulo res digna sepulchri*." (57)

Neque hæc hyperbolice dicta credideris; Seneca testatur suâ ætate, e familia etiam patriciorum feminas non consulum, sed maritorum numero annos suos computare, virisque nubere, ut diverterent, atque divortium conficere, ut denuo nuberent; nec novo conjugio satiari, sed adulteria continuo accumulare (58).

(56) *Rollin*, hist. rom. liv. 50, § 3. (57) *Juvenalis*, sat. 6.
(58) *Seneca*, de beneficiis, lib. 3, cap. 16. — *Gibbon*, hist. rom. chap. 44.

Ulterius inspiciantur epigrammata Martialis (59). An vero hæc matrimonia vocaveris? Quid est enim aliud quam corruptela publica, quam summa luxuria; tum temporis vix mores supererant, ita ut exclamet Martialis:

» Quæ nubit toties, non nubit, *adultera lege est.*"

Velut auctores, sic leges non divortiis tantum, sed et secundis quidem nuptiis parum laudis tribuerunt; *matre*, inquiunt, *jam secundis nuptiis funestatâ.* Tunc rarum, mulierem invenire, cui unus suffecit maritus; Horatius ideo univiram laudat conjugem:

Unico gaudens mulier marito
Procedat. . . . . (60).

et alio loco (61) exprobrans luxuriam:

Fæcunda, ait, *culpae saecula nuptias*
Primum inquinavere, et genus, et domos.

Quamvis longius provexerant facinora, pudicitiæ bonisque moribus laus tribuebatur, et honore apud posteros completa femina, cujus tumulo recte inscribi poterat:

» Conjugi piæ, inclytæ, *univirae.*"

§ XXII. — Antequam primas exponam leges Imperatorum, quæ tristes quosdam divortii effectus coërcuerunt, dispositiones ab Augusto collatas ob oculos subjiciam.

Nullatenus tamen princeps dissolvendi nuptias desiderium repressit; formas, solemnitates ac consectaria tantummodo ordinare studuit. Perspicuitatis itaque gratiâ leges Papinianas ab Heineccio in Commentario ad legem Juliam et Papiam Poppæam, in ordinem relatas, exponere malumus, in quantum adversus divortia, aut de iis quidquam complectuntur.

Leges Papinianæ non confundendæ veniunt cum legibus Julianæis, quæ nunquam in usu fuisse videntur: Augustus easdem anno 736 urb. cond. senatui obtulit, qui sanciret; anno verum sequenti promulgatæ sunt a senatu, licet a populo non receptæ;

---

(59) *Martialis*, lib. 8, epigram. 6. — Et lib. 9, epigram. 79.
(60) *Horatius*, carm. lib. 3, ode 14. (61) Carm. lib. 3, ode 6.

Augustus vim adhibere conatus est, sed milites civibus superati, nec unquam leges executioni mandatæ.

Annis viginti elapsis, lata est lex *Julia;* paulo post obvenit lex *Papia Poppaea*, quæ anteriores complectebatur dispositiones de matrimonio; a consulibus ejusdem anni nomen obtinuit, et in comitiis populi romani anni 762 urb. conditæ (62) sancita reperitur; sæpe simpliciter vocabatur *lex* propter innumeras in diversa jura dispositiones, et varias de jure civili decisiones, quæ exinde in posterum ortæ sunt (63): a jurisperitis nomen legum Papinianarum accepit.

Ipsarum 34[i] capitis secunda dispositio divortii solemnitates aut formulas stabilivit; id saltem autumarunt commentatores; caput legis Juliæ de adulterio, quod formulas ordinabat, inter leges Julianæas scriptum fuisse putant (64); solemnitates autem e legg. XII. tabb. introductæ, desuetudine abrogatæ erant; solus conjugum consensus efficiebat dissolutionem (65); sicque sæpius divortia instituebantur, quoniam facilius celari poterant (66); quâ ratione pedetentim pœnas in cælibes eluserunt simul et legum jussa nuptias, et primo rupto conjugio, novas ineundi nuptias. Tum legibus Pap. præscriptum ut præsentibus septem, puberibus romanis, testibus atque cum liberto, qui repudii libellum adferebat, fieret divortium (67); alias adhuc adhibendas fuisse solemnitates apparet ex l. unicâ ff. *unde vir et uxor*.

Nuptiarum contractus confringendus; *tabulas quoque fregerat*, ait poëta (68); ac in acta publica referendum divortium (69); certa a conjugibus pronuncianda formula, nempe: *tuas res tibi habeto;* vel, *tuas res tibi agito* (inspiciantur idcirco l. 2; § 1 ff. de Div. et Repud. et l. 9 ff. eod.) Ante Augusti ditionem unus vel alter conjugum pœnam subibat. Quum dissolutio conjugii ob adulte-

(62) *Heineccius* ad leg. Pap. Popp. lib. 1, cap. 3, § 3.
(63) *Gravina*, de legibus, cap. 56.
(64) *Justus Lipsius* in 3 lib. ann. Taciti. *Gothofredus*, in 20 caput leg. Pap.
(65) *Trekell.* ad *Briss.* de adulteriis.
(66) *Suetonius*, in *Augustum*, cap. 34.
(67) *Juvenalis*, sat. 6.
(68) *Juvenalis*, sat. 9.
(69) *Suetonius* in *Caligulam*, cap. 36 in fine.

rium uxoris aut pravos mores, licet adulterio a marito non probato, indicebatur, uxor partem dotis amittebat (70); pars amittenda, prout minus vel magis graves essent causæ divortii, congruenter computabatur (71): Ulpianus ait: » Morum nomine, » graviorum quidem sexta retinentur; leviorum item octava. Gra» viores morum sunt, adulteria tantum; leviores, omnes reli» qui" (72). Matrimonio propter mariti luxuriam dissoluto, ante diem constitutum dotem reddere tenebatur; aut damnum uxori solvere, prout major esset divertendi ratio (73). Si uxorem adulterii ream, domum rursus conduxisset, libidinis tanquam conscius etiam condemnabatur (74).

Maritus et uxor, aut illi, quorum potestati submissi, *actionem morum* habuerunt, quâ etiam infligebantur pœnæ, excepto casu, quo uterque in culpâ hærebat (75), paria enim delicta, mutuâ pensatione solvuntur. Augustus prædictas pœnas mutavit in ll. Pap.; actio tamen morum coram magistratibus competebat conjugibus, sed jam dissoluto connubio (76): uxor ob adulterium sextam dotis partem amittebat, ob alia delicta, et potius crimina, octavam partem. Maritum vero propter graviora facinora totâ dote, et fructibus quatuor ante divortium annorum orbari constitutum fuit (77).

Capite 13° legum Pap. cavetur, ne liberta, quæ per connubium juncta erat patrono, eo invito, nisi hic manumisisset, divortium iniret, etiam si infecunda esset. Sola itaque separatio superest, atque matrimonii remanet fœdus. Conferantur l. 10 et 11 ff. *de Div. et Repud.* — L. 50 ff. *de ritu nuptiarum.* — L. 8, cod. *de operibus libertorum.* — L. unica ff. *unde vir et uxor* (78). Nec etiam servus, absque patroni consensu, divertere potuit, quâ de

(70) *Ulpianus* in fragm. tit. 6, § 12.
(71) L. 11. ff. ad leg. Jul. de adult. — L. 24, cod. de jure dotium.
(72) *Ulpianus*, fragm. tit. 6, § 6, 7, 12. (73) Idem § 15.
(74) L. 11. ff. ad leg. Jul. de adult. — L. 57 in fine ff. de minoribus.
(75) LL. 39 et 47 ff. soluto matrim. quemadmodum dos petatur.
(76) *Heinec.* ad leg. Pap. Popp. lib. 2, cap. 19.
(77) *Cujacius*, ad Pap. l. 39. ff. soluto matrimonio, etc.
(78) *Gravina* de legibus, cap. 16.

re dicit Merlin : » *En général, toutes les fois que le Divorce était fait en fraude d'un tiers, il était nul.*" (79) Innumeris divortiis persona quædam ab omni parte affinitatem obtinebat; familia continuo augebatur, quamvis simul vilescebat; antiquorum autem morum memoriâ prohibente, ne inter affines celebrarentur nuptiæ, caput 31um legum Pap. omnem affinitatem morte et divortio auferri voluit, nisi inter socerem et nurum, inter socrum et generum (80).

Primâ lege Julianâ de maritandis sex tantummodo menses concessi fuerunt, quos intra, facto divortio, alias inirent nuptias; sin minus, velut cœlibes pœnis plectebantur. Postea octodecim menses obtinuerunt ab Augusto in legg. Pap. (81).

Capite 36° cœlibes (etiam vocabantur cœlibes qui primo conjugio per mortem vel divortium rupto, non aliam ducebant uxorem), non aliter hæreditatem, legatum, etc. acquirebant, nisi successuri essent (*au degré successible*); id maxime nocebat liberis, qui sæpissime injustis novercis obedire cogebantur; nam pater, ne legata ab extraneis (non parentibus nec affinibus, quorum esset hæres) conscripta amitteret, aliam assumebat conjugem; quanquam illud propriæ felicitati, familiæ, liberisque inutile, imo perniciosum eveniebat. Quidquid sit, Augustus nequaquam divortia interdixit; nubendi solummodo incitamenta præbuit; atque earumdem legum óccasione sequentia observat sagax scriptor (82): » *La plus douce des liaisons humaines était devenue* UNE ASSOCIATION PASSAGÈRE D'INTÉRÊT OU DE PLAISIR. *Auguste pressa inutilement les Romains de se marier, leur répugnance générale attesta le vice de ses lois; cette expérience si libre et si complette des Romains démontre, malgré la théorie spécieuse formée sur cet objet, que la* LIBERTÉ DU DIVORCE EST CONTRAIRE A LA PROSPÉRITÉ DE L'ÉTAT ET DES

---

(79) Répert. univ. de jurispr. v°. *Divorce*, sect. 2, N° unique.
(80) *Heinecc.* ad leg. Pap. Popp. lib. 2, cap. 17.
(81) *Idem*, lib. 2, cap. 5.
(82) *Gibbon*, hist. de la décadence et de la chute de l'empire romain, ch. 44. — V: etiam, chap. 10, (traduction de l'anglais.)

FAMILLES." Et alius (83): » *On voit les Romains, dans les temps postérieurs, ... ne regarder plus le mariage qu'avec une aversion extrême au milieu de toutes les lois qui les protegeaient, et sous les yeux même des censeurs, qui semblaient n'être occupés qu'à en resserrer les liens....... Avec toutes leurs lois, ils détestaient le mariage, et redoutaient la paternité.*"

§ XXIII. — Tribus elapsis sæculis, dum arbitraria legumlatio civium numerum quasi voraverat, omnesque publicæ fortunæ exhauserat fontes, tandem prima locupletiorum rerum spes oritur.

Leges quædam rectæ rationi magis consentaneæ communem felicitatem augere valebant. Imprimis matrimonia sanius constituta lege Imperatoris Constantini, digni tanto principe regni fuêre fundamentum. Totum imperatoris systema in legibus de nuptiis præbet principium, *indissolubilia* esse conjugum vincula: » *Que l'homme ne sépare point ce que Dieu a joint, dit celui qui créa le ciel et la terre par sa parole, et qui fit l'homme à son image*" (84).

Difficile autem e medio corruptionis mores ad tam sublimen reducere doctrinam; a legislatore nisi sagacitatem conatuumque perseverantiam exigere nobis licet. Impedimentorum amplitudo maxime apparet in Constantini agendi normâ; leges, quæ continuo magis ac magis publicam existimationem correxerunt, christianorumque novæ consuetudines paullatim optimis exemplis totum mutarunt imperium.

Duodecim tandem post annos, legumlator dispositionem in divortium sanxit; non penitus proscribere, solum abusus primo inhibere conatus est. Itaque lege anni 331 post Ch. Nat. (85), vetuit quominus uxor absque causâ virum repudiaret: crimen homicidii, veneni aut sepulturæ violationis a marito perpetratum probare tenebatur; aliam ob rationem repudio adhibito, bona

(83) *Filangieri*, science de la législation, liv. 2, chap. 1.
(84) *Bossuet*, histoire univers., au commencement.
(85) L. 1, cod. Theod. de repud. lib. 3, tit. 16.

omnia, gemmæ quidem omnisque suppellex viro in plenam tradenda erant potestatem, ipsaque in insulam deportanda.

Jure ejusdem Constantini maritus repudium instituere valet, quum uxor adulterium commisit, venenum aut libidinis commercium adhibuit; sin non, statim vir dotem restituet; secundæ nuptiæ nullæ erunt, bona novæ uxoris, primæ addicentur. Lege anni 337 imperator aliam adhuc causam divortii concessit; quum nempe maritus per quatuor in militiâ fuisset annos, mulier duci libellum nuptiarum dissolutionis mittere potuit, et justas inire secundas nuptias (86). Aliâ dispositione jussit, ut *judicium morum*, legg. Pap. utrique conjugi tributum, certis solum causis, quas expressit, obtineret locum, nec ab hæredibus institueretur (87).

Imperator vero *Julianus* postmodum leges Papinianas restituit; christianam a civibus abjurari voluit religionem; ita ut uxor ipsam colens repudiari a viro, morumque judicio plecti potuerit (88). Hæ quidem Augusti systematis fuêre reliquiæ. Melioris statûs impedimenta Constantini successores non semper vincere aut, saltem corrigere valuerunt : » *Jusqu'au règne de Justinien*, ait Gibbon (89), *les lois des Princes chrétiens semblent flotter entre la coutume et les vœux de l'église.*" Præcipue incertas delictorum in mores accusationes abrogare nitebantur Romani imperatores; a Juliano enim renovatæ dispositiones, quas jurisconsulti etiam ante Constantinum innumeris jurisprudentiæ intricarunt decisionibus; leges autem quæ libidinem populi frenare deberent, difficillime convalescunt atque constituuntur; sæpe præceps abstrahit torrens molem : nam ipsi Imperatores Theodosius et Valentinians plurimas novasque divertendi rationes in medium proferre coacti sunt (90); non solo conjugum consensu matrimonium dissolvi

---

(86) L. 7, cod. de repud. et jud. de moribus oblato.
(87) L. (anni 349), 1 cod. Theod. de dotibus, lib. 3, tit. 13.
(88) L. (anni 363), 2 cod. Theod. ibid. — V: *Gothofredum* in eamdem legem; atque ipsius orationem in Julianum.
(89) Histoire de la décadence et de chute de l'empire romain, chap. 44.
(90) L. (anni 449) 8 cod. de repud. et jud. de moribus sublato.

potuit, sed legitimo *repudio;* quamvis imperatores plures disjungendi causas concedentes, indissolubilitatem nuptiarum recordati sunt : » Consensu, *aiunt* (91), licita matrimonia posse contrahi,
» contracta *non nisì misso repudio dissolvi precipimus* : solutionem
» etenim matrimonii difficiliorem debere esse, *favor imperat libe-*
» *rorum.*" Eâdem lege, § 1, 2, 3, 4, 5, multas enumeraverunt divortii rationes; attamen pœnas quoque statuerunt, quas subirent qui alias adhibuissent causas : elucidationis gratiâ ipsas dispositiones transcribere malumus, sicque immensa illius tempestatis legumlatio melius apparebit. — § I : » Causas autem re-
» pudii hâc saluberrimâ lege apertius designamus; sicut enim
» sine justâ causâ dissolvi matrimonia justo limite prohibemus;
» ita adversâ necessitate pressum vel pressam *quamvis infausto,*
» attamen necessario auxilio cupimus liberari. — § 2 : Si qua
» igitur maritum suum adulterum, aut homicidam, aut venefi-
» cum, vel certe contra nostrum imperium aliquid molientem,
» vel falsitatis crimine condemnatum invenerit, si sepulchrorum
» dissolutorem, si sacris ædibus aliquid subtrahentem, si latro-
» nem, vel latronum susceptorem, vel abactorem, aut plagiarium,
» vel ad contemptum suî domûsve suæ *ipsâ inspiciente* cum im-
» pudicis mulieribus (quod maxime etiam castas exasparat) cœ-
» tum ineuntem, si suæ vitæ veneno, aut gladio, aut alio simili
» modo insidiantem, si se verberibus (*quae ingenuis aliena sunt*)
» afficientem probaverit, tunc repudii auxilio uti necessario ei
» permittimus libertatem et causas dissidii legibus comprobare.
» — § 3. Vir quoque pari fine claudetur, nec licebit ei sine cau-
» sis apertius designatis propriam repudiare jugalem. Nec ullo
» modo expellat nisi adulteram, veneficam, aut homicidam, aut
» plagiariam, aut sepulchrorum dissolutricem, aut ex sacris ædi-
» bus aliquid subtrahentem, aut latronum fautricem, aut extra-
» neorum virorum, se ignorante, vel nolente, convivia appeten-
» tem, aut ipso invito sine justâ et probabili causâ foris scilicet

(91) Prædictâ lege 8, cod. de repud., etc.

» pernoctantem, vel circensibus, vel theatralibus ludis, vel are-
» narum spectaculis in ipsis locis, in quibus hæc adsolent celebrari,
» se prohibente gaudentem, vel sibi veneno, vel gladio, aut alio
» simili modo insidiatricem vel contra nostrum imperium aliquid
» machinantibus consciam, seu falsitatis se crimini immiscentem
» invenerit, aut manus audaces sibi probaverit ingerentem. Tunc
» enim necessario ei discedendi permittimus facultatem, et causas
» dissidii legibus comprobare. — § 4. Hæc nisi vir et mulier
» observaverint, ultrice providentissimæ legis pœnâ plectuntur.
» Nam mulier si contemptâ lege repudium mittendum esse ten-
» taverit, suam dotem, et ante nuptias donationem amittat, nec
» intra quinquennium nubendi habeat denuo potestatem. Æquum
» est enim eam interim carere connubio, quo se monstravit in-
» dignam. Quod si præter hæc nupserit, erit ipsa quidem infa-
» mis: connubium vero illud nolumus nuncupari. Insuper etiam
» arguendi hoc ipsum volenti concedimus libertatem. Si vero
» causam probaverit intentatam, tunc eam et dotem recuperare,
» et ante nuptias donationem lucro habere, aut legibus vindicare
» censemus, et nubendi post annum ei, (*ne quis de prole dubitet*)
» permittimus facultatem. — § 5. Virum etiam, si mulierem in-
» terdicta arguerit attentantem, tam dotem, quam ante nuptias
» donationem sibi habere seu vindicare, uxoremque, (si velit),
» statim ducere, hâc justâ definitione sancimus. Sin autem aliter
» uxori suæ renunciare voluerit, dotem redhibeat, et ante nup-
» tias donationem amittat."

Diversæ imperatorum Alexandri Severi, Valeriani atque Diocletiani constitutiones in codice inveniuntur, quibus divortii designabant causas, quas propter tum maritus, tum uxor nuptias dissolvere potuerunt. *Montesquieu* (92) legis 8æ supra allatæ originem et quasi e quibusdam dispositionibus rationem explanat. Antequam vero ad Justinianeam legislationem procedamus, auctoris verba in medium adferre nobis non inutile videtur: » *La loi*

(92) Esprit des lois, liv. 19, chap 20.

de Théodose *et de* Valentinien *tira les causes de répudiation des anciennes mœurs, (et de la loi des XII tables, voyez Cic. 2e Philippique), et des manières des Romains. Elle mit au nombre de ces causes, l'action d'un mari qui châtierait sa femme d'une manière indigne d'une personne ingénue; cette cause fut mise dans les lois suivantes* (93); *c'est que les mœurs avaient changé à cet égard; les usages d'Orient avaient pris la place de ceux d'Europe. Le premier Eunuque de l'Impératrice, femme de Justinien second, la menaça, dit l'histoire, de ce châtiment dont on punit les enfants dans les écoles. Il n'y a que des mœurs établies, ou des mœurs qui cherchent à s'établir, qui puissent faire imaginer une pareille chose."*

Alia adhuc quæstio superest; nempe quoddam intra spatium uxor post divortium graviditatem nunciare teneatur? Senatûs-Consulto Planciano, dum imperabat Trajanus, facto, in primo membro statutum fuit, ut mulier parensve, in cujus potestate est, intra 30 dies marito parentive, in cujus potestete is degit, denunciaret, se ex eo prægnantem esse; et maritus tunc vel mitteret custodes ventri, vel exprimeret eam ex se gravidam non esse, quod in judicio disceptatur (94); in principio uxor se prægnantem esse denunciare minime cogi poterat, postea autem actio ad ventris inspectionem marito concessa est per rescriptum *Marci Aurelii* (95); Senatûs-Consulto, tempore *Adriani* instituto, maritus liberum, *stante matrimonio* natum, agnoscere debuit (96).

§ XXIV. — Jam sæpius diximus imperatores magna invenisse impedimenta, quominus omnes divortii ac repudii causas auferrent, atque nuptiarum solutionem ante mortem unius vel alterius conjugis abrogare, indissolubilitatemque legibus sancire possent. Justinianus itaque (quanquam virtutis imperium stabilire desiderabat), quum leges Principum christianorum in codicem collegit,

---

(93) Novellæ 117, cap. 14.

(94) L. 1. ff. de agnoscendis et alendis lib, etc. — *Gravina*, de leg. 63. — *Voet*, ad ff. lib. 25, tit. 3, No 1.

(95) L. 1. ff. de insp. ventr. *Noodt*; *Julius Paulus*, sive de partûs expos. cap. 5. (96) L. 9, cod. de patriâ potestate.

plurimas tamen divertendi servavit rationes; sed maximam intendit emendationem morum, quoniam lege anni 528 (97), judicium de moribus penitus abrogavit. Postea, anno 536, germanis divortii ordinatis causis (98), anno 541 (99) ultimum de Divortiis et Repudiis legumlationis statum stabilivit. Explicationes itaque offerre conabimur, quapropter longo temporis spatio Justiniani steterint leges, et quidem sæpe apud Europæas gentes in posterum quasi separationis a thoro et mensâ fuerint fundamentum.

A Justiniano recta divertendi causarum instituta est distinctio; nempe tres sine quâdam pœnâ (100): *prima*, impotentia naturalis unius conjugis: initio rerum uxor per biennium exspectare debuit, antequam ob impotentiam diverteret (101); postea vero per triennium exspectare jussit imperator (102); nullum quoque in hoc casu amittendæ dotis periculum; quas propter Justiniani constitutiones *Montesquieu* jocari videtur, sed recte (103); » *Il ne faut point faire de changement dans une loi,* ait, *sans une raison suffisante. Justinien ordonna qu'un mari pourrait être répudié, si pendant* deux *ans il n'avait pu consommer le mariage. Il changea sa loi, et donna* trois *ans au* pauvre malheureux. *Mais dans un cas pareil, deux ans valent trois, et trois n'en valent pas plus que deux.*" Id quidem immerito nuptiarum dissolutionis vocatur causa; potius *nullitas* est, quæ postea cum cæteris conjugii impedimentis (*empéchemens dirimans*) recepta fuit: nam non dicere licet disruptas esse nuptias, quum probatur nullas exstitisse; nondum recta tunc temporis noscebatur distinctio *rescissionem* inter et *dissolutionem;* exinde enim evenit, quod *mors naturalis* unius conjugis inter divortii causas numeraretur (104).

---

(97) L. penult. § 2, cod. de repud. et jud. de moribus sublato. — *Perezius,* ad hoc tit. § 11.
(98) Nov. 22, cap. 15.
(99) Novella 117, cap. 8 et seqq.
(100) Nov. 117, cap. 12.
(101) L. 10, cod. de repudiis.
(102) Auth. *sed hodie*, cod. de repud. et jud. de morib. sublato.
(103) Esprit des lois, liv. 29, chap. 14.
(104) *Brower*, de jure connub. lib. 2, cap. 31, § 1.

Secunda autem causa, vita in monasterio unius vel alterius conjugum (105); prava erat interpretatio ecclesiasticæ doctrinæ; postea vero ad saniorem reverterunt opinionem. Optimi auctores hanc dispositionem, non ullâ bonâ ratione nitentem, merito oppugnârunt, inter quos sapientissimus legum interpres eminet (106): » *La loi de Justinien*, inquit, *qui mit parmi les causes de Divorce le consentement du mari et de la femme d'entrer dans le monastère, s'éloignait entièrement des principes des lois civiles. Il est naturel que des causes de Divorce tirent leur origine de certains empêchemens qu'on ne devait pas prévoir avant le mariage: mais ce désir de garder la chasteté pouvait être prévu, puisqu'il est en nous. Cette loi favorise l'inconstance dans un état qui de sa nature est perpétuel; elle choque le principe fondamental du Divorce, qui ne souffre la dissolution du mariage que dans l'espérance d'un autre; enfin, à suivre les idées religieuses, elle ne fait que donner des victimes à Dieu sans sacrifice.*"

Tertia tandem causa, absque pœnâ, obvenit *captivitas*. Jure Romano tribus modis status mutabatur, cives enim *libertatem*, *civitatem*, sive *familiam* amittebant; quod vocabatur, *capite minui* (107). Si familiam amittebant, non ideo matrimonii rumpebantur vincula; si civitatem, quod deportatione fiebat, imprimis *ipso jure* dissolvi conjugium existimaverunt; sed postea solum *causa* divertendi remansit; Ulpianus dicit (108): » Quod si de- » portata sit filiafamilias, Marcellus ait: (quæ sententia et vera » est), non utique deportatione dissolvi matrimonium; nam cum » libera mulier remaneat, nihil prohibet, et virum mariti affec- » tionem, et mulierem uxoris animum retinere. Si igitur eo » animo mulier fuerit, ut discedere a marito velit, ait Marcel- » lus, tunc patrem de dote acturum."

Quod attinet amissionem libertatis, tum ipso jure nuptiæ dis-

---

(105) Nov. 22, cap. 5.
(106) *Montesquieu*, espr. des lois, liv. 26, chap. 8.
(107) Institut. princ. tit. de cap. diminut.
(108) L. 5, § 1 ff. de bonis damnatorum.

solvebantur; velut si libertus acceptam denuo amitteret libertatem, quam veluti donationem revocare licebat.

Aliâ adhuc servitute conjugium rumpebatur; nempe *servitute poenae;* hæc fictio legis a prætoribus introducta, ut abolitioni pœnæ remedium invenirent. » Ubi commissum erat a cive capi» tale, *ait Noodt* (109), quæsitores non *civem* capite puniebant, » (non enim fas erat); sed non esse civem eum judicabant, qui » capitis condemnatus foret, *servum* appellabant *poenae;* ad ser» vum autem civile jus non pertinebat. Ita, quanquam civis esset, » tamen vitam, quasi servus, amittebat, et in manum carnificis, » velut actoris pœnæ, mancipabatur."

Ex pœnæ servitute maximi tamen errores, regnantibus imperatoribus, irrepserunt; Justinianus eamdem abrogavit, quum divortii rationes sanxit: » Quod prius ex legum severitate, *inquit,* » introductum est, nos clementi cessione resolvimus" (110).

Captivitas apud hostes *servitus* nuncupabatur; servitutis itaque vi ac potentiâ, secundum legg. Romanas, connubium dissolvebatur ipso jure (111); attamen quinque tantum post elapsos annos novas inire nuptias poterant, si incertum esset, an adhuc absens apud hostes vitâ fungeretur (112); Justinianus autem non regulam vigere permisit, quæ sub justitiæ obtentu, maximam occultabat iniquitatem (113): jussitque, ut post quinque annos conjux superstes ad secundas nuptias convertens, nulla exinde commoda percipere posset; *sed unusquisque in suis maneret,* quæ cuncta sanxivit annis 536 et 541 (114). Consuetudinem tandem penitus abrogavit: » Hodie, *ait Imperator,* quantiscumque annis maritus in expedi» tione manserit, mulier sustinere debet, licet neque litteras, » neque responsum ab eo acceperit. Sed si mortuum audierit, » non prius nubat, quam per se, vel per alium, eum sub quo » militabat, adiens interrogaverit, an re verâ mortuus sit: ut

(109) *Noodt*, probabilia juris, lib. 3, cap. 12.
(110) Nov. 22, cap. 8. (111) L. 1. ff. de Divortiis.
(112) L. 6. ff. eod. tit. (113) *Brower*, de jure connub. lib. 2, cap. 31-32.
(114) Nov. 22, cap. 7; et nov. 117. — *Gothofredus*, in nov. 117, cap. 11.

» apud gesta deponatur cum jure jurando, si mortuus sit: quo » subsecuto, *post annum* nubat. Si vero præter hæc nupserit, tam » ipsa, quam qui eam duxerit, velut adulteri puniantur. Sed qui » juraverit, si false jurasse convincatur, militiâ nudatus, decem » libra sauri solvit illi, quem mortuum fuisse mentitus est: eo li- » centiam habente, si voluerit, suam uxorem recipere" (115). *Montesquieu* in præscriptam Justiniani legem observationem præbet, quam adoptare minime nobis fas est: » *Justinien*, ait auctor (116), *avait en vue l'indissolubilité du mariage : mais on peut dire qu'il l'avait trop en vue. Il demandait une preuve positive, lorsqu'une preuve négative suffisait; il exigeait une chose très-difficile, de rendre compte de la destinée d'un homme éloigné et exposé à tant d'accidents; il présume un crime, c'est-à-dire la désertion du mari, lorsqu'il était si naturel de présumer sa mort. Il choquait le bien public, en laissant une femme sans mariage; il choquait l'intérêt particulier en l'exposant à mille dangers."* Quid vero? Nonne regula, quæ ob matrimonii indissolubilitatem semper observanda est, et ab imperatore præscribenda, perniciosum abstulit malum ac tristem abusum? Nonne ipsâ dispositione impediebatur, ne uxor, mariti negotia atque liberos dolose deserens, in miseriâ insultaret viro, erga patriam amoris victimæ? Sed matrimoniis et procreationi favendum! An respublica adeo civibus eget, ut carissima maritorum jura violando, incolarum numerus augeatur? — En tres divertendi rationes, quæ nullas sibimet pœnas traxerunt; solæ erant dissolutionis causæ secundum *Pothier* (117); quem in errore versari existimamus; libidines enim hominum minime Justiniano permiserant, ut alias abrogasset causas; antiquarum etiam memoria legum, quibus facillime instituebatur divortium, non leve erat impedimentum. Imperator tantummodo in omnibus aliis causis pœnas conjugem divertentem subiturum voluit. Concessit, ut uxor repudium viro mitteret ob crimina

(115) Auth. *hodie*, cod. de repud. et jud. de mor. sublato. — Et nov. 117, c. 11.
(116) Esprit des lois, liv. 26, chap. 8.
(117) *In Pandect.* lib. 24, tit. 2, § 16.

capitalia; veluti si maritum adulterum, homicidam, veneficum, vel contra imperium aliquid molientem, vel falsitatis crimine condemnatum invenerit; si sepulchrorum dissolutorem, si sacris ædibus aliquid subtrahentem; si latronem vel latronum susceptorem, vel abactorem, aut plagiarium, aut ad contemptum suî domûsve suæ, ipsâ inspiciente, cum impudicis mulieribus cœtum ineuntem, si suæ vitæ veneno aut gladio aut alio simili modo insidiantem probaverit. Ast si maritus flagellis aut fustibus propriam percusserit uxorem, sine aliquâ aliâ legitimarum divortii causarum, solutionem conjugii ex hoc fieri non permisit legislator, ut antea eveniebat: sed maritus ob hujusmodi injuriam tantum ex suis bonis, etiam manente matrimonio, dare cogebatur, quantum *tertia* pars antenuptialis facit largitatis (118).

Marito divortium concedebatur ob adulterium uxoris; vel si illa commune cum viris lavacrum libidinis causâ fuerat ingressa; si extra ædes sine causâ alibi mansisset, quam apud parentes; si marito insidias parasset, vel ab alio paratas celasset; ob crimen læsæ majestatis ab uxore perpetratum; si uxor ex industriâ et odio mariti abortum fecisset; aut vivente viro, alium de matrimonio compellasset; si ignorante aut prohibente viro lusui ad spectandum interfuisset (119). In his omnibus casibus pœnas etiam pecuniarias uxori inferre potuit maritus, quas tamen retributiones communibus liberis conservare tenebatur.

Divortio autem facto, apud quem liberi educandi? — Lege codicis (120) quæstio resolvitur: hic enim statutum, ut si pater divertendi rationem præstiterit, apud matrem ad secundas nuptias non transeuntem, liberi nutriantur *patris expensis*; si contra, tum apud patrem matris locupletis expensis: nisi pater minus idoneus sit (121). Graviores tamen statuebantur pœnæ, quum

(118) L. 8, § 2 et auth. *sed novo*, cod. de repud. et jud. de mor., etc. — Nov. 117, cap. 9 et 14.

(119) Nov. 117, cap. 8. — *Perezius*, ad cod. lib. 5, tit. 17, § 5.

(120) L. unica, cod. *div. facto, quemadmodum lib.*, *etc.* — Auth. *si pater*, eod. tit.

(121) Id etiam sancitum in nov. 117, cap. 7.

injustum aut illegitimum esset divortium, id est, ob alias quam lege præscriptas causas institutum.

Pœnæ uxori irrogandæ sequentes obveniunt: viro dare dotem tenebatur, communibus liberis conservandam; si non liberos habebat, lucrum fiebat marito; uxor vero in monasterio per reliquam vitam consistebat; tertia pars propriorum bonorum monasterio tribuebatur, et superstes filiis; si filios nullos habebat, sed parentes, tum duas partes obtinebat monasterium; si autem injusto repudio sese conjuges disjunxerint, vel nec liberi nec parentes essent, tota monasterio obveniebat substantia (122). Alia anteriori lege (123) uxori post quinquennium solum novas ineundi nuptias concessa facultas, *quia se connubio indignam praestiterat*, quod inposterum nihilominus mutatum fuit (124); et conjux, ut diximus, per totam vitam in monasterio remanebat. Attamen adulteram uxorem maritus per biennium recipere potuit, justo denuo vigente conjugio (125): licet ante Justinianum, ut supra exponitur § XXII, maritus conjugem ob adulterium repudiatam recipiens, criminis uxoris particeps judicatus, condemnationis pœnam subiret (126).

E contra si maritus absque uxoris culpâ, vel ob diversam ac lege præscriptam rationem divortium instituerat, vel ipse culpam adversus innocentem perpetrarat mulierem, dotem simul et donationem matrimonii occasione factam reddere, et nulla existente donatione, quartam omnium propriorum bonorum uxori et liberis concedendi incumbebat necessitas (127).

Tandem Justinianus primus divortium proprie dictum, id est mutuum, omnino prohibuit; quâ de re perlegendæ veniunt, Novella 117, cap. 10; Nov. 134, cap. 11; et auth. *quod hodie*, cod. de repudiis, quam ex Nov. 117ª desumptam reperimus.

(122) Nov. 117, cap. 13. — Nov. 134, cap. 10. — Nov. 22, cap. 16 - 19.
(123) L. 8, § 4, cod. de repud. et jud. de mor. sublato.
(124) Nov. 117, cap. 13. (125) Nov. 134, cap. 10.
(126) L. 37 in fine, ff. de minoribus. — L. 11, § 13, ff. ad leg. Juliam de adult.
(127) L. 11., § 1, cod. de repud. et jud. de mor. etc.

Invitis imperatoris constitutionibus mutuo a conjugibus facto divortio, in monasterium mittebantur, cui bona ipsorum addicerentur, exceptâ quartâ liberorum legitimâ (128).

Justinus, nepos atque successor Justiniani rursus mutuam restituit divertendi libertatem (129); quam dispositionem Gothofredus non nisi injustam et injustissimam nuncupat. Omnes pœnas in hujusmodi divertentes abstulit imperator, et antiquum renovavit jus anno 556.

Longo effluxo temporis spatio, divortium denique proscriptum fuisse videtur, regnante forsitan imperatore Leone (130); ac ille exstitit de divortiis romanæ jurisprudentiæ status ultimus.

CAPUT QUINTUM.

JUS GERMANORUM GALLORUMQUE.

§ XXV. — Codex Justiniani, qui ultimam romanæ legumlationis sortem stabilivit, initio sæculi sexti in oriente promulgatus est, et trecentis quidem annis post mortem ipsius imperatoris viguit (1). In occidentali Europæ parte sæculo sexto jus romanum nequaquam observabatur; barbarorum jamjam leges, Gothorum nempe, Vandalorum, Lombardorum, Hunnorum atque Francorum, illarum regionum incolas gubernabant. Quum extranei vero isti cuncta fere occupavêre regna Europæ, codex Theodosianus adhuc vigebat; novus tunc temporis legum ordo invaluit, cujus origo in ipsorum Domitorum moribus, e silvis

(128) Novella 134, cap. 11. (129) Novella 140.
(130) Vide: *Le nouveau Denisart*, v°. *Divorce*.

(1) Histoire du droit romain, par *Ferrière*, chap. 26 - 27.

Germaniæ obtentis, facile animadvertitur. Omnes jurisconsulti atque commentatores in celebris auctoris scriptis primos Germanorum mores et veras consuetudines invenire conati sunt; Heineccium vero Taciti verba nimis extendisse credimus, quum refert etiam, nondum cognitâ christianâ doctrinâ, a Germanis dissolutionem matrimonii morte tantum unius ex conjugibus receptam fuisse (2); textum scriptoris in medium conferre sufficit, ut comprobemus Tacitum solummodo de feminis esse locutum: » Ne se mulier, *ait* (3), extra virtutum cogitationes extraque bel- » lorum casus, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur, » venire se laborum periculorum sociam, *sic vivendum, sic pe-* » *reundum*...... Melius quidem adhuc eæ civitates, in quibus » *tantum virgines nubunt, et cum spe votoque uxoris semel tran-* » *sigitur.* Sic unum accipiunt maritum, quo modo unum corpus, » unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, » ne tanquam maritum, sed tanquam matrimonium ament." Potius dicitur mutuum divortium non admissum fuisse; sed soli marito, ex *jure fortioris*, competiisse repudium: initio quidem vitæ ac necis potestas viris pertinebat, quæ ad graviora postea delicta restricta, et forsitan ad conjugii fidei violationem. Tandem maritus solummodo repudio uti potuit, et quidem ob solum adulterii crimen (4). Rarissime etiam repudium adhibitum videtur, nam Tacitus mores Germanorum moribus Romanorum opposuit, ut posteriorum nimiam exprobaret luxuriam atque corruptelam: saltem apud priores adulteria rariora, eodem probante auctore: » Severa illic matrimonia; nec ullam morum partem » magis laudaveris. Nam prope soli barbarorum singulis uxori- » bus contenti sunt, exceptis admodum paucis; qui non libidine, » sed ob nobilitatem, plurimis nuptiis ambiuntur. — Ergo septâ » pudicitiâ agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis convi- » viorum irritationibus corruptæ. — Paucissima in tam numerosa

(2) *Heineccius*, jus german. lib. 1, cap. 14, § 319.
(3) *Tacitus* de moribus germanorum, Nis 19 - 20.
(4) *Heineccius*, jus germanorum, lib. 1, cap. 14, § 320.

» gente adulteria, quorum pœna præsens, et maritis permissa,
» Accisis crinibus nudatam, coram propinquis, expellit domo
» maritus, ac per omnem vicum verbere agit: publicatæ enim
» pudicitiæ nulla venia: non formâ, non ætate, non opibus ma-
» ritum invenerit. Nemo enim illic *vitia ridet:* nec corrumpere
» et corrumpi sæculum vocatur; plusque ibi boni mores valent,
» quam alibi bonæ leges." (5)

§ XXVI. — Legum codices post innumeras exercituum expeditiones iis successerunt consuetudinibus. Codex Alarici in Gallia meridionali, Visigothis submissâ, atque lex Gombetta aut codex Burgundiorum easdem fere adversus divortium dispositiones complectebantur, quas lex Constantini (6). Nulla similis dispositio in lege Salica invenitur, quam Clovis eâdem tempestate publicari jussit. Qui Princeps quum Scaldis ripas cum Francis reliquit, ut Syagrium vinceret, exiguus exercitus paucas Belgii occupabat provincias. Dux Romanorum simul et Franci Ripuarii atque Allemanni passim per cæteras degebant regiones. Hispaniæ Visigothi aquitaniani partem Narbonensem atque Lugdunensem armis tenebant (7).

Clovis difficillime Galliis potiri potuerat; atque diversa ac priores victores, proposita ac consilia simulans, populos concitavit, ut alios sibi eligerent duces: præcedentes vero nequaquam abusi victoriâ, novam penitus captaverant dominationem; tum Romanæ leges, jam nec Constantini Magni, nec Theodosii leges erant; sed in aliis redactæ codicibus a victoribus impositæ et quidem obtrusæ fuerant.

Aliud secutus est Clovis systema, alium assumpsit scopum; sicque dominatoris potentiam callide celans, felicem obtinuit exitum. Religionem Gallorum, ut ita dicam, adoptavit, atque in medium populi tanquam patriæ liberator processit. Pontifex Maxi-

---

(5) *Tacitus* de moribus germanorum, N° 19 - 20.

(6) *Gothofredus* ad L. 1. cod. Theod. de repud. lib. 3, cap. 16. — Histoire du droit romain, par *Ferrière*, chap. 27.

(7) *Gibbon*, décadence de l'empire romain, chap. 38.

mus Anasthasius ideo, et latini Episcopi prosperæ ejus fortunæ favebant (8). Codex Theodosianus jus civile constituens, tam populo, quam Episcopis placuit, tanquam Christianorum Principum opus. Non alium conficere studuit Clovis; nequaquam jus, victis nationibus maxime invisum, curiosius exquirere ausus est; solummodo salicam sanxit legem in usum Francorum, qui ubicunque Principem sequebantur. Omnes ergo persliterunt consuetudines, uti videre est in capitulariis Dagoberti, quæ veniunt nomine legum *Ripuariarum* atque *Allemannarum;* sicque codex Theodosianus commune exstitit jus, et tanquam vera atque antiqua nuptiarum lex remansit. Principis agendi modus coram Episcopis brevi potestatem magis ac magis auxit; facile magnam ecclesiastici ordinis, a Constantino constituti, potentiam et quasi mentem intellexit.

Prima imperii munera astu, fraudibus atque pravissimis in contemptu adducebantur artibus eorumdem, qui ipsa ambiebant. Soli Episcopi a communi abjectione secesserunt, e contra virtutibus, opibus et sæpissime gloriosa nativitatis origine observantiam ac fiduciam civium assecuti sunt; longa conciliorum et synodorum assuetudo arctam ipsorum auctoritatem constrinxit. Clovis non inconsulto animo sæculi sui Conventibus præsidium ac tutelam præbuit, exemplumque sacerdotum insequens, regni Procerum congregationes instituit; duo corpora conjunxit, ut res ordinarent *publicas;* sed unicuique sua propria negotia disponere atque gerere licebat.

Concilia itaque ejusdem tempestatis a generalibus cœtibus nequaquam distinguenda; decreta etiam a rege sanxiebantur; hinc plurima ecclesiastica mandata regis assensum præbent (9). Primum Aurelii concilium eodem anno, quo lex Salica promulganda erat, indictum fuit: omnes regni Episcopi a Clove convocati; res ordinandas eis indixit, inter quas de matrimonio quædam statutæ

(8) *Hénault*, sur la Ire race. — *Gibbon*, décadence de l'empire romain, ch. 38.
(9) *Mémoires du clergé*, vol. 1, liv. 1, chap. 2.

reperiuntur (10). Alterum concilium anno 533 habitum; secundum cujus decretum prohibuit Princeps, ne sub ullo prætextu rumpi possent justæ nuptiæ; sed duobus tantum elapsis sæculis etiam, leges *civiles* Divortii proscriptionem sanxiverunt (11).

Non aliter exortæ sunt leges, quæ nomine *capitulariorum* constituunt codices, quibus Gallia gubernabatur; Episcopi ecclesiasticas, et comites civiles leges in lucem prolatas executioni mandaverunt.

§ XXVII. — Sæculo proximo regni tumultus, hostiumque incursiones jamjam rerum civilium compresserunt ordinem. Pepinus vero cum fratre Carlomanno, Majordomus factus, publicam rem restituere, novamque Principum seriem conficere conatus est; plurima concilia convocavit (12), plurimæque de nuptiis leges in medium collatæ fuerunt: in omnibus itaque temporibus primum et præcipuum viguit principium, formulas conjugii arctissime humanitatis, bonarum artium et *civilisationis* progressui connectari; quæ omnia semper conjunctim procedunt (13). Caput nonum concilii Suessionum denuo prohibuit, ne conjux, vivente altero, novas institueret nuptias; attamen nisi pœnæ canonicæ indictæ fuerunt.

§ XXVIII. — Brevi regno potitus est insignis Princeps, qui inusitatam ob fortitudinem imperii occidentalis restitutor merito appellatur; intendo *Carolum Magnum*. Nobis autem solum cultioris Europæ legislatorem contemplari, et ob oculos offerre permittitur. Optimæ enimvero societatum institutionis, atque educationis liberorum prima fundamenta et principia in Caroli Magni capitulariis occurrunt; capite nempe, post Aquisgrani concilium sancito (14), vetuit, ne mulier a marito repudiata alii nuberet, vivente primo; nec maritus, vivâ uxore, secundæ jungeretur.

---

(10) Hist. ecclés. de *Fleury*, vol. 31, liv. 8. — Confer etiam : *code matrimonial.*
(11) *Mémoires du clergé* prédits, (eod. loco.)
(12) Annis 743, 745, 753, 757 ; vide *Capitulaires de Baluze.*
(13) *Fevret*, de l'abus, liv. 5, chap. 5.
(14) Capitul. anni 789, cap. 42 ; v. *Baluze*, pag. 228.

Cujus legis sanctio a Benedicto Levito conservata est; primis dissolutis nuptiis, si quis altero vivente conjuge, novum confecisset connubium, pœnas adulterii subire coactus fuisset (15).

A legislatore tandem nuptiarum indissolubilitas promulgatur illâ quidem tempestate, in qua gravia vitia majora adhuc barbariei vestigia conferunt; felix autem legumlationis exitus vim atque virtutem regiminis indixerunt. Idem principium per decem remansit sæcula! Quî fieri tamen potuit, ut invidiosi tanta ob beneficia et promerita sapientis Principis, contumeliam imposuerint memoriæ? Nonne potius humanam ejus infirmitatem celare necessarium fuisset, quàm historiæ immutare testimonia, quod quidam morosi effecerunt homines. Nullibi enimvero proditum est, ab imperatore repudiatam esse Himiltrudem; sed Princeps illegitimum ex ea gignit filium; inprimis duxit Hermengardam, quam nunquam repudiavit; ob sterilitatem postea conjugium ejus rescissum invenitur.

Non merito ideo perhibent, primos Franciæ reges adhibuisse divortium; uxores aliquando repudiarunt, sed illegitime, atque ex summa tantum potentia. Plurimi quoque per Pontifices Maximos ab ecclesiæ communione exclusi sunt; quod haud dubie non evenisset, non obstante sæculorum imperitiâ, si discedendi facultas legibus civilibus concessa fuisset.

Carolo Magno præmortuo, aliquorum Franciæ regum nullæ indictæ sunt nuptiæ; sed nec divortium, nec repudium fuit: non unquam matrimonium extitisse intelligebatur.

Initio solummodo rerum divortia a Romanis quibusdam in Gallia adhibita videntur; libellum divortii quidem a *Marculfio* in formulis suis servatum reperimus; ibi legitur: » atque ideo unusquisque ex ipsis, sive ad servitium Dei in monasterio, aut » copulæ matrimonii sociare se voluerit, licentiam habeat" (16). Postmodum autem, veluti supra exposuimus, a Principibus et in conciliis omnino prohibitum, ut cives cultiori institutione dignos sese præberent.

(15) Capitular. lib. 7, cap. 73.

(16) *Marculfius*, lib. 2, cap. 30.

CAPUT SEXTUM.

JUS ECCLESIASTICUM ROMANUM, JUS PROTESTANTIUM, ETC.

§ XXIX. — Caroli Magni familia post breve temporis spatium dilapsa fuit; noni circa finem sæculi proximam jam minabatur ruinam. Capitularia inde obsoleverunt; Duces Comitesque qui ubique regnum instituere conabantur hæreditarium, ut ipsi dominarentur, sua mandata subrogaverunt legibus, quæ invasiones ipsorum ac illegitimam regni occupationem condemnabant. Matrimonii leges communem perniciem, aliarumque rerum exitium assecutæ essent, si executio civili auctoritati credita fuisset: aliis cum canonicis dispositionibus incolumes steterunt: quid omnium admiratione dignius! Quum bonarum artium, scientiarum nec non sanctissimæ morum institutionis monimenta corruerunt, in mediis ruinis nuptiarum indissolubilitatis fundamentum, tanquam pretiosissimæ a Carolo Magno bene conditæ reipublicæ reliquiæ, intemeratum remansit, per sequentiaque perpetuo viguit tempora!

Sæpe dubium autem oriri visum est; aut potius alii dubium obtrudere conati sunt; ecclesiæ doctrinæ defensores plurima argumenta et validissima adhibuerunt, quæ nunquam infirmata sunt, aut infirmabuntur; quæque ab auctore quodam (1) in uno

(1) L'accord de la révélation et de la raison contre le divorce, par M. l'abbé *De Rastignac* (1790.)

eodemque opere collecta inveniuntur; omnia in medium conferre non nostrum est; non vero silere nobis licet locum, ubi loquitur de testimonio celebris *Hincmarii*, noni sæculi oraculi, qui maritum et uxorem, si novas inibant nuptias, adulterium committere perhibet; atque Pontifices supremos, Concilia, ecclesiæ Patres ac Doctores eamdem docuisse doctrinam (2). Præcipuas itaque de jure ecclesiastico quæstiones una cum argumentis colligere et enucleare conabimur.

§ XXX. — Maxima difficultas oriri potuisset de adulterio uxoris; an ipso nempe dissolvantur nuptiæ? Duo sæcula post Photii schisma in Græca ecclesia nubes exoriebantur; itaque adulteterium uxoris tanquam divertendi causa ab eadem ecclesia fuit receptum; catholica vero rationem adulterii omnesque alias proscripsit (3).

An in Polonia doctrinam Græcam vel Romanam receperunt? Longa fuit disceptatio; nullatenus nobis integrum est, ut perdiu diversarum opinionum adhibeamus argumenta; jus positivum nos potius amplectimur; et simpliciter hic saniorem sententiam assumendam existimamus, nempe ibidem legibus et ecclesiasticâ doctrinâ æternitatem matrimonii continuo receptam fuisse; quod optime comprobat *De Rastignac* (4). In alio etiam opere inquiunt scriptores (5): «*Nous ne connaissons point d'église catholique où le divorce ait lieu*, SANS EN EXCEPTER LA POLOGNE." Si quando ibi conjugia rupta inveniuntur, ut aliis in regionibus, ipsa exempla nihil adjuvant, nam dissolvebantur matrimonia, quia *nulla* essent, ob quamdam legitimam rationem, velut consensûs defectum. In opere *Code matrimonial* legitur (6): «*L'usage de la Pologne, loin d'établir que le divorce y est autorisé, démontre le*

(2) L'accord de la révélation et de la raison contre le divorce, par M. l'abbé *De Rastignac* (1790), pag. 211.

(3) Idem, ibidem, § 183. — Histoire de *Bossuet*, publiée depuis sa mort par l'ancien évêque d'Alais, pièces justificatives du vol. IV, n.° 1.

(4) L'ouvrage précité à la note 1, pag. 247.

(5) Les éditeurs de *Denisart* (1787); collect. des décis. nouv., tom. VI, v.° *Divorce*, pag. 568.

(6) Edition de 1770, tom. I, pag. 448.

contraire. Lorsqu'on dissout un mariage contracté par violence, c'est parceque l'on juge qu'il n'y a jamais eu de consentement, et que le consentement étant la base du mariage comme de tout contrat, on juge qu'il n'y a jamais eu de mariage. Dès qu'on ne trouve d'autres moyens pour permettre à deux conjoints dégoûtés de leur société, d'en former une nouvelle, que de déclarer qu'il n'y a jamais eu d'engagement qui les ait liés, c'est une preuve sensible que s'il y avait eu un engagement, il ne pourrait qu'être indissoluble après cela; que les juges soient plus ou moins faciles à admettre les preuves de cette nullité d'engagement, la loi reste toujours la même, le juge peut prévariquer, mais sa prévarication, loin d'abolir la loi, montre la force de son empire, puisqu'il ne peut s'y soustraire que par un crime." Alius scriptor de divortio expresse consultus respondit: »*Le Concile de Trente est reçu en Pologne; cette église n'a point d'autre doctrine sur l'indissolubilité du mariage, que celle de la cession 24 du Concile de Trente, elle fait profession d'être attachée à l'église et d'une parfaite soumission au Saint Siège*" (7).

Ut ad quæstionem de adulterio uxoris revertamus, nexus ex ipso evangelii textu oritur; in capite 19 *Matthaei;* quum Pharisei etenim a J. C. quærebant: » Si licet homini dimittere uxorem » suam quacumque ex causa"; præceptor divinus respondit: » Non » legistis, quia qui fecit hominem, ab initio masculum et femi- » nam fecit eos, et dixit...... erunt duo in carne una; itaque » jam non sunt duo, sed una caro; *quod ergo Deus conjunxit,* » *homo non separet.*" Pharisei autem dixerunt: » quid ergo Moy- » ses mandavit dare libellum repudii, et dimittere"?..... Respondit Christus: » Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri » permisit".... Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit » uxorem suam, *nisi ob fornicationem*, et aliam duxerit, mæcha- » tur; et qui dimissam duxerit, mæchatur" (8). Difficultas ideo in verbis, *nisi ob fornicationem* hæret.

---

(7) *L'abbé Guérin du Rocher*, auteur de l'histoire véritable des temps fabuleux. — Bulla *Benedicti XIV* anni 1741, episcopis Poloniæ missa.

(8) *Mathaeus*, cap. 19, ℣ 3 et seqq.

Rectius dicitur, verba tantum indicare, in adulterii casu uxorem a marito dimitti posse, ut instituatur *separatio a thoro et mensa*, non autem divortium sive repudium. Verba *nisi ob fornicationem*, referuntur ad, *quicunque dimiserit*, non autem ad, *qui aliam duxerit*; et sequenti modo textus intelligendus obvenit: » *quicumque dimiserit uxorem suam* (quod non liceat facere) *nisi ob fornicationem; et qui* (priore dimissâ, sive injuste, sive etiam juste ob ejus fornicationem) *aliam duxerit*, *maechatur*" (9). Eadem difficultas advenit in capite 5, ỳ. 31 - 32 Matthæi...... » Ego » autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, » *exceptâ fornicationis causâ*, facit eam mæchari, et qui dimis» sam duxerit, adulterat." Ibi vero separatio ob adulterium permittitur, et si uxor alium tunc virum ducit, primus maritus non uxoris crimine reus erit. Primis tamen sæculis alia exstitit interpretatio. Concilium Arefatense, (anno 314), in canon. 10 dixit: » de his qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, et ii » sicut adolescentes, et prohibentur nubere; placuit ut in quan» tum potest, *consilium* eis detur, ne viventibus uxoribus, licet » adulteris, alias accipiant." Episcopi itaque prohibere non ausi sunt, ne adulterio uxoris matrimonium dissolveretur. Sed in præcedente concilio anni 305 statutum fuerat sequens: » fidelis » femina quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, et alterum » duxerit, prohibeatur ne nubat: si autem duxerit, non prius » communionem accipiat, quam is, quem reliquerit, se sæculo » exierit, nisi necessitas infirmitatis dare compulerit." Sed idem canon tantum pœnas in uxorem statuit; non de marito egit; eadem tamen ratio adesse videbatur (10). Plurimi ecclesiæ doctores scripsêre matrimonium *adulterio uxoris* dissolvi potuisse; Tertulianus ait (11): » Præter ex causa adulterii nec creator disjunxit » quod ipse scilicet conjunxit." Ita ut ex causa adulterii Deus

---

(9) *Pothier*, traité du contrat de mariage, § 486. — *Andreae Vallensis* paratitla decretalium, lib. 4, tit. 19, § 4.
(10) V: *Basilium*, epistola ad Amphil. can. 9.
(11) L. 4 contra *Marcionem*.

disjungi permittat, quod conjunxit, secundum nostrum auctorem. *Epiphanus*, sæculo quarto (12) divortium ob stuprum et adulterium concessit. Episcopus Asterius eodem sæculo expresse dixit in oratione de sancto Matthæo : » Existimate et omnino vobis » persuadete matrimonia morte tantum et adulterio dirimi." Divus Augustinus tamen conjugii indissolubilitatem etiam in adulterii casu docuit (13) ; ob adulterium unius conjugis solum separationem concedendam credit ; qua de re evangelii verba adhibet (14) : « Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxe» rit, adulterium committit super eam, etc. " Et in Luca (15) : » Omnis qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, mæchatur; » et qui dimissam a viro ducit, mæchatur." Quum evangelium dicit » *omnem* mæchari qui hoc facit, proinde si omnis qui hoc fecerit, » ut uxore sua dimissa alteram ducat, mæchatur; sine dubitatione » ibi sunt ambo, et qui præter causam fornicationis dimittit uxo» rem." (16) Nulla ergo distinctio in evangelio occurrit. Auctor noster adhuc argumenta quærit in Paulo (17) : » Iis qui matrimonio juncti » sunt, *inquit*, præcipio non ego, sed dominus, uxorem a viro » non discedere, quod si dicesserit, MANERE INNUPTAM, aut viro » suo reconciliari : et vir uxorem non dimittat. " Quum Paulus itaque mulieri à viro disjunctæ prohibet, ne novas ineat nuptias, solummodo loquitur de muliere à viro disjuncta ob adulterium ipsius ; nam in nulla alia occasione discedere potuisset.

Uxor adulterum maritum relinquere potest, matrimonium tamen non dissolvitur, nam jubet Paulus feminam si discesserit, *manere innuptam*. Ergo etiam ob uxoris adulterium marito conceditur ut ipsam dimittat, non autem conjugii solvat vincula; utriusque similis esse debet conditio; in pari causa conjuges

---

(12) In lib. adversus hæreses, cap. 59.
(13) Lib. 1 de conjug. adult. ad Pollentium.
(14) *Marcus*, cap. 10 ℣. 11.
(15) *Lucas*, cap. 16 ℣. 18.
(16) *Augustinus*, lib. 1, de conjug. adult., n.° 10.
(17) *Paulus* ad Corinth. 1, cap. 7 ℣. 10.

ambo versantur; » Si par forma est in utroque, *ait Augustinus*, » uterque mæchatur, si se alteri junxerit, etiamsi se a fornicatione disjunxerit; parem vero esse formam in hac causa viri » et mulieris ibi ostendit Apostolus, ubi cum dixisset: uxor » non habet potestatem corporis sui, sed vir, adjecit atque ait: » similiter vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier." Attamen tempore Augustini non omnes consentire potuerant; ipse difficultatem sensit (18) : « In ipsis divinis scripturis ita obscurum est utrum iste qui quidem sine dubio licet adulteram dimittere, adulter tamen habeatur si aliam duxerit, ut quantum » existimo, venialiter ibi quisque fallatur." Illius autem doctrina brevi recepta fuit in conciliis; jamjam in concilio anni 416, præsente S. Augustino sancitam reperimus; postea à Carolo Magno in capitulariis receptam; ubi legitur (19) : Item ex eodem (concilio africano) ut nec uxor à viro dimissa alium accipiat virum, vivente viro suo, nec vir aliam accipiat uxorem, vivente » priore."

Sequentium sæculorum Congregationes similem continuo secutæ sunt doctrinam; inter alia, concilium anni 909, can. 8, perhibet: » Uxor nunquam propter hominem separanda, et si fornicata fuerit, et vir ejus voluerit, dimittenda; sed aliâ vivente, » altera non ducenda, quia adulteri regnum Dei non possidebunt." Omnes quoque ecclesiastici scriptores à sexto inde sæculo idem docuerunt principium, velut Beda; Jonas, episcopus; Hincmar; Paschasius Ratbert, etc. Novum jus canonicum expressis verbis nostram sancit opinionem. Gratianus enim (20), postquam duarum sententiarum diversas attulit rationes, concludit in capite 16 : » His auctoribus evidentissime monstratur, quod » quicumque fornicationis causâ uxorem suam dimiserit, aliam, » illa vivente, ducere non poterit, et si duxerit, reus adulterii » est." Idem statuit jus decretalium, ita ut Alexander III, cap. 5

(18) De fide et operibus, cap. 19. — Et lib. 2, cap. 57, retractationum.
(19) Confer: collection de l'abbé *Andégise*, liv. 1 art. 42.
(20) *Gratiani* decreti pars secunda, causa 32, quæst. 7.

ext. de Divort. jubeat marito qui ob adulterium repudiaret uxorem, et vivente ea, aliam ducere auderet, primam recipere. Anno 1438, in concilio Florentino sub Pontifice Maximo Eugenio IV in omni casu matrimonii indissolubilitas confirmata est; tertium matrimonii characterem indissolubilitas constituit: « Propter hoc, » inquit Eugenius, quod significet indivisibilem conjunctionem » Christi et Ecclesiæ: quamvis autem ex causa fornicationis liceat » thori separationem facere, non tamen aliud matrimonium con» trahere fas est, quum matrimonii vinculum legitime contractum » perpetuum sit (21)." Quæ omnia tandem confirmata sunt in concilio *Tridentino* (anno 1545), sub Paulo III, Julio III et Pio IV; ibi legitur (22): « Si quis dixerit ecclesiam errare cum » docuit et docet juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, » propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non » posse dissolvi; vel etiam innocentem qui causam adulterio non » dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium « contrahere, mæcharique eum qui, dimissâ adulterâ, aliam » duxerit, et eam quæ, dimisso adultero, alii nupserit, ana» thema sit (23)." Quidquid decisum fuit diversis temporibus, vel hodie deciditur, in Gallia ut in patria nostra nunquam conjugii vincula unius alteriusve conjugum adulterii causâ dirempta inveniuntur, teste Pothier (24): « *Quoiqu'il en soit de cette question*, *il n'est pas douteux* in praxi *parmi nous, que lorsqu'un homme s'est fait séparer de sa femme, après l'avoir convaincue d'adultère,* LE LIEN DU MARIAGE EST CENSÉ SUBSISTER, ET FORME UN EMPÊCHEMENT DIRIMANT, *qui rend nul le mariage qu'il contracterait avec un autre, du vivant de celle qu'il a répudiée.*

§ XXXI. — Quid autem dijudicandum de quæstione *impotentiæ?* Non perdiu in commentatione nostra ea de re disceptare

---

(21) Treizième tome des Conciles du père *Labbe*, page 539.
(22) In capite 7, sess. 24.
(23) Confer: *Philiberti Bugnyon* legum abrogatarum tractatum, cum notulis *Francisci Christyn*, lib. 2, syntagm. 214.
(24) Contrat du mariage, §. 497 in fine.

juvat; nam impotentia, si admitti posset, nunquam causa divertendi foret, sed nihil aliud quam nuptiarum *nullitas* (vulgo *empêchement dirimant*); pauca in medium conferre lubet, quoniam Ecclesia Romana aut Pontifices circa eam rem sæpius jus statuerint. Præterea quæstio incerta est, nec explanationis tamen digna; potius nunquam impotentia, vel impotentiæ concedi posset inquisitio, qua conjugii rumperetur fœdus. « *Tout est mystère*, ait Garat, *autour du mystère de la génération; et la raison de l'homme est vaine, là où il ne doit approcher que dans le trouble de ses sens et dans le délire de sa raison.* » (25).

Impotentia difficillime cognoscitur, et quidem non unquam cognosci dicere audemus, nisi membra quædam deficerent; ita ut in omni fere casu impossibile eveniat, ut uxor vel maritus impotens declaretur. Sæpissime exorta est quæstio, *quisnam amborum* procreandi impedimentum conferat? Inspiciatur Brower (26): Sanchez vero rem tanquam theologus atque jurisconsultus inquisivit (27). Sæpe ad probandam impotentiam adhibuerunt inspectionem; sed probatio omnino fallax et lubrica, et quidem indecora et vana, quoniam nunquam certitudine nititur. Etiam quum impotentia agnoscitur, non recta dissolvendi conjugium ratio habetur; quid vero decisum fuerit, inquiritur: « *Dans les premiers siècles du christianisme*, profert adhuc Garat, *les espérances de la foi étaient si vives, le bonheur de l'éternité devenait si proche, que les maux passagers de la terre ne leur paraissaient guère mériter la peine d'être prévenus et évités. Des femmes qui ne trouvaient point dans leurs maris le pouvoir de remplir les devoirs du mariage, offraient au ciel le sacrifice des plaisirs qui étaient attachés à ces devoirs; plusieurs même sans doute se félicitaient d'être condamnées à demeurer vierges entre les bras d'un homme; et*

(25) Répertoire de jurispr: V° *Impuissance.*

(26) De jure connubiorum, tit. de iis qui propter corporis vel animi vitia matrim. arcentur, n.° 17.

(27) *Sanchez*, de matrimonio; diss. 92: An impotentia coëundi et qualis impediat ac dirimat matrimonium subsequens.

ce tourment devait les perfectionner à leurs propres yeux, bien plus encore que les privations du célibat." Sæculo octavo Ecclesia Gallicana contrarium decidit in Conciliis *Verberii* atque *Coucy*; ità ut ob impotentiam nuptiæ nullæ declararentur, sub juramine tamen mariti. Romana Ecclesia, ad exemplar Gallicanæ, id concessit; judicia tamen conditionaliter concedebantur, atque fiduciaria erant (*provisoires*). Postea petitiones curiis superioribus traditæ, et sententiæ *rei judicatæ* auctoritatem assecutæ sunt; *congressus* quoque excogitatus fuit, qui nisi dolosus et insanus.

Pontifex autem Alexander III prohibuit, ne duo conjuges, veniam petentes, nuptias dirimerent, quia «propter naturalem frigiditatem, inquit Pontifex Maximus, aut alia maleficia, Ecclesiam non consueverit legitime conjunctos dividere" (28).

Gregorius IX (29) id parum lenivit, quamvis maximas probationes coëundi impedimenti exegit; sed quânam ratione probationes acquiruntur? . . . . rectè respondetur, solummodò conjecturis impotentiam fulciri; nihilominùs probari voluit, nunquam inposterum malum auferri posse, impedimentumque initio conjugii nequaquam exstitisse; aliter conjuges, veluti frater ac soror communem vitam et communem miseriam pati tenebantur (30).

§ XXXII. — An jure ecclesiastico matrimonium dissolvitur per religionis ingressum? Id est, si alteruter conjugum in monasterium abit? Id quidem (*jure romano*) à Justiniano (31) concedebatur: quod S. Gregorius (32) illegitimum existimans, maximè in eamdem erupit doctrinam: « Si dicunt, *ait*, religionis causâ conjugia debere dissolvi, sciendum est, quia etsi hoc lex humana (id est Justinianea) concessit, lex divina prohibuit etc. » Antè Gregorium Augustinus (33) docuerat ab uno conjuge, si

(28) *Bœhmer*, jus eccles. protest., lib. 4, tit. 15, § 20.
(29) Decretalium, lib. 4, cap. 2 et 4; X de frig. et malef.
(30) *Bœhmer*, loco laudato. — *Voet* ad ff. de divortiis, lib. 24, tit. 2, § 16.
(31) Nov. 22, cap. 5.
(32) Lib. IX, epist. 39; — et epist. 44.
(33) Augustinus ad *Armentarium*, epist. 227; ad *Ectiditiam*, epist. 199.

alter quoque in monasterium non abit, nequaquam dissolvi nuptias: attamen si uterque monasterii vitam elegit, ambo à sesemetipsis jure merito disjungunt, manente nihilominus matrimonii vinculo. Nicolaus primus, Pontifex Maximus, id expresse concessit in epistolâ 48ª (34): « Si amore pudicitiæ, inquit, solu-» tionem matrimonii quæris, hanc tibi nullo pacto noveris tri-» buendam, nisi vir tuus eamdem pudicitiam non ficte sectatus » exstiterit; denique ut cum B. Gregorio dicatur: si continen-» tiam quam vir uxoris non sequitur, aut quam uxor appetit, » vir recusat, dividi conjugium non licet. "

Huic regulæ jure decretalium exceptio introducta est. Ibi nempe distinctio obvenit inter matrimonium *ratum* non autem *consummatum* (coïtu nempe), et *ratum atque simul consummatum:* primum disjungere licet, si unus conjugum vitâ in monasterii fungi mavult, etiam repugnante consocio; « Post consensum legitimum » de præsenti, inquit Alexander III (35), licitum est alteri, al-» tero etiam repugnante, eligere monasterium . . . . . dummodo » carnalis copula non intervenerit inter eos, et alteri remanenti, » si commonitus continentiam servare voluerit, ad secunda vota » transire; quia quam non fuissent, una caro simul effecti, po-» test unus ad Deum transire, et alter in sæculo remanere. » (36)

Ex aliquo errore in Gratiani decreto (37) oriri videtur prædicta doctrina; postquam enim plurimis argumentis probasset, non unum conjugem invito altero in monasterium abire posse, distinctionem supra allatam, ponit matrimonium *consummatum* inter et *non consummatum*; atque exempla adfert SS. Macarii et Alexis, qui ipso die nuptiarum, ignorantibus uxoribus, monasticam vitam elegerunt; sed apocryphæ sunt historiæ et tanquam falsæ recognoscuntur (38); argumentum etiam quærit in Confess.

---

(34) Coll. des conc. du père *Labbe*, tom. 8, p. 427. - V. epist. Nicolai I.mi, 51.
(35) Decret., cap. 2, x: de convers. conjug. — Decret. Innocentii IIIi Papæ, cap. 14 x: de convers. conjug.
(36) Vide Règles du Droit canon, par *d'Antoine*, 2.e partie, règl. I.
(37) Causa 27, quæst. 2 (2a pars decreti.)
(38) *Baillet*, dans la vie des Saints.

Augustini, cap. 6; ob verbum nempe *sponsas*; sed ipsa vox denotat filias *promissas* (*fiancées*), non vero *nuptas*. S. Gregorius (39) quoque usus est voce *desponsatæ*, quæ minime *nuptam* significat. Alio verum loco (40) dicit, *constitutis* jam nuptiis, quod matrimonium *ratum* videtur, at aliter in textu (græce etenim scripsit Gregorius) legitur; vox *ὡρισμένῳ* participium est verbi *ὡρίσω* (*destino*), itaque dicendum est, *nuptiis jam destinatis*; ita ut auctor in omni casu de *sponsis* solummodo, aut de *futuris* conjugibus loquatur. Liebardi historia à Gregorio *de Tours* (41) tradita, nil juvat: is post parentum mortem reliquit *sponsatam*, non *nuptam*, quoniam dicit scriptor, *celebrat sponsalium diem*, quod magnopere differt à *nuptiarum die*, quibus vocibus usus fuisset, si revera Liebardus jam nuptias iniisset.

Attamen Concilium Tridentinum sess. 24, can. 6, Gratiani sanxit doctrinam (42); plurimi tamen cardinales diversam amplecti maluissent sententiam: atque in Gallia nunquam canon sextus receptus fuit. Concilii Tridentini decisionis mira ratio invenitur apud celebrem authorem (43): « *Quoiqu'il en soit de ce qui a pu servir de fondement au droit des décrétales sur la distinction du mariage consommé et du mariage non consommé, et sur la force qu'on donne à la profession religieuse de dissoudre le mariage non consommé, par la profession que fait l'un des époux, quoique sans le consentement de l'autre; ce droit était si universellement reconnu dans l'église au temps du Concile de Trente, que le Concile jugea à propos de confirmer* CETTE DISCIPLINE, *jusqu'à frapper d'anathême ceux qui la contrediraient. . . . . Si le concile a ajouté un anathême, ce n'est pas qu'il ait voulu le proposer comme* UN OBJET DE FOI, *mais c'est qu'il a voulu punir par cet anathême la témérité de ceux qui se donnaient la liberté de censurer trop aigrement une* DISCIPLINE *qui était déjà reçue depuis longtemps dans l'église.*"

(39) Lib. 6, epist. 20. (40) Lib. 3, dialog., cap. 14.
(41) Vita Patrum, cap. ultimo.
(42) *Andræ Vallensis* paratitla decretal. Greg. IX, lib. 4, tit. 19, § 1, n.° 1.
(43) *Pothier*, du contrat de mariage, § 482-483.

§ XXXIII. — Si infidelium conjugum alter ad christianam fidem catholicam vertitur, alter verum perseverat in sua propria religione, an dirimi poterit matrimonium? Difficultas è Pauli (44) verbis oritur : « *Quod si infidelis discedit*, inquit, *discedat*, non » enim subjectus est frater aut soror in hujusmodi etc. etc. » Quæritur enim, an Paulus *divortium*, aut tantum *separationem* permittat? Denuo secundo errore Gratiani permissa fuit vinculi solutio : quod a plurimis etiam Pontificibus sancitum est, nec aliter jure canonico receptum, » quia, *inquiunt commentatores*, licet ma- » trimonium verum et legitimum inter infideles existat, non tamen » est *ratum*, quia non repræsentat conjunctionem Christi cum » Ecclesia." (45). Quidquid sit, textus Gratiani (46) male ab auctore tribuitur S.to Gregorio, in cujus operibus nullibi reperitur; nec etiam inter opera Sancti Ambrosii. Et quidem in conciliis continuo ab Ecclesia indissolubilitas nuptiarum etiam infidelium proclamata est, a doctoribusque laudata (47). Quidam contrariam tamen docuerunt sententiam ob Gratiani verba (48).

Concilium Tridentinum in medium reliquit quæstionem. Sed anno 1758 Parisiis judicatum fuit, ut, si unus infidelium conjugum ad christianam convertitur nequaquam, vivente altero, novas instituat nuptias. Judiciali nondum lata sententia, advocatus-generalis *Séguier* expresse et publice perhibuit : « *Il est évident que le mariage est* INDISSOLUBLE DE SA NATURE, *que la loi naturelle a transmis ce précepte dans la loi de Moyse, et qu'il a passé ensuite dans celle de Jésus-Christ, où il est établi avec encore plus de force. Le même principe n'est pas moins universellement reçu dans la jurisprudence, et il est certain, comme le remarque* Domat, *qu'on ne peut jamais dissoudre le mariage dès qu'il a été légitimement contracté.*" Judicum sententia iisdem nitebatur rationibus. (49)

---

(44) *Paulus* ad *Corinth.* I, cap. 7, ℣. 12 ad 16.
(45) *Andreæ Vallensis* paratitla, lib. 4, tit. 19, n.° 4.
(46) Pars 2 decreti; causa 28, quæst. 2, cap. 2.
(47) Vide *Pothier*, du contrat de mariage, § 501.
(48) Confer *Catéchisme de Montpellier*, chap. du mariage, § 4.
(49) Arrêt du 2 janvier 1758; vide: *Le nouveau Denisart*, v.° *Divorce*.

§ XXXIV. — Jure canonico receptum, ut matrimonium ratum, sed nondum consummatum unius ex conjugibus sacros sacerdotii amplectentis ordines, disjungeretur, si vellet; attamen non dissolvi posset quoad vinculum, nisi conjux superiores obtinuisset ordines; sic a Pontifice Joanne XXII ordinatum reperimus. (50)

§ XXXV. — Ex omnibus huc usque explicatis patescit, indissolubilitatis principium continuo viguisse; atque, si conjugia quando disjungantur, id nisi propter imperfecta vincula evenire. Ulterius legitimæ nuptiæ tantummodo in quibusdam casibus separatione à thoro et mensa relaxantur; separatio ideo jure canonico permissa: sed immerito in auctoribus nomine divortii obvenit; nil aliud est, quam thori separatio. Præterea non omnino jure romano ignotam fuisse, ex legibus Pandectarum constat: in jurisconsultorum decisionibus exempla reperiuntur: « Si mulier » et maritus, *inquit Ulpianus*, diu seorsim quidem habitaverint, » sed honorem invicem matrimonii habebant (quod scimus inter» dum et inter consulares personas subsecutum), puto donatio» nes non valere, quasi duraverint nuptiæ. *Non enim coïtus ma» trimonium facit, sed maritalis affectio.* " (51)

Solummodo tamen hanc facti separationem cognoscebant Romani, quæ longe à nostris distat consuetudinibus; corporis enim separatio à gravioribus pendet causis, atque hodie à judice quidem pronuncianda. Graviores rationes sunt (52): *adulterium uxoris*, nisi uterque conjux pari crimine tenetur, quia paria delicta mutuâ compensatione auferuntur; *mariti sævitas*; unius vel alterius conjugis *hæresis*; *votum ultramarinum*, ad liberandam terram sanctam; *mutuus consensus* ad perfectiorem statum, velut si uterque voveat perpetuam castitatem, aut ad religionem transeat (53). *Voluntaria* adhuc concedebatur *separatio*, id est quum is, qui eâ

(50) Tit. 6 cap. unico de voto et voti redempt. — Confer *Andreæ Vallensis* paratitla etc.; lib. 4, tit. 19, § 1, n.° 2.

(51) L. 32, § 13 ff. de donat. inter virum et uxorem.

(52) *Andreæ Vallensis* paratitla, lib. 4, tit. 19, § 2, n.° 1 et 2.

(53) Quod locum habuit *Abeilardum* inter et *Heloïsin*.

usus erat, et ab altero conjuge interpellabatur, ut finem faceret separationi, causam legitimam objiciebat, quâ perduranda erat separatio (54).

In posterum vero unius voluntate, vel etiam mutuo consensu non amplius concessa est, quia matrimonium ad communem felicitatem et publicum ordinem spectat, atque vitæ communis conjunctio ab eadem dissolvenda est auctoritate, a qua ordinatur (55).

Separatio quoad cohabitationem judicio ecclesiæ fiebat (56); postea verum judicibus civilibus pronuncianda, quia inde bonorum etiam oritur divisio, quæ temporali auctoritati subest (57). In Hispania a judice ecclesiastico separatio conceditur. (58)

Tandem duæ solum remanserunt causæ, adulterium uxoris, et viri sævitas; attamen non nimis stricte determinandæ erant (59). In certum quoque temporis spatium a judice separatio sæpe concedebatur; et aliquando per mutuum consensum, nam illa ipsa ex essentia sua matrimonii malorum remedium *temporale* dici potest.

Plurimi asseruerunt solius conjugis, qui separationem obtinuerat, consensum sufficere (60). Graviores ob causas separatione concessâ, quum illæ finiunt, nec irâ, nec pertinaciâ unius longius vincula conjugii relaxari permittitur; mores liberorumque commoda haud dubie obstant, quin diutius inutile perduret bellum; quamvis tam longe separatio divortium superat; quanta enimvero ejus utilitas! Dulcis gratæque conjunctionis lenocinii, dissidiis domesticis infirmati, desiderium denuo confert; continuo conjuges in spem versari queunt, amore paterno tandem in absentia connubialem concitari affectionem. Ac sæpissime sepa-

---

(54) *Brower*, de jure connub., lib. 2, cap. 29, § 3.
(55) Idem. ibidem, § 4.
(56) *Andreæ Vallensis* paratitla, eod. loco.
(57) Diction. de droit, par *Ferrière*; v.° *Séparation de corps et d'habitation*; et v.° *Séparation de biens.*
(58) *Fevret*, de l'abus, liv. 5, chap. 4, § 18.
(59) *D'Héricourt*, 3.° part., ch. 6. — *Pothier*, du contrat de mariage, § 508.
(60) *Brower*, opere laudato, § 18.

ratio, quum indissolubilitatis etiam principium tueri videbatur, firmiorem postea conjugibus præbuit felicitatem! Quid divortium è contra? Spem adimit; odium in æternum fovet! . . . . . .

§ XXXVI. — Ad sæculum usque decimum sextum, quum Lutherus atque Calvinus (anno 1536) a Romana divergentes Ecclesia, nova principia, novamque docuerunt disciplinam, æterna connubii fædera existimabantur; ii vero, ob rationes in historia quærendas, divortium concesserunt sectatoribus.

Itaque in *Protestantium* ac *Calvinistarum* regionibus viget; quanquam ob determinatas solum concedatur causas, ac difficilioribus instituatur solemnitatibus (61). Inprimis investigandum venit, an a tempore, quo maritus intellexit suam sponsam stupratam esse, eam postea cognoverit, nec ne; in posteriori tantum hypothesi concedendum divortium: maritus enim sciens corruptam esse uxorem, et nihilominus ipsam, ut maritus cognoscens, sive hoc fiat ante, sive post nuptias, ipso facto in conjugium consentit; deinde summo etiam studio tentanda reconciliatio, quæ si obtineri et perfici non poterit, ad dissolutionem demum procedendum (62).

Uterque conjugum divortium proprie dictum petere potest; et in *consistorio*, accuratâ rationum disceptatione factâ, pronunciatur. « *Le divorce,* ait Cochin (63), *ne dépend point de la volonté des conjoints, autrement le mariage parmi les Protestants ne formerait qu'une convention toujours résoluble. L'esprit de changement trop ordinaire parmi les hommes, inspirerait tous les jours au mari et à la femme la volonté de rompre les premiers nœuds, et d'en former de nouveaux; et le mariage, ce titre d'honneur si sacré dans toutes les nations, serait tous les jours profané par de pareilles révolutions. Non, les Protestants n'en ont jamais conçu une idée si basse et si méprisable: ils veulent que des juges légi-*

---

(61) Vide: Code Frédéric, part. 1, liv. 2, tit. 3, § 3, chap. 35.

(62) *Carpzovius*, res criminales, pars 2, quæst. 63, § 61.

(63) Cause 135,[e] (tome 5, pag. 521, édit. in-4.° de 1754.) — Et *Carpzovius* ibidem, quæstio 63, § 31 et 62.

times prononcent le divorce en connaissance de cause; c'est aux Consistoires à en connaître, comme seuls juges des causes de mariage, DIVORTIO A CONSISTORIO DECRETO, *dit* Boehmer, l. 4, tit 19, Nº 45; *cette règle est commune aux Souverains et aux Sujets: quelques auteurs ont seulement prétendu qu'à l'égard des Souverains, il y avait trop de danger de leur laisser la liberté de s'adresser à un Consistoire qui leur est entièrement soumis, et qu'il fallait qu'ils s'adressassent ou à l'Empereur ou à la Chambre Impériale de Wetzlar; mais enfin il est constant qu'il leur faut des juges, et qu'au moins il intervienne une sentence dans leur Consistoire.*"

Divortium autem ob duas tantum rationes locum sortitur; ob *adulterium*, sive ob *malitiosam desertionem*, uti testantur Carpzovius (64), et Stikius. Jure Protestantium quoque prohibetur, ne conjux adversus quem alter diremptionem obtinuit, unquam novas conficiat nuptias, nam pravo agendi modo a socio sese disjungente uxore vel marito, libertas criminis pretium eveniret; audiamus vero eumdem auctorem (65): » *Les Luthériens qui ont admis le divorce, ne l'ont autorisé que dans des cas singuliers et avec des modifications bien sévères. Le divorce ne peut être permis, selon eux, que dans deux cas, celui de* L'ADULTÈRE, *et celui* DE LA DÉSERTION MALICIEUSE. *Celui qui a trahi la foi de l'union conjugale, soit en se livrant à un autre, soit même en abandonnant la personne à laquelle il était uni, peut être puni par le divorce; mais si les époux ne se trouvent ni dans l'une, ni dans l'autre circonstance, les nœuds qui les unissent sont indissolubles; il est inutile de s'étendre en citations pour établir une vérité si constante, ce sont des principes consacrés parmi les Luthériens, et dont jamais un seul auteur ne s'est écarté. Un autre principe qui n'est pas moins constant parmi eux, est que si l'un des conjoints a donné lieu au divorce, l'autre peut bien se dégager et* ACQUÉRIR LA LIBERTÉ DE SE MARIER, *mais le coupable demeure dans les liens d'une*

(64) Ibidem, quæst. 58, § 6 ad 12.

(65) *Cochin*, opere laudato, vol. 5, pag. 474, même cause 135e. (édit in-4o. de 1752 - 1754.)

interdiction absolue; autrement celui qui voudrait acquérir le droit de former un nouvel engagement, serait le maître de se procurer une liberté si funeste, en se livrant au crime, dont la liberté serait le prix et la récompense."

Eodem sæculo decimo sexto divortium in Anglia concessum fuit, quum nempe Rex Henricus VIII, anno 1533, catholicam fidem abjuravit, quoniam matrimonii sui dissolutionem a Pontifice Clementi VII° obtinere non poterat. Idem huc usque in Germaniâ, Sueciâ, Angliâ et aliis regionibus divertendi principium viget (66).

CAPUT SEPTIMUM.

JUS BELGICUM ANTIQUUM.

§ XXXVII. — Si vires in longa disquisitione nobis non deficerent, si spatium quoque concederetur, non Belgarum nomine forsitan indignum foret, ut juvenili gloriâ ducti totam historiæ nostræ explanationem, omnesque consuetudines recte ob oculos conferamus; et illas præcipue dispositiones, quæ de matrimonio agunt. Doctissimi autem viri dignissimum opus! Perspicuitatis gratiâ primam et antiquam de Divortio legislationem inquirere vel saltem breviter enarrare speramus, antequam hodiernum in Belgio de divortii legum statum aggrediamur. In duo itaque capita jus belgicum divergit, quorum prius *antiqui*, posterius *moderni* denominationem præbet.

Quod spectat mores primorum Belgii incolarum, recte dicere

(66) Quoad jus in Hollandiâ olim exstans, vide *Voet* ad Pandectas, lib. 24, tit. 2, N° 5.

nobis licet, omnino Germanorum consuetudinibus similes fuisse. Optimi enim scriptores in eo conveniunt, Belgas a Germanis esse ortos, et eosdem quoque in regionibus nostris contulisse mores. Inprimis Cæsar ipse testatur (1): » Plerosque Belgas esse ortos a Germanis, Rhenumque antiquitus transductos propter loci fertilitatem ibi consedisse; ...... solosque esse, qui omni Galliâ vexatâ, Teutones, Cimbrosque intra fines suos ingredi prohibuerint." Corruptos Gallorum Romanorumque mores nequaquam secuti sunt; quum nimiam a Patriâ arcesserunt mercaturam (2); sed hospitalitatem, castimoniam, bonam fidem, et severa præcipue matrimonia, uti Germani, semper coluerunt, quæ, tanquam vera gloriæ fundamenta, Patres nostros nobiles fortesque effecêre; nam si vitia quædam, similiter virtutes Germanorum imitati sunt: doctus *Dewez* in historia belgica ait: » *Tous ces peuples (les Belges) avaient apporté dans leur nouvelle patrie des mœurs, des coutumes, des habitudes et des vices qui ont les rapports de conformité et les traits de ressemblance les plus sensibles avec ceux des anciens Germains. Les vertus et les vices qui caractérisaient ceux-ci, leur étaient en effet communs avec les Belges, leurs descendans........ Les Belges étaient chastes, justes, courageux, hospitaliers comme les Germains.*" Quoniam Belgæ Germanorum consuetudines in nova patria retinuerint, eorumdem conjugia explanare haud dubie superfluum foret; quum jam in capite quinto (*de jure Germanorum Gallorumque*) illud ipsum inquirere conati sumus: verba Taciti ibidem attulimus, quæ nunc in memoria reducenda veniunt (3).

§ XXXVIII. — Post Romani Imperii in patria nostra ditionem, pedetentim mores mutabantur; diversæ leges forsitan, aut potius consuetudines pro variis provinciis obvenêrunt. An autem jus romanum populo, tamquam Lex regionis a victoribus obtru-

---

(1) *Cæsar*, commentariorum de bello gallico lib. 2, § 4.
(2) *Cæsar*, ibidem, lib. 1, § 1.
(3) Quod spectat primorum Belgarum imperium atque regimen, V: *Meyer*, institutions judiciaires, liv. 5, chap. 1, (vol. 4.)

sum fuit? Magna inter auctores disceptatio; longa cunctatio; non omnes etiam hodie scriptores conveniunt; attamen cum doctissimis viris *De Berg* atque *D'Outrepont* (4) merito dicere audemus, nunquam jus romanum tanquam *legem* in Belgio receptum, in sententiis e contra prout locorum consuetudines tacebant, a judicibus ac jurisconsultis servatum fuisse, in quantum sit *ratio scripta*. Sed si consuetudines scriptæ expresse in quibusdam casibus, leges romanas sequi jubebant, nullum tunc oriri potuit dubium. Hæc est fere decisio jurisconsulti *Deghewiet* (5): Zypæus tamen in Notitia Juris Belgici nihil certi hâc de re statuit (6). » Principibus nostris, *ait Stockmans* (7), centies constitutum est, ut, deficiente jure proprio, hoc est, » consuetudinibus patriis et consuetudinibus regiis, recurratur » ad leges romanas, uti jus commune:" id acriter tamen negatur a D° *De Bergh*, qui contrarium valde stabiliit.

§ XXXIX. — Quidquid sit, statim ac Christiana religio in Belgio sæculo tertio paullatim per cunctas provincias recepta est, haud dubie leges romanæ de matrimoniis minime observari, vel saltem ad exemplar trahi poterant: saniora principia invaluêre. Jus Pontificum, et decreta Conciliorum Orthodoxorum res publicas felicitatemque familiarum brevi stabiliverunt. Longo itaque sæculorum spatio, nondum urbium provinciarumve redactis Consuetudinibus, nuptiarum indissolubilitatis principium ab omnibus sancitum est, omnesque sequi studuerunt.

Jus ecclesiasticum, commune erat jus; plurima itaque et fere omnia in præcedenti capite sexto de Jure Ecclesiastico Romano explicata, ad nostram referenda sunt patriam.

Inutile forsitan videretur, ut longius in jure antiquo Belgarum

(4) V: Mémoires de MM. *De Berg* et *D'Outrepont*, sur la question: » Depuis quand le droit romain est-il *connu* dans les Pays-Bas Autrichiens, et depuis quand y a-t-il force de loi"; (jugée en 1782.)

(5) Institutions du droit Belgique, part. 1, tit. 1, § 7.

(6) Lib. 1, tit. 9, § 9.

(7) Decis. 1, N° 1. — Confer *Dumoulin*, titre des fiefs, procem. N° 110.

hærere vellemus; attamen diversæ consuetudinum dispositiones divortii (ut male dicunt), id est *Separationis a thoro et mensa* formulas atque effectus statuunt; ita ut præcipua breviter inquirere nobis liceat: *Jurisdictio* quoque indagationis non indigna videtur; sicque facilius ad hodiernam in Belgii regno vigentem legislationem progrediemur, et incredibilem mutationem in patriâ nostrâ quoad divertendi veniam effectam, producemus.

§ XL. — Per plura sæcula, jam conditâ quidem religione Catholicâ, nulla scripta extabat lex; Evangelii præceptis moribusque conficiebantur Judicia; nam probabiliter nullæ ante decimum sextum sæculum consuetudines in scripto collatæ reperiuntur, vel saltem nullæ Principum sanctionem obtinuerant. Primæ anno 1535 redactæ videntur; et prima omnium Flandricarum Consuetudinum, quæ Principis decreto confirmatæ fuerunt, venit Consuetudo Castellaneæ Iprensis, nempe 18 junii, anni 1535; postea 15 martis 1558, confirmata est Consuetudo Contracensium (8). Reliquæ fere omnes eodem sæculo scriptæ atque sancitæ inveniuntur; ita ut sæculo decimo septimo et octavo ubique jus scriptum exstiterit; quanquam in casibus ambiguis leges romanæ atque jurisconsultorum decisiones in Judiciis observabantur (9). Paucis quasi his prolegomenis expositis, commune de conjugum separatione jus aggredimur. Nequaquam cunctæ consuetudines formulas atque effectus Separationis à thoro et mensa complectuntur; aliquæ tantum, veluti: *Gend*, rub. 20, art. 12; *Assenede*, rub. 13, art. 3; *Bouchaute*, rub. 17, art. 7). — Nihilominus, ut causæ separationis statuerentur, Belgæ jus ecclesiasticum custodire obligabantur; et duæ solummodo exstabant separandi rationes: *adulterium*, et *severitas mariti* (10). Ob alias aliquando causas separatio concedebatur, nempe *hæresim*, *crimina capitalia* etc.; *religionis ingressum*

(8) *Knobbaert*, jus civile gand. Prolegom. obs. 4. — Atque etiam, Mémoire de M. *De Berg*, note 56, (couronné en 1782.)

(9) *Zypæus*, jus pontif. nov. lib. 1, cap. 2, § 11 - 12.

(10) *Van Espen*, jus ecclesiast. univ. part. 2, sect. 1, tit. 15, cap. 2, § 2, 13, 14, 15, 16.

unius vel alterius cônjugis ante matrimonium consummatum; aut *mutuum consensum* per amborum in monasterio vitam expressum, (de quibus causis longius in præcedenti capite) (11); non autem ob lepram relaxatur conjugium, sed tantum *sponsalia* (12). Quæsitum est an concedi possit Separatio propter frigiditatem? .... Quam rationem celebris auctor belgicus minime valere existimat (13); conjuges vero, ut frater ac soror in communi societate vitam agere tenentur. Aliquando tamen *Congressus* factus est, ut testatur Christinæus in decisionibus (14): » (sed) non facile, » *inquit,* admittendus est, cum nil turpius et indignius quam » publice et coram misceri; ...... dura lex est Congressus, etc." Illud quidem a judicibus ecclesiasticis dijudicabatur (15). Nulla separatio obvenit ob furorem sive dementiam, jam contractis nuptiis, supervenientem (16).

Quum autem in legitimis casibus separationi locus sit, vinculum ideo non dissolvitur; nam divortium proprie dictum, nec Consuetudinibus, nec jure canonico unquam concessum est, quanquam adsit adulterium; conjugii autem fœdus perpetuo remanet, ut stabilitum fuit in Concilio Florentino, *in Decreto de Sacramentis;* et in Concilio Tridentino, sess. 24, can. 7. (17).

Separatio quidem non a judicibus Rerum Civilium pronunciabatur, sed ab ecclesiasticis, uti constat ex art. 12, cap. 121 consuetudinum Hannoniæ; et § 2, tit. 2, pactionis Carolum-Quintum inter et Episcopum Leodiensem, die 10 Martis anni 1541 (18), ubi legitur: » De divortio solius judicis ecclesiastici est cognitio; etiamsi

(11) *Zypæus,* consult. canon. lib. 2, consult. 5.
(12) *Knobbaert,* jus civ. gand. rub. 2, art. 9, observ. 2.
(13) *Van Espen,* eod. loco ac in notulâ 10.
(14) Decis. 338, vol. 1. — *Christyn* ad legg. abrog. *Philiberti Bugnyon,* lib. 6, syntag. 65.
(15) *Deghewiet,* Institutions du Droit Belgique, part. 1, tit. 2, § 16.
(16) *Christyn* ad *Bugnyon,* ibid. lib. 3, syntag. 16.
(17) Id. lib. 2, synt. 114. — Lib. 1, synt. 101, et lib. 2, s. 42.
(18) *Placcards du Brabant,* vol. 1, pag. 16. — *Christyn* ad *Bugnyon,* legg. abrog. lib. 4, synt. 78.

» quæstio fœderis matrimonialis inciderit coram judice seculari: » quo casu judex secularis supersedere tenebitur, et hunc arti- » culum (tanquam spiritualem) ad judicem ecclesiasticum, per » eum infra anni spatium terminandum, remittere." Juxta idem concordatum, § 3°, a judice ecclesiastico aut seculari conjuges alimenta petere possunt; de dote autem non cognoscit judex ecclesiasticus, nisi per necessariam consequentiam, et quum separatio fit propter adulterium: de bonorum cessione nunquam statuit, nisi ex prorogatione *partium*, non autem *procuratorum* (19). » Ne con- » juges sæpius ob causas frivolas, *inquit Van Espen* (20), et cum » publico scandalo fædus matrimoniale solvant, nequaquam pro- » priâ auctoritate unus conjugum ab altero divertere, præcipue » quoad habitationem potest; sed a judice similis separatio pro- » banda est atque decernenda."

Separatio a judice confirmata, nunquam tamen in rem judicatam transiit; » sed judex, ut *ait Zypaeus* (21), ex officio sæpius » monere conjuges tenetur, ut sibi concilientur; neque unquam » hìc officium judicis cessat, ut nocentem ad meliorem frugem » et reconciliationem cum conjuge suâ inducat." — Quinam vero effectus erant separationis, 1° quoad liberos; 2° quoad bona? quod spectat liberos, nil a Consuetudinibus statuebatur, et juri romano standum videbatur (22); » Si pater causam divortii præs- » titerit, apud matrem ad secundas nuptias non venientem liberi » nutriantur patris expensis; si vero contra, tunc apud patrem » matris locupletis expensis; nisi pater minus idoneus sit." » Quâ » tamen in re, ait *Voet* (23), multum arbitrio judicis tribuendum » est." Diximus nihil a Consuetudinibus decidi, una exstat exceptio, quoad impensas; nempe in Hannonia (*art.* 5, *chap.* 121, *coutumes du Hainaut*) statuitur quod: » *Si les divorcés avaient*

---

(19) *Van Espen*, oper. et loco laud. § 25, 26, 27.
(20) Id. ibid. § 19. — *Deghewiet*, part. 3, tit. 1, § 3, N° 3.
(21) Consult. canon., lib. 2, decis. 3, § 6. — *Van Espen*, oper. et loco laud.
(22) L. unic. et auth. *si pater*, codicis, divortio facto, etc.
(23) *Voet* ad ff. lib. 25, tit. 3, § 20. — *à Sande*, decis. Frisiæ, l. 2, tit. 8, defin. 1.

enfans vivans de leur commun mariage, chacun satisfera à la moitié de la dépense, alimentation et entretien de leurs dits enfans."

2° Quoad bona, instituenda distinctio inter *mobilia* et *immobilia*; posteriora enim sequuntur conjugem, a quo collata fuerunt; priora autem, simul et debita ante separationem confecta, in duas dividuntur partes, quæ æquâ lance conjugibus imponuntur (24).

Secundum Consuetudines quasdam (25), conjux qui causam et culpam separationis præbuit, omnia matrimonii commoda et lucra amittit, tam e lege, quam ex antenuptiali pacto obvenientia; » quæ est communis omnium fere interpretum et receptio sen» tentia", ut perhibet *Van den Hane* in notulis ad Consuetudines Iprenses.

Separatione a thoro et mensâ legitime institutâ, uxor absque mariti consensu propriorum bonorum administrationem, et quidem, secundum jurisprudentiam, liberam dispositionem, id est, abalienandi potestatem obtinebat; ita ut ad proprium arbitrium donare, vendere, permutare, transigere valeret; sic quoque sententiâ anni 1670 in Flandriæ curia decisum fuisse reperimus: *De Blye* judicii rationem nobis præbet (26): » *Par la raison que suivant l'opinion commune des interprêtes, l'autorité du mari n'est pas requise comme une formalité essentielle à l'acte, mais seulement pour conserver l'intérêt du mari, ce qui cesse, dès qu'il y a divorce* (id est *séparation*) *entr'eux.*" In Hannonia vero uxori a viro separatæ non sua bona abalienare licuit, nec per testamentum, nec per contractum inter vivos; id saltem docet expertus *Cochin* (27); nam contrarium in causa a *Cochin* defensa, judicatum est 15 Julii anni 1729.

(24) *Coutumes du Hainaut*, chap. 121, § 1, 2 et 6.

(25) *Cost. van Iperen*, rub. 11, art. 6. — *Cost. van Belle*, rub. 5, art. 12. — *Cout. de la Gorgue*, art. 39.

(26) *Recueil d'arrêts*, mis en ordre par le Ier Président *De Blye*. — Confer: arrest. 14 Mart. 1704, quod legitur in *Pollet*, part. 1, ar. 28 — *Deflines*, comm. ad consuet. Tornac. titulo: auctorit. conjug. art. 6, v° *unde existimo*.

(27) Œuvres de *Cochin*, 33e inst. vol. 2; (édition in-4°. de 1752.)

Novum fere, aut saltem rectius ordinatum jus obvenit in Belgio in fine sæculi decimi octavi: imperator enim Josephus II, edicto 28 septembris 1784 (28), conscientiæ libertati favens, civibus non Catholicæ religioni obnoxiis divortium proprie dictum concessit; et specialiter Catholicis separationem thori. Præterea divertendi facultatem, tanquam principii exceptionem sancivit; nam expresse (art. 36 decreti) nuptiarum æternitatem agnovit: « *Het huwelyk*, ait, *aengegaen zynde op de maniere*, *die wy komen voor te schryven*, *zal wezen* ONVERBREKELYK, *en dezen band en zal op geen voorwendsel konnen worden te niet gedaen*, *als met de aflyvigheyd van den eenen of van den anderen van de getrouwde.*" Sed æqua sollicitudine quibusdam Divertendi facultatem ob cultuum diversitatem obtulit; 1.° in casu unius vel alterius conjugis adulterium; vel si alteruter consocii vitæ insidiaverit; 2.° ob malitiosam desertionem; 3.° ob inimicitiam, id est, per mutuum consensum; quo ultimo casu judex civilis primo in certum tempus separationem, veluti tentamen, pronunciat. Non nisi amborum conjugum juribus ordinatis, liberorumque fato per contractum, aut judicis sententiam stabilito, divortium indicitur. Inposterum conjugibus novas nuptias instituere licet, nec tamen unquam cum reo delicti vel facinoris propter quod advenit divortium. Satis temporis quoque effluet, antequam uxor alium ducat virum, ne ullum dubium quoad prolem ex præcedenti forsitan matrimonio conceptum, supersit.

Præterea conjuges sese denuo nuptiis rite jungunt (art. 49—50 ad 57 decreti).— Separatio ab imperatore Catholicis tributa locum habet, si alteruter conjugum vexatur a socio, seu ad flagitium morumve corruptelam incitatur: judex civilis difficultatem aufert; *volontaria* autem separatio insequitur postquam bonorum jura solummodo contractu, nunquam judicis sententiâ, ordinaverunt; quo casu etiam conjuges omni momento in gratiam redire valent; (art. 46, 47, 48). Antiquo jure dilucidato, ut hodierna legislatio

(28) V: 3[de] deel van den 6[den] placaet boek van Vlaenderen; pag. 1840 ad 1844.

illustretur oportet, quæ cum novo præsenti sæculo revera novum familiarum statum introduxit, quoniam plurimas ob causas *divortium* (vinculi solutionem) utrique conjugi concedit; quod nunquam in regione nostrâ, barbarie priorum temporum expulsâ, permissum legitur.

CAPUT OCTAVUM.

JUS BELGICUM HODIERNUM.

§. XLI. — In fine sæculi decimi octavi, ut jam exposuimus in prolegomenis nostris, rerum publicarum turbationes novum systema novasque legislationes obtrudere visæ sunt, quæ in multis punctis maximas iniquitates et plures errores correxerunt; sed mala quædam etiam sancire non dubitarunt homines aut perversi, aut ignari. Inter illa divortium puto, jam variis scriptis antea quæsitum, refertur. Plurimi quasdam leges ob generis humani procreationem proponere, atque divertendi libertatem, tanquam meliorem incolarum numerum augendi modum, docere elaborarunt. Primum lege 20 septembris 1792 divortium, inter alias causas, propter diversam conjugum indolem concessum; postea viri solertes, et plurimi oratores (anno 5.° Reipublicæ) in divortium invecti sunt; sectatores autem eludendo rem, scopum attingerunt, quoniam proximam codicis civilis publicationem allegabant, ne statim ipsa divertendi libertas abrogaretur; sed codex civilis eamdem denuo facultatem sancivit; quæ legislatio hodie adhuc exstat in Belgio.

Nunc rectius divortii causas, formulas atque effectus inquirere conabimur. Antequam vero longius progrediamur, *quid sit divortium*, quæritur? Perpensis articulis 258, 260 ad 264, et 294 C. C. ita definitur: « Dissolutio nuptiarum vinculi, magistratu statûs ci-

» vilis pronunciata ex sententia judicis, jamjam definitivâ (1)." Animadvertere etiam oportet non *repudium* in Belgio, nec in quadam bonis legibus ordinata regione, hodie permitti; minus arbitrarium moribusque infestum. Divortium æqua lance codicis auctores impertiunt, id est nec maritus, nec uxor præfertur, ambo idem jus obtinent, cum necessaria quadam distinctione de adulterio inferius exponenda; vir dissolutionem ob voluptatem sæpius intendit quam femina, quæ ordinarie infortunii remedium quærit; ita ut non male dixerit Montesquieu (2): « *La loi est tyrannique qui donne ce droit aux hommes sans le donner aux femmes.... C'est une règle générale que dans tous les pays où la loi accorde aux hommes la faculté de répudier* (*ou de divorcer*), *elle doit aussi l'accorder aux femmes.*"

Rogatum fuit, an personæ religioni catholicæ non submissæ, et præcipue Judæi, lege divortii adstringebantur?.... Et quoniam omnes subditi legibus civilibus obedire tenentur, nullum dubium hac de re oriri potuit. *D'une part*, inquit Merlin (3), *La loi ne reconnaît plus aucune différence entre les cultes, quant aux droits civils de ceux qui les professent; de l'autre, depuis la loi du* 20 *septembre* 1792, *il n'y a pas un seul exemple que même des Juifs aient porté devant nos tribunaux des demandes en divorce fondées sur leurs anciens usages; et, si quelques uns d'entre eux se sont divorcés volontairement d'après ces usages*, IL N'A PU RÉSULTER AUCUN EFFET CIVIL DE PAREILS DIVORCES. *Enfin telle est la disposition expresse de l'art.* 3 *du décret rendu par le grand Sanhédrin dans sa session de Paris, du* 9 *février* 1807." Hoc quidem decretum inutile existimamus, omnes subditi aut cives legibus civilibus obedire coguntur, si legumlatoris præcepta non colunt, ipsorum actus nullos sortiuntur effectus.

---

(1) *Proudhon*, cours de droit civil, tom. 1, chap. 23, sect. 1.
(2) Esprit des lois, liv. 16, chap. 15; (V: § 16, not. 8 page 27, hujus commentationis.)
(3) Répert. univ. de jurisp. v°. *Divorce*, sect. 4, n°. 15.

SECTIO PRIMA.

Divertendi rationes.

§. XLII. — Quatuor in Belgio (4) divortii exstant causæ; 1.° adulterium; 2.° sævitiæ et injuriæ; 3.° pœna unius alteriusve conjugum, qua *infamis* declaratur; 4.° mutuus consensus (5). Olim tres priores separationis fuerunt causæ, quanquam uxor maritum adulterii crimine accusare non posset; hodie permittitur, quum maritus concubinam in communi domo retinet (6): maritus e contra in omni casu propter mulieris adulterium rumpit nuptias (7). Quænam differentiæ ratio? plures feminæ procreationem potius augebunt; non plurimi viri: in posteriori enim casu magis ac magis impeditur procreatio; adulterium quidem feminæ sanguinem miscet; alieni tunc liberi aliena usurpant jura: adulterium mariti, uxori tantum dolorem progignit; ita ut lex minus crimen puniat mariti, quam contumeliam a muliere perduratam ulciscitur. Lex quibusdam malesana videtur: vir illegitimo abreptus amore, in domum introducit concubinam, ut primas dissolvat nuptias, nec non paulo post alteram ducat feminam; ita ut propemodum corruptelæ præmium obtineat; id omnino non locum sortitur, non unquam enim vero nec viro, nec mulieri criminis consciæ nubere licet (8). Qua de causa, adulterio nempe, auctor sagax (*Madame Necker*), legitimas præbet observationes: « *Le Divorce pour infidélité est une flétrissure pour le coupable, et un malheur pour l'offensé; mais il ne peut pas être plus permis au parjure de former de nouveaux liens, qu'à un homme mis hors de la loi de rentrer dans le pays où il a été condamné: et quant à l'époux ou l'épouse outragés, le sort est tombé sur eux pour donner un grand exemple de délica-*

(4) Jam in Francia prohibitum est Divortium ab anno 1816, lege 8 Maii; art. 1 ait: *Le Divorce est aboli.*

(5) Art. 229 ad 233; cod. civilis.

(6) Art. 230 cod. civ.

(7) Art. 298 ejusd. cod.

(8) Idem in jure romano, L. 8, cod. de repudiis.

tesse. Ils pleurent dans le désert comme la fillle de Jephté ; mais ils vivront solitaires comme elle, par respect pour des vœux prononcés en présence du ciel. Beaucoup de gens se sont destinés au célibat, qui n'ont pas eu des motifs si purs et si respectables."

Oportet ulterius ut maritus aut uxor consocii adulterium probet, aut testibus, aut litteris; sed si judex probationes recusat, nonne major inter conjuges inimicitia vigebit? Olim pravi mulieris mores (*conduite scandaleuse*) separationem pariebant, adulterio etiam non probato ; hodie tantum inter *injurias* (9) numerari forsitan possent. « *Cette cause*, inquiunt codicis commentatores (10), *rentrera dans la classe des injures graves énoncées par l'art. 231 du Cod. Civ.; eh! quelle injure plus grave une femme peut-elle faire à son mari, que de le deshonorer par une conduite licentieuse et dissolue; que de donner à sa maison l'aspect et les apparences d'un lieu de prostitution et de débauche. On sent bien que l'allégation de cette cause doit être appuyée sur des faits extrêmement graves, et qui opèrent véritablement un scandale public. Le juge doit être sévère à cet égard; il ne devrait, il ne pourrait faire aucune attention aux inductions capricieuses d'une jalousie inquiète, qui empoisonne les démarches les plus innocentes."* Tamen dubitare nobis licet, an prædicta causa hodie inter injurias adnumeraretur.

Maritus sæpe ob uxoris adulterium intendere valeret divortium, quum ejus culpâ tamen evenit, veluti si longe à domo, longe à familia remanet; sæpe etiam uxori permittit, ut virum relinquat ; an vir in illo casu divertendi petitionem conferre posset? . . . . . Id negative judicatum reperimus (11) ; ibi legitur : « *Considérant que le mari . . . . . , en tolérant que sa femme demeurat hors de la surveillance de ses père et mère, dans une habitation isolée, et dans une société que la notoriété lui indiquait*

(9) Art 231 C. C.
(10) *Pandectes francaises;* remarques sur l'art. 229 C. C. (1re édition).
(11) Arr. de la C. d'appel de *Paris*, du 6 avril 1811. (V : jurisp. du cod. civ. vol. 17, pag. 54.)

comme dangereuse, a perdu le droit de se plaindre de l'inconduite de celle-ci."

Quum uxor autem divortium postulat ob adulterium mariti, is exceptione uti non potest, dicens concubinam, suam propriam esse filiam naturalem; nam adulterium nihilominus adest, quanquam majori crimini, nempe, incestui, conjungitur; honor et jus uxoris æque læduntur: si aliter decidendum esset, maximum flagitium pœnæ evitandæ medium eveniret (12). Nihil impedit quominus uxor divortium obtineat, quamvis concubina solum post excessum uxoris domum habitavit; nam art. 230 Cod. Civ. hod. dicit, *dans la maison commune*, et non *habitation commune*; domus mariti continuo remanet domicilium amborum conjugum, quamdiu divortio non separantur; mulier enim non aliud quam viri domicilium habet: lex concedit, ut uxor *separationem* petens, aliam quærat habitationem; interea tamen maritus concubinam introducendo, connubialem violat fidem, ita ut gravissimam divertendi causam præbeat; legislator concubinæ præsentiam in domo communi exigit, quia in contrario casu ferme impossibile foret, adulterium mariti probare (13).

Sed adulterio ab uxore perpetrato, maritus cum socia cohabitare non desinit; quid juris? ut confirmetur maritum nihilominus intendere posse divortium, perhibent reconciliationem non supponendam esse, quia inter crimen commissum atque institutam actionem aliquid temporis effluxit; nec ulla codicis dispositione statui, ut vir statim a flagitii *cogniti* momento ultionem a lege concessam adhibeat; nulla quoque dispositione præscribi, ut interea uxor a domo remittatur, imo marito jus illud non competere, nam secundum art. 259 et 268 Cod. Civ. mulier momento initæ actionis domum reliquere potest, non debet, quoniam crimine coram judicibus nondum probato, illegitime a bonis suis,

(12) Arrêt de la C. de Cass. 26 Juillet 1813. (jurisp. du cod. civ. tom. 21, pag. 306).

(13) Arrêt de la C. de *Douai*, 24 Juillet 1812. (jurisp. du C. C. vol. 20, pag. 129). — (Confer etiam, tom. 2, pag. 355).

liberis aut domo averteretur : præterea ait lex : « *La femme* POURRA *quitter le domicile du mari* PENDANT LA POURSUITE ," ergo ante actionem , jamjam crimine perpetrato , non potest.

Ut negativa sustineatur sententia , merito forsan dicitur , reconciliationem adesse , quoties conjux qui maximas accepit injurias , nequaquam queritur , nec ultionem postulat , sed e contra communem vitam , communem societatem conservat ; lex tamen non supponit maritum uxori ignoscere , donec sibi quærit vindictam , et mulieri pœnam. Diversarum opinionum diversa judicia reperiuntur : id potius Judicis relinquendum est arbitrio , ita ut ex factis (*les faits*) dijudicet , an reconciliatio adfuerit , nec ne.

Secunda divertendi causa (*severitas , injuriæ,*) Belgarum characteri repugnat. Quidquid sit , si uxor vel maritus adulterium sui consocii allegavit , nec tamen probavit , alteri propter injuriam divortium petere permittitur : « *Serait-il possible,* dixit D'Aguesseau in simile casu , *d'obliger une femme honnête de soutenir la vue perpétuelle de son détracteur ? de la condamner à vivre avec celui qui a voulu lui ravir l'honneur, de la contraindre à supporter une société qui est le supplice de l'innocent, encore plus que du coupable.*" Id vero abusus facile inferret , maritus enim aut uxor sciens falsum adulterium allegare posset , ut postea alter instituat divortium , quod ipse solus desiderat ; aut si consocius solummodo separationem postulat, *tribus elapsis annis* scopum obtinebit (14). Aliter tamen sensit orator publicus *Portalis* (15) : « *Une telle accusation ,* ait , *est diffamatoire et calomnieuse même lorsque la procédure a été secrète ,* ELLE AUTORISE LA FEMME A ROMPRE AVEC UN MARI *qui ne la jugeait pas digne d'être son épouse.*" Ac revera quid pretiosius honore famâque mulieris ? Innocentiâ ejus publice probatâ , qui fieret , ut judex nimis severus , vel potius iniquus feminæ remedium divortii abnegaret , ut viro calumniatori et crudelissimo inimico submittatur ? Quamnam ulterius felicitatem sperabit in commercio mariti , qui eam

---

(14) Art. 310 , C. C. — V. § 50 hujus comment. (n°. 2.) de effectu art. 310 et 299 comparatorum.

(15) Séance du 14 Vendémiaire an 10 : P. 306, tom. 1 , des procés - verbaux.

suspicatur, aut mala fide torquet atque accusat?.... Id a judicum sapientia decidendum credimus. Sed quid, si uxor de adulterio maritum objurgaverit? Aliqui opinantur, non mariti honorem nostris temporibus propter hoc flagitium lædi, nec ipsum plebis loquacitatem metuere posse; attamen non diversa ratio decidendi videtur, ac in exprobatione a parte mariti; nam, ut recte observat D.us *Loiseau*, « *C'est un très-grand malheur si un mari est insensible à la diffamation publique à laquelle la femme l'a livrée, et si à ses yeux un outrage aussi sanglant n'a rien de grave ni d'offensant; il nous paraît qu'ici il y a* RÉCIPROCITÉ *; qu'un homme doit être aussi soigneux de sa réputation que sa femme.*"

Quid juris si reus in defensione verba quædam acerba dixerit? Ut quæstio solvatur, germana *injuriarum* significatio explananda est. Duobus modis alium injuriare possumus, nempe 1°. *factis*, pulsando, cædendo, percutiendo (16); 2°. *verbis* et *scriptis*. In utroque autem casu non solum *effectus*, sed et *affectus* requiruntur, id est animus injuriandi; ita ut *puer* vel *demens* alios lædens, nec doli nec culpæ reus appellari possit (17). Idem principium a fortiori valet, si *aggressio* locum habuit, quum v. g. maritus ab uxore adulterii aut severitatis accusatus, coram judice quasi *vim vi repellit*, quoniam tum agendi ejus modum exponit, nec suam, sed uxoris e contra culpam detegit, malamque fidem atque perfidiam Tribunali explanare conatur. Doctrinam itaque Perezii (18) sequendam existimamus: « Ubi dicit » provocatum, *ait auctor*, ad eumdem modum respondentem, » HONORIS SUI DEFENDENDI GRATIA non habere animum inju- » riandi, ut marito injuriarum (actione) conveniri non posse." Non aliter hodierna jurisprudentia rem intellexit; et æquitate quidem decisiones corroborantur (19).

Tam maritus, quam uxor propter sævitias divortium petit.

---

(16) *Perezius*, in cod. lib. 9, tit. 35, n°. 1.
(17) L. 5, § 1, ff. de injuriis. (18) Laud. loco.
(19) Inter alia, V. arrêt de la C. de *Turin* du 15 Germinal an 13.

Dubium aliqui immittere voluerunt, non obstantibus expressis verbis articuli 231, Cod. Civ. (20).

Divortium etiam post viginti annos a celebratis nuptiis elapsos, aut uxore jam quadraginta quinque annis natâ, ob sævitias recte instituitur; nam art. 277 C. C. solummodo divortio per mutuum consensum conficiendo, convenit atque tribuitur; sicque judicatum reperimus (21); in sententia legitur: « *Le laps de temps écoulé depuis le mariage, n'est point un obstacle d'après la loi, à la demande en divorce, formée pour* cause déterminée; *loin de l'écarter, il semble l'appuyer au contraire, en ce qu'il est à penser que l'appelant ne s'y est enfin décidé que parce que son espoir ne s'est pas réalisé, et que l'intimée au lieu de se corriger, a renouvelé les excès et les outrages.*" Ratio conjugii diuturnitatis tantum in divortio mutuo valet; nam post longissimum tempus diversos characteres amborum conjugum allegare ridiculum foret.

Alia et maxima hìc quæstio oritur, an morbus venereus inter injurias adnumerandus sit? dissentiunt auctores; dissentiunt curiæ. Brouwer (22) separationem a thoro et mensa concedi putat, « si » maritus laborat morbo *gallico*, et suspicio sit perpetrati adulterii." Voet (23) distinguit; *sponsalia* rumpi docet, « si alteruter (spon- » sorum) leprâ laboret aut lue venereâ; non vero matrimonium. » Cæterum, *inquit* (24), propter supervenientem impotentiam nup- » tiæ infirmandæ non sunt; neque propter morbum contagiosum." Pothier (25), ultimam opinionem amplectitur, et quidem longius procedit, quoniam etiam separationem concedi negat. « *Le mal vénérien, quoiqu'il ait de forts soupçons que le mari se l'est attiré par ses débauches, peut encore moins servir de fondement, à une demande en séparation, ce mal n'étant plus aujourd'hui un mal in-*

---

(20) V. arrêt de la C. de *Trèves*, 28 Mai 1813. (jurisp. du cod. civ. vol. 21, pag. 440.)
(21) Même arrêt. (22) De Jure connub. lib. 2, cap. 29.
(23) *Ad Pandectas* lib. 25, tit. 1, n.° 15.
(24) Ibidem, lib. 24, tit. 2, n.° 16.
(25) Contrat du mariage, § 514.

curable, mais un mal QUE PRESQUE TOUS LES CHIRURGIENS SAVENT GUÉRIR :" Miranda ratio! nam uxor nihilominus morbo affici potest. — Quidquid sit, eadem forsitan mens dispositionum codicis civilis apparet, divortium scilicet tanquam infortunii remedium, tunc solum concedi, quum causæ *æternæ* sunt; uti adulterium, quod in perpetuum honorem lædit, atque injuriæ, quæ in hominum memoriâ remanent; morbus autem inter conjuges tantum cognitus, auferri potest. Et contrariam nos sententiam amplecti malumus; itaque docti Jurisconsulti *Loiseau* verba, quamvis longiora, exscribere juvat: « *Quelle injure*, ait, *peut être plus grande que celle qui porte avec elle la preuve que tous les devoirs du mariage ont été foulés aux pieds, que la couche nuptiale a été honteusement souillée, que l'époux empoisonné s'est livré au commerce le plus dégoûtant, le plus scandaleux, le plus infâme! quel outrage plus sanglant un mari peut-il faire à sa femme, que de lui préférer une femme publique, débauchée, prostituée! cet outrage est d'autant plus révoltant qu'il caractérise le crime de l'adultère en même-temps qu'il porte le poison de la destruction et de la mort jusque dans les sources de la vie. Et l'on veut qu'une maladie qui est pour le mari un témoignage d'infidélité, et pour sa chaste épouse un brevet d'opprobre et d'ignominie, qu'une maladie qui devient épidémique par la cohabitation commune, qui détruit la santé de l'individu, et souvent la fortune de toute une famille, qui attaque les organes sexuels, et porte son germe empoisonné jusque dans le sein des malheureux fruits de cette co-habitation, ne soit pas une* injure assez grave *pour donner lieu au divorce!.....*

Si tels étaient nos principes, si telle était notre jurisprudence, il faudrait avoir une bien faible idée de nos mœurs; il faudrait rayer de notre code l'art. 231, *et convenir qu'il ne contient que de vains mots, qu'une faculté illusoire, une disposition absolument inefficace* (26)."

---

(26) Anno 1806 contrarium judicârat *Curia Palensis;* sed curia cass. Paris. 16 febr. 1808, auctoris opinionem sustinuit.

Tertia divertendi ratio est pœna infamans (art. 232 Cod. C.).

Hìc obvenit capitis diminutio, sive MORS CIVILIS (27). Si in absentiâ aut per desertos vadimonii dies (*par contumace*), indicta sit pœna, secundum art. 27 Cod. C. tantum post quinque annos mors civilis extat, ita ut etiam tunc tantum matrimonii vinculum rumpatur. Sed secundum art. 227 Cod. C. divortium ob pœnam mortis civilis non immediate concedi videtur, nam lex dicit: *par la condamnation devenue définitive*; et per viginti annos *pœnam purgare* valent rei, ut constat ex articulis 476 et 635 *Cod. inst. crim.* (28): hæc vero dispositio non morti civili tribuenda, nam art. 30, et quidem 25 § 7, 26, 27, Cod. C. atque 476 § 1 *Cod. inst. crim.*, expresse statuunt, matrimonium ipsâ sententiæ executione dissolvi; aliæ solummodo pœnæ 20 annorum privilegium obtinent; eo sensu judicatum est curiâ cassationis (29); nam art. 261, Cod. C. ait divortium concedendum esse, « *lorsque le jugement* N'EST PLUS SUSCEPTIBLE D'ÊTRE RÉFORMÉ PAR AUCUNE VOIE LÉGALE »; *et art.* 476 *Cod. inst. crim.*: « *Si l'accusé se constitue prisonnier, ou s'il est arrêté avant que la peine soit éteinte par prescription, le jugement . . . . et les procédures . . .* SERONT ANÉANTIS DE PLEIN DROIT »; ita ut sententia per viginti annos reformari queat, excepto semper casu mortis civilis.

Quum itaque sententia definitiva facta est, sicque divortium legitime petitur, nullæ fere formulæ sequendæ sunt, ut nuptiarum dissolutio pronuncietur (30). Tribunali *primæ instantiæ* exemplar legale condemnationis et curiæ justitiæ criminalis testificationem, qua probatur definitivam esse sententiam, offerre tenetur conjux, qui solutionem nuptiarum cupit.; nil interest utrum alter conjux præsens sit: « *Le code n'exige pas*, ait Toullier (31), *que l'époux condamné soit appelé, par ce qu'il ne peut avoir aucun*

---

(27) Art. 25, § 7; et 227, Cod. civ.
(28) V. art. 481, codicis brumarii, anni quarti reipublicæ gallicæ.
(29) 17 Jun. 1813: (v. *Sirey* (1813) tom. 13, pag. 293).
(30) Art. 261, Cod. C. hod.
(31) *Droit civil français*, liv. 1, (tom. 2) § 681.

moyen de défense si le jugement n'est plus susceptible d'être réformé. Or, c'est un fait attesté par le tribunal criminel, qui ne peut être mis en question devant le tribunal civil, qui sur la simple présentation du jugement et du certificat du tribunal criminel ne peut s'empêcher d'admettre le divorce."

Plures auctores cum mœstitiâ perpendunt morte civili conjugium dissolvi, quanquam conjux constans ac virtuosa maritum solari vellet; ita ut liberi post sententiam procreati, hodie illegitimi pronuncientur: romana legum latio magis moribus favebat (32); « quid enim, *ait Ulpianus*, tam humanum est, quam ut fortuitis » casibus mulieris maritum vel uxorem viri participem esse »? Nunc autem conjux remanens concubina a lege dicitur, liberi postea procreati nothi declarantur; novum invehitur crimen, atque amor legitimus animique fortitudo plectuntur!

Perhibent alii divortium ob pœnam infamantem obvenire, quia alter conjux invitus per totam vitam in contemptione remanere non recte teneatur (33); communitatemque vitæ dissolvi, quia conjux crimine conscius essentiam atque naturam connubialis societatis effregerit (34); ita ut pœna post initas nuptias pronuncianda sit, ut divortium legitime petatur; nam art. 232, Cod. C. dicit: « *la condamnation* DE L'UN DES ÉPOUX », id est *conjux* ipso momento, quo lata est sententia: e contrario si sententia ante matrimonium obvenerit, alter conjux eamdem cognoscere debuit, vel saltem potuit, et *volenti non fit injuria;* non ignominiam exprobare valet consocio, nulla itaque ratio adest, ut ipsum in miseriâ relinquat.

In quartâ divertendi causâ, *mutuo consensu*, maxime apparet divortii malum a legumlatoribus cognitum fuisse; innumeris ideo formulis parum restringere cupiebant. Ut divertendi principium per mutuum

---

(32) L. 22, § 7 ff. soluto matrim. quemadm., etc. — *Desplisses*, titre du mariage IV, § 14.

(33) *Proudhon*, cours de droit civil, tom. 1, chap. 23, sect. 3.— *Toullier*, droit civil français (tom. 2) § 673; (édition de Bruxelles).

(34) *Locré*, Esprit du code civil; tom. 3, pag. 121 — 122.

consensum conservarent, aliqui tempore confectionis codicis civilis verba *Montesquieu* in medium attulerunt : *Là, où la loi établit des causes qui peuvent rompre le mariage, l'incompatibilité mutuelle est la plus grande de toutes* » (35) ; sed quid interest? duo conjuges sæpius divertere consentiunt, ut uterque voluptates impleat; quod legislatores animadvertêre, nam maximas difficultates, magnum intervallum (totum annum, art. 286 — 289, Cod. C.), et plurimos sumptus adhiberi jubent, antequam dissolutionem concedant. Si non perniciosum sit divortium, e contrario incommodorum remedium, quare non citius et facilius confertur; si revera ac merito malum appellatur, quare permittitur etiam cum longissimis formulis, quare non impeditur potius, atque penitus e codice deletur?. . . . Præterea nil adjuvat auctoris prædicti sententia; quanquam sagax est scriptor, errare potuit, non ullis quidem argumentis opinionem fulcit; atque *Cochin* solitâ facundiâ comprobat contrarium (36) : « *Si une pareille cause (la disparité d'humeurs) était admise, quel serait le mariage qui ne pût être dissous? il y en aurait d'abord un grand nombre, dans lesquels cette circonstance ne se trouverait que trop certaine. L'humeur est un goût de caprice qui n'est asservi à aucunes lois; celui en qui il domine avec le plus d'empire, ne le connait pas lui-même, il est entraîné sans se sentir, aussi sage à ses propres yeux, qu'il paraît aux yeux des autres bizarrre et insupportable. Dans quelle union peut-on donc se flatter de trouver un assortiment si parfait, qu'elle ne souffre jamais des saillies d'une nature indocile? C'est détruire non-seulement le mariage, mais la société même, que d'en faire un prétexte de rupture. D'ailleurs un prétexte si arbitraire serait ouvert à tous ceux qui voudraient en profiter; les conjoints seraient les seuls juges de leur sort; maîtres de rompre leurs nœuds en alléguant une vaine incompatibilité d'humeurs, le mariage, cet engagement si respecté dans toutes les nations, ne serait plus que le jouet du caprice et*

(35) Esprit des lois, liv. 16, chap. 16.
(36) 135° Cause; (tom. 5, pag. 475, de l'édition in-4. de 1754.)

de la légèreté. JAMAIS ON N'A DONC PU IMAGINER, JAMAIS ON N'A PENSÉ EN EFFET QUE LE DIVORCE PUT S'INTRODUIRE SUR LA SEULE DISPARITÉ D'HUMEUR DES DEUX CONJOINTS."

Codex Civilis art. 229 ad 233 divertendi modos recenset; sed eosdem distinguit, ita ut unum pro altero sumi non liceat; veluti si maritus adulterium uxoris probare vellet, ut divortium obtineret propter *graves injurias;* nam diversarum causarum diversissimi sunt effectus; et quoniam legislator eas distinguit, earum etiam probationes diversæ obveniunt. Quanquam adulterium revera gravissima sit injuria, attamen non confundendum cum cæteris divortii causis. Auctores quidam aliter sentiunt; nostra vero sententia judicato corroboratur (37); et tandem, non frustra distinctionem statutam credimus; si adulterium enim inter injurias adnumerari voluissent, *una* tantum in codice expressa fuisset causa.

Primum Juris *Civilis* principium merito dicitur, leges, quæ mores salutemque publicam ordinant, nullatenus contractu violari permitti (art. 6, Cod. Civ.); id est, divortio per sententiam nondum definitivam indicto, minime licet contractu stipulari, neutrum sententiæ obventurum. Auctores ac jurisprudentia recte eamdem assumpsêre doctrinam (38); doctus *Daniels* id optime exposuit; longius tamen foret verba conferre; sufficit ut annotemus curiam cassationis magistratûs opinionem amplectentem, idem judicasse 17 augusti anni 1807 (39).

Quinto quasi modo divortium locum sortitur; quum etenim separatio a thoro et mensa, ob omnem aliam causam, quam uxoris adulterium intervenit, et jam tribus annis stetit, conjugi primitus *reo* dissolutionem postulare licet, quæ conceditur, si alter, imprimis *actor*, statim conjugem recipere denegat (art. 310 Cod. C.). An non autem hìc separatio velut laqueus offertur? Sæpe illi,

---

(37) Arrêt de la C. de *Colmar*, du 8 octobre 1808. (V. jurisp. du cod. civ. tom. 12, pag. 106).

(38) *Malville*, analyse raisonnée du cod. civ. tom. 4, pag. 428. — *Proudhon*, cours de droit civ. tom. 1, chap. 23, sect. 1.

(39) V. jurisp. du cod. civ. tom. 10, pag. 85.

quibus religionis præcepta divortium vetant, separationem petunt, ut quoddam saltem majoris infortunii remedium assequantur, et quidem remedium *temporale*, nam spes superest, ut denuo conjuges inposterum communem vitam repetant, ac connubialem quærant felicitatem, ne liberi in odium patris sive matris instituantur: et nihilominus separatione obtentâ, lex, tribus elapsis annis, divortium tanquam *munus* offert; nisi infelix conjux iniquum socium recipiat; ita ut, vel miseriam renovet et quidem augeat, vel divertendo conscientiæ Majorumque religioni obsistere teneatur! quî fit ut leges injustam hanc jurium distinctionem separantibus impertiant? quî divertentibus favor iste conceditur? Post tres annos REUS divortium postulare valet, quare non etiam ACTOR: « *Cette cause*, ait Proudhon (40), *n'est point accordée au demandeur, parce que dès le principe il a rejeté la voie du divorce, en optant pour celle de la séparation de corps. Elle est au contraire accordée au défendeur, parce qu'il n'a pas eu, dès le principe, la liberté de choisir; qu'il est possible que ses principes religieux ne repoussent point le moyen du divorce; et qu'après trois ans de séparation il serait plus cruel que juste de le forcer à un célibat perpétuel par l'obstination de l'autre. Elle est refusée à la femme condamnée pour adultère, parce qu'elle tendrait à favoriser ses désordres, en la plaçant dans un état où elle pourrait se réunir à son complice* ». Sustinet auctor, ab actore non recte divortium peti, quia primitus potuit: casum tamen non nimis generalem offerre licet; nam si *nova* causa, velut adulterium uxoris obveniret, haud dubie tunc maritus, qui jam separationem assecutus fuerat, divortium merito instituet; primâ enim vice forsitan spes quædam melioris vitæ remansit; non ideo in majori infortunio remedium legis amittet (41). Res secus sese haberet, si conjux separationem a thoro et mensa postulans, subito actionem relinquit, et insti-

(40) Droit français, tom. 1, chap. 23, sect. 3. — *Toullier*, droit civil français, liv. 1, § 674 (tom. 2); (édition de Bruxelles).

(41) Arr. de cass. du 16 dec. 1811; (V. jurisp. du C. C. tom. 18, pag. 289). Parum dissentit *Locré*, Esprit du C. C. tom. 4, pag. 68.

tuit novam, ut divortium obtineat propter eamdem causam; separatio enim ac divortium diversi sunt dissolvendi nuptias modi, qui nunquam ideo permisceri queunt; ab initio unum vel alterum eligere debemus, non singulo momento variare conceditur, nec justitiæ irridere (42); « *La demande en séparation*, ait minister justitiæ (43) *ne doit jamais pouvoir aboutir au divorce, puisqu'elle est faite pour en tenir lieu; ce sont deux voies parallèles, qui dès lors ne doivent jamais coïncider.*" Primus Consul etiam dixit: « *Le divorce et la séparation sont des voies parallèles, et des parallèles ne doivent jamais se rencontrer.*"

Alius casus superest; quum uxor vel maritus *bonorum separationem* petit, nil impedit, quominus divortium paulo post instituat; nam bonorum divisionem postulans, actionis divortii amittendæ nullatenus animum ostendit; id potius *cautio* nuncupatur, quæ lege non prohibetur, et quâ etiam uxor, quum actrix est, et nondum dissolutis nuptiis, fortunæ administrationem marito adimit, ut propria sua jura, vel saltem bona a parentibus accepta conservet (44).

SECTIO SECUNDA.

Formulæ Divortii.

§. XLIII. — Haud dubie divortium publico ordini intime jungitur; nam magistratus dissolutionem pronunciare tenetur; conjuges ergo contractu æternum esse nuptiarum vinculum stabilire non possunt; sibi invicem divertendi facultatem impedire non licet. Sed quam ob rem a quibusdam formulis, ab accensi negligentiâ pendet conjugii dissolutio? Ob adulterium v. g. uxoris

(42) Arr. de la C. d'*Aix*, 17 nov. 1809. (V. jurisp. du cod. civ. tom. 15, pag. 178).

(43) Séance du 16 vendémiaire de l'an 10.

(44) Arr. de la C. de *Paris*, du 1 mess. an 12, confirmé en cass. (jurisp. du cod. civ, tom. 2, pag. 260).

maritus divortium postulat; hic maxima certe causa agitur; judex veritatem inquirit, sed ob quamdam actûs nullitatem petitionem legitimam denegat; unum tantum exemplum adferre juvat; in causâ cujusdam nomine *Maillard*, mulieris adulterium tam propriâ confessione, quam testibus, qui virum comitabantur, quum ipsam in *manifesto scelere* deprehendit, probabatur; sed inquisitio (*l'enquête*) nulla declarata est, quia vadimonium quoddam non vero domicilio remissum fuerat; et procedendi formulæ non novam inquisitionem instituere sinebant; ita ut *Maillard* a divortii petito submotus sit (45). An non hæc omnia contraria videntur?

Longæ sunt divortii formulæ; forsitan sufficit codicis articulos perlegere; synoptice tamen eosdem in medium conferre nostrum est; præcipuas postea enucleare quæstiones lubet.

Traduntur formulæ in codice civili ab art. 234 usque ad 266, atque ab art. 275 ad 294: bini enim generis obveniunt, prout divortium instituitur propter *certas causas*, aut per *mutuum consensum*.

§. XLIV. — In primo casu, divortium petitur coram civili tribunale domicilii conjugum, quoniam agitur de actûs civilis dissolutione; attamen si causæ pœnam inferre possent, divortium solum post rem criminalem judicatam intenditur, quæ tamen actioni civili nec juvamen, nec impedimentum efficere valet. Actionem coram communi tribunale institui diximus; quum vero divortium propter separationem a thoro et mensa, quæ jam tribus annis exstitit, intenditur, non difficile eveniet, ut conjuges longe a se invicem, et in diversis provinciis degant; quo casu axioma *actor sequitur forum rei* locum habere oportet.

Conjux divortium postulans, probationes vel facta (*les faits qui donnent lieu au divorce*) scripto redacta Præsidi, vel alii judici remittet; nisi ægrotat, tunc magistratus ipsum conjugem adit. Judex, audito actore, et observatis necessariis, petitioni nomen

---

(45) Confer *Merlin*, répert. univ. de jurisp. 4°. édition, v°. *Divorce*, sect. 4, § 13, n°. 3.

suum adjungit; scriptumque omnium dictorum factorumque (*procès-verbal*) conficit, atque etiam cum conjuge subsignat. Certo die ambo conjuges coram judice conveniunt; si nulla pax inter eos intervenit, scripta Regis-Procuratori ac toti Tribunali remittuntur: conjuges nec procuratores (*avoués*), nec consiliarios adhibere queunt; (art. 877, Cod. prax. civ.).

Tribus elapsis diebus, tribunal veniam vel interdictum divertendi pronunciat: in priori casu actor reum in jus vocat. Die indicto, primus *clausis foribus*, divertendi rationes exponit, ac testes indicat: reo omnes observationes quoad facta atque testes eloqui licet; ipse proprios nominat testes. Rerum omnium gestarum partiumque dictorum unum conficitur instrumentum, à partibus obsignandum.

Ad publicum tribunalis concilium conjuges mittuntur, ut audito publico Ministerio, judices divortii petitum admittant, vel rejiciant; atque tribunal jam divortium concedat, vel ulteriores a partibus exigat probationes.

Parentes quoque et famuli conjugum testimonium conferre possunt die a Judicibus constituto.

Testes *clausis foribus* audiuntur, præsentibus tribus amicis utriusque conjugis; ambo observationes ac interpellationes recte faciunt, quod spectat testes, quorum tamen verba interrumpere non licet; cuncta in instrumento gestorum dictorumque scribuntur, et a partibus signantur, quæ ad publicum tribunal referenda sunt. Antequam vero definitiva pronuncietur sententia, partes vel defensores quædam adhuc objicere valent; et tunc tandem Regius-Procurator suas facit conclusiones.

Si divortium a judicibus admittitur, actor, coram civilis statûs magistratû, id codici publico inscribi curat.

Quum divortium ob sævitias aut injurias intenditur, judices, antequam matrimonii dissolutionem concedant, per totum annum uxorem a marito sejungi imperant.

Quum autem dissolutio propter pœnam infamantem petitur,

solummodo actor exemplar sententiæ criminalis, et testificationem definitivam esse sententiam, offert tribunali.

Si actor reusve *appellationem* adhibet primæ sententiæ de divortio statuentis, causa brevissimo spatio decidenda venit, *elle sera jugée*, ait art. 262 C. C., *comme affaire urgente*. Appellatio ulterius per tres valet menses a die quo prima sententia recte alteri parti missa fuerit. Sententia curiæ appellationis etiam per tres menses a die missionis (*notification*) alteri conjugi, legitime curiæ *cassationis* mittitur, interea suspenditur executio.

Quum tandem sententia definitiva evenit, actor intra duos sequentes menses reum vocat, ut ambo simul, vel ipse solus, si reus non advenit, coram civilis statûs magistratu divortium pronunciari audiant. Duobus vero elapsis mensibus, et divortio nondum codici publico inscripto, actor amplius sententiâ uti nequit, quamvis ob novas causas novum petitum instituere, et primas etiam causas repetere permittitur. Omnibus formulis divortii ob *certas causas* expositis, animadvertendum est legem non statuere, an vadimonii deserti damnatus (*condamné par defaut*) sententiæ obstare possit, et sese præsente aliam obtinere? Affirmative respondere nullatenus dubitamus: ratio in promptu est; et juvat cujusdam judicati exponere argumentum: «*Attendu que c'est le cas de se référer au droit commun, et qu'il répugnerait à toutes les règles, que précisément pour un objet aussi intéressant que celui du divorce, la voie de l'opposition fût refusée au défaillant.*" (46).

§. XLV. — Dum mutuo consensu divortium confertur, plurimæ conditiones observandæ sunt: nam non conceditur, si maritus nondum viginti et quinque annis natus sit, nec uxor uno et viginti; tantum admittitur post duos annos a celebratis nuptiis, non autem post viginti, nec a muliere jam quadraginta et quinque annorum ætate adimpletâ, (de quibus latius infra, §. 49 n°. 2). Si hæc divertendi conditiones adsunt, consensus etiam

(46) Arr. de la C. de *Toulouse*, 26 juin 1811. — Aliter judicaverat curia *Aquisextana*, 7 maii ann. 1809. (V. jurisp. du cod. civ. tom. 14; pag. 14. — tom. 17, pag. 320).

parentum aut ascendentium adhibendus est, secundum dispositiones art. 278 et 150 C. C.; ulterius conjuges petitum Præsidi tribunalis *conjunctim* offerunt, duobus adhibitis tabellionibus; judex dissuadere conatur conjuges; caput sextum tituli de divortio Cod. civ., id est *effectus divortii* perlegit; si perseverant, actum petiti a judice accipiunt, cui remittunt contractus vel actus quibus bona mobilia et immobilia æstimantur, et utriusque jura ordinantur, quibus etiam statuitur: 1.° liberos educandos esse apud patrem, vel matrem;

2.° Ubi uxor remansura sit tempore divortii actionis;

3.° Quid maritus mulieri exsolvet, in eodem spatio, si uxoris bonorum reditus minime sufficiunt. (v. §. 48 huj. comm.) Etiam judici remittunt, 1.° actus nativitatis, et celebrati matrimonii; 2.° actus nativitatis omnium liberorum, etiam mortuorum; 3.° consensum parentum in actu a tabellione confecto, expressum. Tabelliones hæc omnia confecta instrumento inscribunt.

Consensus parentum eodem modo intra quindecim primos dies quarti, septimi et decimi mensis repetitur.

Intra quindecim primos dies post elapsum annum a primâ consensûs declaratione, ipsi conjuges cum quatuor amicis quinquaginta annis natis, coram tribunalis Præside conveniunt; quatuor instrumenta quibus consensus parentum singulâ vice legitime concessi exprimuntur, judicibus remittunt, cum omnibus aliis actibus; et uterque, *præsente altero*, divortium petit. Si observatis observandis tam a parte judicis quam a parte amicorum, perseverant conjuges, actum petiti divortii recipiunt, qui a partibus, amicis, judicibus atque a tribunalis tabulario subscribitur: judex instrumento adjungit, sese intra tres dies omnia tribunali relaturum.

Regis Procurator quærit, an cuncta prædicta rite observata fuerint; et simpliciter concludit, dicens: *lex concedit*; vel, *lex impedit*.

Tribunal eadem observanda inspicit, ita ut omnibus formulis a conjugibus confectis, divortium permittat. Intra viginti dies, a die sententiæ definitivæ, ambo conjuges (et conjunctim) ma-

gistratum statûs civilis adeunt, a quo divortium publicis actibus inscribitur: quâ re neglectâ, sententia post viginti dies nullam amplius vim habet, nec ullum sortitur effectum.

Attamen si tribunal divertendi veniam non concedit, appellatio ab utroque conjuge, post decem, et ante viginti dies elapsos, et quidem disjunctim conficienda, et regis Procuratori remittenda est; is intra decem subsequentes dies exemplar primæ sententiæ omniaque peracta mittet Generali-Procuratori curiæ appellationis, qui etiam intra decem dies scriptas conclusiones curiæ dabit, et denuo intra novos decem dies curia sententiam concedet, postquam Præses, aut alius judex litis expositionem in judicum concilio pronunciaverit.

§. XLVI. — Ulterius art. 881 Cod. prax. civ. ait: « *à l'égard du divorce, il sera procédé comme il est prescrit au Code civil.*" Omnis definitiva sententia, sive ob certas causas, sive per mutuum consensum obvenit, secundum art. 872 Cod. prax. civ. publica efficienda est; aliter creditores ipsam oppugnare, omnique inter conjuges bonorum divisioni contradicere possunt (47). Sed quid juris, si, sententiâ publicatâ, postquam divortium etiam magistratu statûs civilis indictum est, conjuges tamen denuo cohabitant, vel nunquam cohabitare desierunt, liberosque procreant? Haud dubie commercium est illicitum, et nullo ex lege existente matrimonio, nulli legitimi liberi nascuntur, ita ut merito *Nothi* nuncupentur, et uxor concubina evadat. Quid decidendum in hac hypothesi quoad tertios? Existimant quidam (48), divortium quasi nunquam exstitisse, si tertii in errorem lapsi, a conjugibus jam lege, id est, per sententiam judicis separatis, decipiuntur; nam forsitan cohabitare non desinunt, ut facilius frustrentur alios; divortium, inquiunt, *executioni* mandandum est, ut effectus producat coram exteris, et eo sensu judicatum exstat (49), quan-

(47) Art. 66 cod. commerc.
(48) Pandectes françaises; 1re édition; remarques sur l'art. 294.
(49) Arr. de la C. de *Limoges*, du 26 mess. an 9. — Arr. de cass. du 1 mess. an 11; (Confer *Journal du Palais*, n° 167, 2d semestre, 20 mess. an 11).

quam difficulter opinionem amplectendam credimus. Ut supra etenim diximus, sententia divortium concedens publicatur, sicque omnes dissolutionem cognoscunt, aut cognoscere debent.

Aliqui affirmant non æque statui, ut judex *publicitatem* prohibeat, quum agitur de divortio; sed pudor atque mores id exigunt; instant et objiciunt: malum in ipsa lege viget, et quoniam lex divertendi libertatem concedat, causæ publice defendendæ sunt, ut injustitia judicis, et pravitas legum noscantur: nam quænam alia publicitatis ratio exstat»? Et reipsa melius nobis videtur, ut in divortii causâ cives arcessantur; malesani tunc deterrentur, et qui dissolvere vellent conjugium, aliquando ob pudorem divortio abstinebunt!

Antequam adferantur probationes delicti aut criminis, quo divortium sancitur, primam exstare oportet sententiam, quæ petitum divertendi concedit (50).

Inter formulas divortii ob certas causas, eminet testium exhibitio qui ex articulo 252 Cod. C. die indicto conveniunt; si unus autem conjugum testes adhibere negligit, non ideo ulterius eos arcessendi facultatem amittit; altero verum die a judice indicando, testes rite advenient; nam in divortio omni modo veritas enucleanda est, nec ulla media spernere licet (51). Statim ac judex, absente Præside, actionem cognovit et recepit, nunquam illam præsidi remittere potest (52).

Ut divortium mutuum obtineatur, secundum art. 278 Cod. C. consensus parentum exigitur; quid juris autem, si pater vel mater consensum obnegat; an distinctio articuli 148 ejusd. Cod. obvenit? aliis verbis, an consensus solius patris sufficit, quoniam art. 148 ait: « *en cas de dissentiment, le consentement du père suffit* »? Ut solvamus quæstionem, inquirendum venit, quare parentum consensus in divortio postuletur? Haud dubie legislator optima me-

---

(50) Art. 246, 247 C. C. — Arr. de la C. de *Pau*, du 17 mars 1813.

(51) Arr. de la C. de *Paris*, du 6 mai 1811; (V. jurisp. du C. C. tom. 17, pag. 64).

(52) Arr. de la C. de *Besançon*, du 16 août 1811; (V. jurisp. du C. C. tom. 17. pag. 389).

dia adhibere voluit; ne matrimonia sæpiùs atque facilius dissolvantur; magis familiis providere voluit: in divortio de æternâ felicitate aut infortunio conjugum agitur; an inconsiderate itaque vincula rumpere permittitur? An mater judicare nequit, utrum filius vel filia à conjuge abire possit aut debeat, ut feliciorem assequatur vitam? Recte potest, et forsitan sæpe meliùs ac pater, ita ut consensus matris æque ac patris necessarius sit.

Non aliter sentit *Merlin*; en verba ejus: « *L'art.* 278 *ne s'exprime pas sur le divorce comme le fait sur le mariage l'art.* 148; *l'art.* 278 *porte que* DANS AUCUN CAS *le consentement mutuel des époux ne suffira pour leur divorce, s'il n'est autorisé* PAR LEURS PÈRES ET MÈRES, *ou par leurs autres ascendans vivans, suivant les règles prescrites par l'art* 150. *Par ces mots,* S'IL N'EST AUTORISÉ PAR LEURS PÈRES ET MÈRES, *la loi exige, comme dans l'art.* 148, *le consentement* SIMULTANÉ *du père et de la mère de chacun des époux; mais elle ne dit pas, comme dans l'art.* 148, *que,* EN CAS DE DISSENTIMENT, LE CONSENTEMENT DU PÈRE SUFFIT. *De quel droit suppléerait-on ces mots dans l'art.* 278, *où ils ne se trouvent pas. Prétendrait-on les y suppléer par identité de raison? On ne le pourrait que dans le cas où par la plus étrange immoralité, le Code civil montrerait autant de faveur pour le divorce, et sur-tout pour le divorce par consentement mutuel, qu'il en montre pour le mariage; et cette immoralité, il s'en faut de beaucoup qu'on puisse la reprocher au Code. Tracer un mode au consentement, prescrire des conditions, attacher des privations, vendre enfin, s'il est permis de le dire, vendre si chèrement le divorce, qu'il ne puisse y avoir que ceux à qui il est absolument nécessaire, qui soient tentés de l'accepter : tel a été, suivant les propres expressions de l'orateur du gouvernement, dans son discours au corps législatif du* 18 *ventôse an* 11, *le but du Code civil, dans les dispositions qui concernent le divorce par consentement mutuel, etc., etc.,* (53). »

---

(53) Sic judicatum; arr. de cass. 5 oct. 1810. — *Merlin*, répert. de jurisp. 4e édit. v°. *Divorce*, sect. 4. — *Locré*, esprit du C. C. tom. 2, pag. 282 - 285, sur l'art. 278. — Confer etiam *Deghewiet* (in simili casu) part. 1, tit. 2, § 16, art. 18.

Curiâ cassationis parisiense decisum fuit, consensum parentum secundum art. 285 renovandum esse tempore ibidem statuto, sub pœna nullitatis actionis; in sententia ratio decidendi apparet : «*L'intention évidente du législateur* EST DE HÉRISSER DE DIFFICULTÉS *le divorce par consentement mutuel pour le rendre le plus rare possible.*"

Divortium concessum est sententiâ judicis, sed antequam conjux magistratum civilis statûs adeat (art. 264, C. C.) ut inscribatur divortium, moritur, quid juris? — Si duos intra menses mortuus sit, nullatenus dici potest jus suum amittere voluisse; ergo art. 266 C. C. non applicandus, et alter conjux, stante divortio secundum art. 299, omnes subire tenetur pœnas, a lege præscriptas; sic judicavit curia Bruxellensis (54).

SECTIO TERTIA.

Requisita quæ, actione Divortii ob certas causas instructâ, observantur.

§. XLVII. — Cum formulis divortii nequaquam confundenda sunt requisita quæ, antequam discedendi libertas actori concedatur, observari oportet, quoad personas conjugum liberorumque, et quoad bona. Salus liberorum juraque conjugum quædam prospicere jubent.

Quum maritus ob adulterium, aut aliam causam nuptiarum dissolutionem in judicio postulat, 1.° liberorum institutio marito nihilominus remanet, nisi tribunal commodis liberorum favere exoptans, aliud servari jubet; 2.° uxor, sive agit, sive defendit, communem habitationem relinquere *potest*, et a marito, sat nummis potente, pensionem alimentorum exigere; sed tribunal uxoris recessum et pensionem ordinat; 3.° Uxor continuo habitationem indicare tenetur, quoties de ea interpellatur. Si habitationem a

(54) Arrêt rendu sur les conclusions du procureur impérial *Beyts*, le 26 avril 1806; (V. jurisp. du cod. civ. tom. 6, pag. 417).

judicibus indictam, a se occupatam esse non probat, maritus pensionem denegare valet, et uxorem, si hæc ipsa divortium intendit, ab actione propellit. 4.° Si uxor et maritus bonorum communitatem contractu antenuptiali stipulati sunt, primæ, sive actrix sit, sive rea, etiam a momento præscripti articulo 238 Cod. C. relati, petere licet, ut rebus mobilibus *sigilla imprimantur*, quæ auferuntur, quum ipsarum rerum descriptio atque æstimatio conficiuntur, eâ lege, ut maritus postea res adhibeat, aut valorem promittat, veluti *custos judiciarius*. 5.° Omnia a marito post decretum articuli 238, confecta, quæ spectant communitatem, omnisque rei immobilis abalienatio, nulla declarantur, si maritum in damnum mulieris egisse, constet (55). Quoad quartum requisitum prædictum, optimi atque solertis negociatoris uxor malesana ac ultionis appetens, subito bona mariti *sequestro* addicere potest, ita ut totam ejus fortunam et præsertim publicam fidem disperdat, quod a codice promulgato non raro in quibusdam Franciæ provinciis evenisse videtur (56).

SECTIO QUARTA.

Requisita quæ, actione mutui divortii institutâ, ante alia observantur.

§. XLVIII. Quod spectat prolegomena sive præliminaria, antequam mutuo consensu dissolutio nuptiarum pronuncietur, ordinanda, hæc repetere non juvat, nec utile videtur, quoniam jam latius de hujusmodi formulis locuti sumus, nempe in paragrapho 45, pag. 107 et seqq.; et ulterius enumerantur in Codice civili, articulis 279 et 280.

SECTIO QUINTA.

Quænam causæ divortium impediunt.

§. XLIX. 1.° Divortium propter certas causas nunquam concedi amplius poterit, si injuriæ uni conjugum illatæ, ab eo fuerunt re-

(55) Art. 267 ad 271, Cod. civ. hod.
(56) C: observations du tribunal de *Paris*, sur le Code civil, pag. 53.

missæ, et reconciliatio novaque concordia maritum inter atque uxorem intervenerunt, vel etiam post actionem inceptam, aut si mavis, post divertendi petitionem. Attamen novæ injuriæ, sævitiæ, etc. etc., alteram discedendi rationem constituunt, et primæ tunc sævitiæ denuo in medium conferuntur, quanquam novæ sufficere debent, ut connubii dissolutio concedatur. Si actor reconciliationem denegat: reus eam scriptis vel testibus probare potest. Coram quibusnam judicibus probatio incumbit? et dubitare non licet, quin ipsi judices qui divortii actionem acceperunt (*les juges du fond*), rite de reconciliatione decidant; inter plurimas sententias, inspiciatur arrestum curiæ *Tolosanæ* 29 decembris ann. 1808 (57); vide ulterius art. 272 ad 274, C. C.

2.° Quod attinet divortium mutuum, impeditur quum maritus non viginti et quinque, aut uxor non unum et viginti annos attigerit; (art. 275, C. C.). Impeditur quoque, si nondum conjugium per duos, sive jam per viginti annos stetit; vel quum uxor quadraginta quinque annorum ætatem assecuta est; (V. art. 276, 277, C. C.). Plurimi rationem ultimæ dispositionis quæsivêre: et reipsa, quam ob causam conjuges divortium non obtinent, quum mulier quadraginta quinque annos computat, dum ambo tamen infelicissimam forsan degunt vitam? Quo tendit interdictum, quum, non obstante provectâ mulieris ætate, per paucos annos steterunt nuptiæ, ita ut dici nequeat, conjuges jamjam sese invicem cognoscere, et diversarum mentium rationem ideo non valere? Saniorem scopum animadvertimus in dispositione, quâ matrimonii necdum a duobus, vel jam a viginti annis instituti dissolutio abnegatur; nam primo casu levitas, inconstantia et nimis breve mutuum commercium nihil vel saltem parum decidunt; longior vero usus in posterum conjuges fortasse conciliabit: in secundo casu, nempe viginti annorum spatio elapso, sese invicem omnino noscere debent; si mentes parum conveniunt, ante longum effluxum tempus divortii remedio uti potuerunt; quod si idoneum agendi

(57) Jurisprudence du C. C. tom. 12, pag. 205.

intervallum effluxerit, naturali nuptiarum indissolubilitati irridere haudquaquam licet: tunc divertendi veniæ finem legislatores imponunt, ne quis benevolâ libertate abutatur.

SECTIO SEXTA.

Effectus Divortii.

§ L. — Effectus divortii respiciunt:

1° Conjugum personas; 2° ipsorum bona; 3° ipsorum liberos.

(1°) Primus et præcipuus divortii effectus, sive ob certas causas, sive per mutuum consensum confecti, in eo versatur quod conjuges nunquam postea *inter sese* alias inire possint nuptias (art. 295. C. C.); ratio in promptu est: is statûs civilis contractus, qui familias ordinat, non quotidie rumpi, refici et rursus dissolvi potest, ita ut conjuges post breve spatium diverterent, denuo convenirent, et paulo post adhuc disjungerentur; quam ob rem dixit Montesquieu (58): » *La loi des Maldives permet de reprendre sa femme répudiée, la loi du Mexique le défendait sous peine de la vie.....; dans le temps même de la dissolution, la loi du Mexique* SONGEAIT A L'ÉTERNITÉ DU MARIAGE, *au lieu que la loi des Maldives semble se jouer également du mariage et de la répudiation.*" Legislatores nostri præfatum illud recordati sunt; conjuges itaque in æternum separantur; erga se vocantur extranei, et secundum art. 767 C. C. si divortium intervenit, unus conjux alterius hæreditatem non recipiet, quanquam ille nullos hæredes, et nullos liberos naturales relinquat.

Divortio certis causis instituto, mulier post decem tantum menses novas inire valet nuptias, ne sanguis turbetur, familiæque penitus misceantur, ac distingui nequeant, (art. 296 C. C.) Si propter uxoris adulterium nuptiæ dissolvuntur, ea cum criminis conscio, eâdem sententiâ atque postulante Publico Ministerio ad carceris pœnam, tempore intra tres menses ac duos annos a

---

(58) Esprit des lois, liv. 16, chap. 15.

judice statuendo, condemnatur, (art. 298 C. C.) Criminis particeps ulterius mulctam intra 100 et 2000 francos solvet, (art. 337, 338 Cod. pœnalis.)

Uxor nunquam flagitii conscio nubet, etiam mortuo marito. (idem art. 298. C. C.)

Quum mutuum divortium locum habet, conjuges tribus solummodo effluxis annis, alium matrimonium instituere poterunt, hâc itaque ratione effrenam voluptatem coercuit Legislator, pudorem publicum solerter intuitus, (art. 297. C. C.) Quid autem juris, si non obstantibus præcedentium articulorum dispositionibus, conjux *statim* novas init nuptias? id est, an impedimenta dirimentia vel tantum prohibitiva obveniunt? an novæ nuptiæ penitus nullæ sunt? Non solvit quæstionem codex civilis hodiernus; nemini hæc conjugia oppugnandi jus tribuit nec adimit: » *Le Code,* ait Toullier, *ne contient aucune disposition sur ce point, comme il en contient sur les autres empêchemens dont on parle dans le code. Nous pensons par ces motifs, que ces empêchemens ne sont que* PROHIBITIFS, *et que les mariages contractés au mépris de ces prohibitions, ne peuvent être attaqués, quoique les dispositions qui défendent ces mariages, paraissent toutes conçues en termes prohibitifs* (NE POURRA)" (59). Annon vero Minister Publicus matrimonium illud rite oppugnat? dissentiunt curiæ simul et auctores, ita ut difficultatem adhuc in medio relinquere necesse sit.

(2°) Effectus quoad bona conjugum differunt, prout divortium obtinetur per mutuum consensum, vel propter certas rationes.

Primo casu, jura conjugum jam contractu ante divortium ordinantur secundum art. 279 et 280 C. C., ut supra exposuimus; proprietas autem medietatis bonorum cujuscumque conjugis tribuitur ipsorum liberis stante matrimonio natis, a die primæ declarationis (art. 305. C. C.); parentes autem usque ad liberorum

---

(59) Droit français, liv. 1, tit. 5, § 651: et tit. 6, § 738, (tom. 1). — Sic arr. cass. 29 octob. 1811, (*Sirey*, an 1812, pag. 46.) dijudicat nuptias viduæ ante decimum mensem confectas non nullas esse declarandas.

majorennitatem usumfructum retinent, eâ lege tamen ut ipsos educent, quæ proprietas tantum liberis communibus, id est in ipso matrimonio procreatis, datur, quia non patris matrisque liberalitas est, sed potius pœna, ne facilius divertant; ita ut bona liberis *jure sanguinis*, non autem *jure haereditario* concedantur, et tanquam *prima* pars hæreditatis (vulgo *par avancement d'hoirie*), quam accipiunt liberi, quia quotidie, divortio facto, tam a patre quam a matre relinqui possent.

Inde etiam liberi anterioris vel posterioris conjugii nullum jus obtinent in ipsa medietate: inde liberi medietatem accipientes, tempore mortis patris vel matris nihil conferre debent ad hæreditatem (ut in quibusdam casibus secundum art. 843 et seqq. C. C.); nam nulla fuit donatio, sed jus a lege concessum (60).

Secundo casu, nullus ante dissolutas nuptias intervenit contractus quo jura conjugum ordinantur; sed, divortio concesso, hæreditas dividenda est, perinde ac si matrimonium dissolveretur morte naturali aut civili unius vel alterius conjugis; attamen sub quibusdam conditionibus, nam ille cujus culpâ, veluti adulterio, sævitiis, etc., dissolutio accidit, omnia commoda ab altero conjuge in suum favorem disposita amittit, (art. 299, 953, 1516, 1525 C. C.) Usumfructum bonorum quæ competunt liberis, et de quibus loquitur art. 384 C. C., non obtinet, et jam constitutum amittit; v. art. 386 ejusdem cod. Alter conjux, in eodem casu, commoda quanquam *mutua* in contractu stipulata conservat, art. 300; (lege 20 sept. 1792, § 3, art. 7, conjux divortium obtinens tanquam actor, solummodo pensionem annuam accipiebat). Si commoda ad vitæ sustentationem haudquaquam sufficiunt, aut si nulla commoda promissa fuerunt in ipsius favorem, pensionem a tribunali constituendam accipiet, donec sufficiat fortuna; art. 301 C. C.

Hic quæritur an conjux, qui tempore quo divortium judicis

---

(60) *Proudhon,* droit civil, chap. 23, 6, § 2. — Aliter sentit *Toullier*, droit civil français, liv. 1, tit. §. 754, (tom. 2, édition de Bruxelles).

sententiâ concedebatur, opibus valebat, multo post rebus adversis nihil aut parum ad sustinendam vitam possidens, ab altero conjuge adhuc pensionem expostulare possit? — Æquitas nullam differentiam instituere videtur; nam decursus temporis certe nil humanitati detrahit. Tribunal Parisiense in causa divortii celebris *Martin* nostram amplexum est doctrinam; » *Les époux divorcés*, inquit, *se doivent réciproquement des alimens, lorsque l'un d'eux est dans le besoin. — Cette demande doit seulement être considérée en proportion du besoin lors existant, et il ne peut résulter à cet égard* AUCUNE FIN DE NON RECEVOIR DU LAPS DE TEMPS" (61).

Quid de liberalitatibus, quum divortium obvenit propter trium annorum separationem secundum art. 310 C. C.? An art. 299 et 300 in casu obtinent locum? Et nos negativam profitemur sententiam. Quis est enim scopus legis, nisi pœnâ conjugem nocentem mulctare? In nostra autem hypothesi divortium pronunciatur adversus conjugem qui nullam divertendi causam præbuit, e contra qui primitus actor fuit; ita *cessante legis ratione, cessat et ipsa dispositio* (62). *Toullier* longius progreditur (63), affirmat conjugem adversus quem separatio allata fuit, nullis ex art. 299, 300 commodis orbari; sed contrarium amplectitur *Proudhon* (64).

Quodam modo divortium intervenerit, non petendi jura atque donationes veniam conceditur, nec mulieri, nec viro (art 1452, 1518 C. C.); sed actor in divertendi petito, ipsa exercet tempore mortis naturalis aut civilis alterius conjugis.

Mulier per divortium a marito sejuncta, quæ post tres menses et quadraginta dies communitatem nondum accepit, renuntiasse censetur (art 1463 C. C.).

An conjuges in contractu sibi invicem donationes offerentes,

---

(61) Jug. du tribunal de la Seine, 1 therm. an 13; la C. d'appel de *Paris* a confirmé implicitement cette doctrine, par un arrêt du 4 vendém. an 14. (V. jurisp. du C. C. tom. 6, pag. 245).

(62) Dialectique légale par M. *Spruyt* (à Bruxelles), § 18.

(63) Droit civil français, liv. 1, tit. 6, § 781.

(64) Cours de droit civil, liv. 1, chap. 24, sect. 4.

revocationi ejusdem liberalitatis, in casu divortii renuntiare possunt? — Matrimonium essentiâ suâ perpetuum est; et divortium veluti exceptio regulæ, a lege concessum; divortium autem in contractu ante-nuptiale prævidere, tam moribus, quam decorò repugnat: ante crimen commissum conjugi nocenti impunitatem promittere, partemque bonorum, velut fidei violationis et perfidiæ prætium concedere; pœnam a lege constitutam quasi abrogare; ad flagitia tandem animos adhortari, iniquum esset et maxime perniciosum, ita ut omni juri obstaret contractus (65). Romani id expressâ dispositione prohibuerunt, quanquam divortii causâ, in ipso separationis contractu, id est, in bonorum separationis actu, quæ ex divortio fluit, permiserint: » Quæ tamen, » *ait Paulus* (66), sub ipso divortii tempore, non quæ ex cogi- » tatione quandoque *futuri* divortii fiant ».

Conjux nocens omnia commoda ab alio conjuge stipulata amittit; quid autem de donationibus a parentibus posterioris conjugis facta? Non illa adimi credimus: codex civilis enim expresse loquitur de commodis atque donationibus *inter conjuges* constitutis; (art. 299 — 300); ad alios itaque casus legis dispositio extendenda non est, nec sub ullo prætextu extendi potest; contrarium quidem expresse statuebatur in lege 20 sept. 1792, art. 4, § 3; legislatores verum in nova lege, dispositionem omiserunt, ita ut id amplius observari noluerint; perhibet *Locré* (Esp. du C. C. tom. 3), quod aliqui legis 1792 dispositionem in Cod. civili sanciri desiderassent, quæ tamen a plurimis aliis remota est, non legislatorum itaque voluntas, nec mens legum dignosci possunt (67).

(3.°) Inter effectus divortii liberos spectantes, distinguendi sunt effectus quoad ipsorum statum et parentum tutelam, et quoad ipsorum bona.

---

(65) Art. 6, 1133, 1172 C. C.). *Toullier*, droit civil, liv. 1, tit. 6, § 744 (tom. 2, édition de Bruxelles).

(66) L. 12, ff. de donationibus inter virum et uxorem.

(67) V. *Proudhon*, droit civil (tom. 1), chap. 23, sect. 6, § 2. — *Toullier*, liv. 1, tit. 6, § 745, (tom. 2, édition de Bruxelles).

(A.) Secundum art. 302 et 303 Cod. C., liberi educandi sunt a conjuge qui divortium obtinuit, nisi tribunal, familiâ aut regis Procuratore petente, alteri conjugi vel tertio eos committat; in omni autem casu, tam mater, quam pater ipsorum institutioni advigilare queunt, et nummis, pro ratione facultatum, promovebunt. Quodnam vero jus personæ, cui judices committunt liberos, competit? Aliis verbis, an pater, quum matri liberi concessi sunt, potestatem paternam amittit? Qui contendunt patrem, etiam instituto divortio, suam potestatem amittere posse, in ipsis codicis art. 373 et 389 systematis probationes quærunt; primus ait: » *Le père seul exerce cette autorité* DURANT LE MARIAGE ". Secundus: » *Le père est* DURANT LE MARIAGE *administrateur des biens personnels de ses enfans*"; ita ut, divortio facto paterna auctoritas cesset. Sed verba *in titulo paternæ potestatis* referuntur; legislator exponere conatur, nunquam potestatem patrem inter et matrem dividi, nam postquam dixerat: » *L'enfant à tout âge doit honneur et respect à ses père et mère; il reste sous* LEUR *autorité jusqu'à sa majorité ou son émancipation* (art. 371, 372 Cod. Civ.)", addit: » *Le père* SEUL *exerce cette autorité* DURANT LE MARIAGE (art. 373 C. C.)": Quis non videt, id significare *quamdiu vivit*, ita ut mater tantum potestatem acquirat, *mortuo patre*; in eodem titulo nullibi de divortio agitur; nec divortium subintelligere licet. Et quare pater, matrimonio, v. g. per mutuum consensum dissoluto, patriam amitteret potestatem, quum judices liberos matri vel tertio concedunt? et quoniam non magis delictum commisit, quam mater, nullam subire tenetur pœnam; quid ergo adversarii doceant absurdam nostram esse sententiam? e contra art. 303 dicit: » QUELLE QUE SOIT *la personne à laquelle les enfans seront confiés*, LES PÈRE ET MÈRE *conserveront respectivement le droit de surveiller l'entretien, etc.*" Patri itaque nunquam adimitur potestas in liberos, quam exercet mater, quum pater moritur; tunc juri quasi *succedit*, (*respectivement*, ait lex); quod alio loco etiam clarius sancitur, nempe in art. 381 et 384: » *La mère* SURVIVANTE, ... *ne pourra détenir un enfant que, etc. — Le père durant le mariage,*

et après la dissolution, — le SURVIVANT *des père et mère auront la jouissance, etc.*" et quidem art. 390 expresse: » *Après la dissolution du mariage arrivée par la* MORT NATURELLE OU CIVILE, *la tutelle des enfans appartient au* SURVIVANT. Nullibi de divortio agitur, velut modo auferendi patriam potestatem (68).

Quum codex permittit, ut tribunal liberos *tertiae personae* committat, nullâ utitur distinctione, ita ut persona etiam vir aut femina esse queat; tertia illa vero persona non tutrix erit; decretum tribunalis, solummodo depositum liberorum constituit; an etenim in legislatorem cadere recte arbitrantur, liberos ex ejus voluntate habendos quasi pupillos, etiam viventibus patre ac matre? — Præterea non derogandum est articulo 405 C. C., quo tunc tantum tutelam *dativam* confert familia, legitimâ patris vel matris deficiente; neque ergo judices tutorem liberis dabunt. Sed instant alienæ sententiæ fautores, dicendo patrem divortio *tutelam* amittere, et consequenter patriam potestatem; sed falsum; pater tutelam conservat, donec *destituatur* ob rationes lege expressas, et divortium inter causas amittendæ tutelæ nequaquam recensetur (art. 442, 443, 444 C. C.); e contrario lex, uti jam diximus, ait: » *Les enfans seront confiés à l'époux qui a obtenu le divorce, à moins que le tribunal.......... n'ordonne que tous ou quelques-uns d'eux* SERONT CONFIÉS AUX SOINS DE L'AUTRE ÉPOUX, *etc.* (art. 302 C. C.) Si causæ articuli 444 adsunt (69), tunc fortasse non a judicibus, sed ex art. 446, per familiæ-concilium amovebitur (70).

Ex omnibus dictis sequitur quoque, liberos divortio non emancipari, solus enim pater suæ potestatis vi ac officio liberos emancipat, (art. 477.) art. sequens ait: » *Le mineur resté sans père ni mère, pourra aussi (à l'âge de 18 ans) être émancipé, etc.*" Jus ergo emancipationis familiæ-concilio competit, eâ tamen lege

(68) *Toullier*, liv. 1, tit. 6, § 749; (tom. 2, édition de Bruxelles).
(69) Quæ patri quidem convenire, aut tribui posse incertum nobis videtur.
(70) Hanc doctrinam secuta est jurisprudentia; V. inter alia, arr. de la C. de *Paris*, 29 prairial an 13. — *Proudhon*, droit civil, tom. 1, chap. 23, sect. 6, § 3.

ut neuter parentum in vitâ supersit; nam quanquam matrimonii vincula divortio dissolvantur, liberi nihilominus patrem et matrem habent; et pater solum *liberâ voluntate* potestatem abdicat; jure romano idem obtinuit: » Non potest filius, qui est in potestate » patris, ullo modo compellere eum, ne sit in potestate; sive na- » turalis, sive adoptivus" (71). Exceptiones huic principio adsunt, quibus divortium nequaquam adnumeratur (72). Codex civilis quoque nec in titulo paternæ potestatis, nec in titulo emancipationis talem, quâ patria potestas adimitur, causam sancit; sed stabilitum fuit sententiâ curiæ Parisiensis, a patre, non accedente matre, post divortium rite liberos emancipari (73).

(B.) Quoad effectus bona liberorum spectantes, quamvis propter divortium nulla amittunt commoda a legibus, sive lucra e bonis parentum profluentia, ea tantum acquirunt, perinde ac si matrimonium nunquam ante mortem unius conjugum dissolutum fuisset (art. 304 C. C.)

Inde parentes ex art. 1048 uni vel pluribus liberis bonorum partem, cum substitutionis conditione, et portionem disponibilem non excedentem, concedere possunt.

Inde donatio conjugibus vel uni conjugi constituta, secundum art. 1082, semper sub conditione substitutionis in favorem liberorum ex illo ipso matrimonio natorum aut nasciturorum, divortio etiam non rescinditur; nihilominus liberi post mortem tantum donatoris rem donatam accipiunt.

Tandem art. 305, si divortium mutuo consensu instituitur, media pars bonorum tam patris quam matris, ab ipso divertendi petitionis momento liberis tribuitur; usufructu tamen parentes gaudent usque ad majorennitatem, eâ lege ut educent liberos, qui omnia alia adhuc lucra, contractu antenuptiali aliquando promissa, conservant.

---

(71) L. 31 ff. de adopt. et emancipat.

(72) L. 92 ff. de condit. et demonst. — L. ult. ff. si quis a parentibus. — L. 12 cod., de episc. audient. — L. ult. cod., de inf. expos.

(73) Arrêt de la C. de *Paris*, (chambres réunies) du 1 mai 1812; (jurisp. du C. C. tom. 21, pag. 375).

SECTIO SEPTIMA.

Jus Transitorium.

§ LI. — *Leges ne retroagunto*, æternum legislationis principium naturaliter hic ante oculos constituendum est: nimis tamen certum ut authorum argumentis, variisque e legibus exemplis suffulcire operæ pretium sit. Jus romanum inquit (74): » Leges et » constitutiones futuris certum est dare formam negotiis, non ad » facta præterita revocari." Et codex noster civilis art. 2. »*La loi ne dispose que pour l'avenir; elle n'a point d'effet rétroactif.*" Ne ullum autem remaneret dubium de divortio (75), legislatores, jam condito codice civili, expressâ legis dispositione (76), omnia divortia ante codicem confecta, firma atque æterna manere voluerunt, quamvis discedendi rationes in lege anteriori (20 sept. 1792) atque in posteriori (Cod. civ.) multo differant (77).

Eâdem lege transitoriâ, articulo 2° (ultimo), divortia instituta, necdum sententiâ concessa, secundum anteriorem legem pronuncianda erant.

Quidam (78) asserunt matrimonia ante legem 1792 confecta, divortio secundum Cod. civ. rumpi non licere. Id autem nullatenus recipimus, nec ullæ refutationis quidem indiget; leges hic non retroagunt, divortium sanciendo novum introducunt jus; nulli anteriori juri quidquam adimitur; ambo conjuges in pari degunt causa. Implicito modo contrarium, ac adversarii docent, judicatum reperimus (79).

---

(74) L. 7 cod. de legibus et constit. — Id in legg. fundamentalibus gallicis sancitum reperimus; vide *constitution du 5 fructidor an 3, art. 14 :* » *aucune loi*, NI CRIMINELLE, NI CIVILE, *ne peut avoir d'effet rétroactif.*"

(75) V. motifs de la loi du 26 germinal an 11, exposés par *Réal.*

(76) Loi transitoire du 26 germinal an 11.

(77) V. arrêt de la C. de *Colmar*, 13 frim. an 13. — Arr. de *cass.* du 22 mars 1806. — du 8 nov. 1808; (V. jurisp. du C. C. tom. 11, pag. 365).

(78) *Pandectes françaises;* remarques sur l'art. 229 du C. C. (1re édition).

(79) Arr. de *Turin*, 21 floréal an 12; (V. jurisp. du C. C. tom 3, pag. 349 et suiv).

Lege 20 sept. 1792 latâ, hac de re nullum dubium oriebatur; nam hìc expresse statutum fuit nuptias, antea initas, nihilominus dissolvi posse. Jam codice civili promulgato, ut tempore legis transitoriæ 26 germ. ann. 11, dubium quoddam remansit quoad absentes, vel sponte ex patria emigrantes. Plurimorum conjugium in absentiâ a judice, altero postulante conjuge, dissolutum fuerat; decreto itaque *gallici-concilii* (80), hujusmodi divortia valida proclamata fuêre; hìc verba adferre expedit : » *Les émigrés ou absens ne peuvent attaquer les actes de divorce faits pendant leur disparition. Les actions qu'ils intenteraient à ce sujet, seraient également contraires au texte et à l'esprit des lois sur le divorce, et elles tendraient à perpétuer une agitation et des souvenirs qu'il faut au contraire éteindre le plutôt possible.*"

» *Les émigrés et les absens ne peuvent examiner que* LE POINT DE FAIT; *s'il existe* UN ACTE DE DIVORCE REVÊTU DE SA FORME EXTÉRIEURE ET MATÉRIELLE; *mais ils ne peuvent jamais être recevables à remettre en question l'affaire, et à discuter* LES CAUSES DU DIVORCE."

Alia superest quæstio quoad formulam procedendi : nempe per legem 24 augusti 1790, sententiæ judicum *quatuor partium nomina* subscribenda erant (*les sentences doivent relater les noms des quatre parties*) ; attamen nec Codex civ. hod., nec prædicta lex transitoria 26 germ. anni 11, nec codex practicus civ. hâc de formulâ loquuntur; curia autem Appellationis Parisiensis (81), judicavit quatuor partes adhuc referendas esse in sententia, nempe nomina judicum, procuratorum, etc. sed art. 1041 cod. praxis civ. ait : » TOUTES *les lois, usages et règlemens relatifs à la procédure civile sont* ABROGÉS." Lex 1790 haud dubie praxim continet, ergo articulo prædicto 1041 abrogata fuit, nec amplius divortio aut aliis rebus applicanda, sed nova observanda est lex. Ulterius art. 881

(80) *Avis du conseil d'état*, du 11 prairial an 12, approuvé par l'Empereur le 18 du même mois.

(81) Arrêt du 9 frimaire an 14.

ejusdem Cod. prax. civ. inquit : » *A l'égard du divorce, il sera procédé comme il est prescrit au Code Civil*"; Codex vero civilis inter plurimas divertendi formulas, nullibi quatuor partium nomina exigit; art 247, 252, 258, 298 qui præcipue de sententiâ tractant, hujusmodi formam non requirunt, ita ut nullum dubium remaneat, quin hæc nostris abrogata sit legibus.

Omnes divortii dispositiones in præsenti capite enucleatæ, hodiernum belgicum de divortio jus constituunt.

CAPUT NONUM.

JURA SIVE CONSUETUDINES VARIORUM POPULORUM.

§ LII. — Antequam ad commentationis nostræ conclusionem procedamus, adhuc jura quædam sive varias variorum populorum consuetudines in medium conferre juvat; ut omnes positivas huc usque nationum legumlationes compleamus. Quasdam priscas atque recentiores inspiciemus gentes.

Apud Amazones, sic saltem scriptores referunt, nulla divortia, quoniam nulla etiam exstabant matrimonia : » Nubendi finitimis » animum omisêre; servitutem, non matrimonium appelantes; ne » genus interiret, *concubitum* finitimorum ineunt, si qui mares » nascerentur, interficiebant" (1).

Esseniani, teste Plinio (2), nullum in posterum cum feminis commercium habere voluerunt; nuptiis renuntiavêre.

Apud Persas sancta vigebant conjugia, et quotanis Reges præmia concedebant viris qui majorem liberorum numerum procrea-

(1) *Justinus*, lib. 2, cap. 4. — *Diod. sicul.*, lib. 2, cap. 45.
(2) Hist. natur. lib. 5, cap. 17.

verant (3). *Cabades* autem mulierum communitatem introducere conatus est, sed stultitiæ pœnam subiit, a rerum publicarum gestione remotus et throno detrusus est (4).

Apud Agilenos legitima quasi adulteria, et quotidiana fuerunt divortia; mulieres etenim, maritis imperantes, *extraneis* id est aliis quam maritis favores concedebant; ad libitum cum tertiis concubitus habuerunt (5).

Prisci Angliæ incolæ nuptias civium omnium miscebant; communitatem feminarum sanciverant; liberorum tamen legitimationi favebant: » Uxores, *ait Cæsar* (6), habent deni duodenique inter » se communes, et maxime fratres cum fratribus, parentesque » cum liberis; sed si qui sunt ex his nati, eorum habentur liberi, » a quibus primum virgines quæque ductæ sunt." Quod etiam apud plures alios populos locum habuit; nempe apud Trapobanos, Garamantes, Sabeanos, etc. et hodie in regno Calecutæ (7).

Saraceni in statutum tempus mulierem assumebant; ita ut spatio affluxo, verum repudium, aut divortium institueretur (8). Hodiernis temporibus Batavi in Japonia uxorem ducebant, donec in Europam revertebantur, conjugem relinquere haudquaquam dubitavêre; hæc novum quærebat virum: non justæ nuptiæ, potius concubinatus jure merito appellantur (9).

In regno Monomotapæ mulieres incertos viros assumunt; scriptores (10) saltem perhibent exercitus præcipue feminis componi, quæ ad libitum certis temporibus maritum eligunt, ut filias procreent; filios enim patribus relinquunt.

Turcæ hodiedum plurimas eodem tempore ducunt uxores; quas omni momento repudiare possunt. Jus illud e *Korano*

---

(3) *Strabon*, geograph. lib. 15. — *Herodot.* lib. 1.
(4) *Procopus*, hist. pers. lib. 1, cap. 5, — V. *Feller*, dict. hist. v°. *Cabadès*.
(5) *Mich. Glycas*, ann. part. 2.
(6) Comment. de bello gallico, lib. 5, cap. 14.
(7) *Diod. sicul.* lib. 2, cap. 58. — *Plinius*, hist. nat. lib. 5, cap. 8. — *Strabon*, lib. 16. — *Joan. Bohem.*, de moribus gent. lib. 3, cap. 7.
(8) *Amm. Marcel.*, lib. 14, cap. 4.
(9) *Varen.*, de Japon. cap. 13.
(10) *Eduard. Lopex*, de regno Congo, lib. 2, cap. 9.

accipiunt (11); ipsa verba adferenda arbitramur : » *ô Prophète, nous te permettons tes femmes que tu as dottées, et aussi les esclaves que ta main droite possède, et qui sont une partie du butin que Dieu t'a accordé, et les filles de ton oncle, et les filles de ta tante, du côté paternel et du côté maternel. — Tu pourras appeler à ton lit celles de tes femmes qu'il te plaira, que ce soit leur tour ou non; tu pourras aussi prendre celle que tu voudras, et celle que ton cœur désirera* PARMI CELLES QUE TU AVAIS RÉPUDIÉES PRÉCÉDEMMENT, *et ce ne sera point un crime en toi."* Maritus tamen rationem præbere tenetur, quum repudiat uxorem; illa solummodo *quarto* post repudiationem mense alias init nuptias. Si gravida sit uxor, non repudianda est, nisi ediderit partum.

Maritus repudiatam conjugem denuo ducere potest, si jam alteri viro post repudiationem conjuncta fuerit (12). Ista autem nimis barbara, ut longius in inutili consuetudinum inquisitione progrediamur.

---

(11) *Koran*, chap. 55, édition de *Sale* (traduction).
(12) Voyage du Levant, par *Thévénot*, liv. 1, chap. 41.

CAPUT DECIMUM.

QUID IN FUTURA LEGUMLATIONE BELGICA STATUENDUM?

» Si les vices du gouvernement et les erreurs de la législation corrompent les mœurs du peuple, quel est le sexe qui fait les lois et gouverne l'état? quel est le sexe qui a le plus de frein contre la corruption, et le moins de force pour la répandre?"

(Filangieri, *Science de la Législation*, *liv.* 4, *part.* 1, *ch.* 34.)

§ LIII. — Jamjam in conjugii naturæ, scopi atque effectuum persquisitione invenimus vel saltem probare conati sumus initio hujus commentationis, nuptiis felicitatem familiarum, potentiam reipublicæ atque dignitatem totius generis humani magnopere stabiliri et sæpius augeri. Id quidem maxime necessarium arbitramur; in contrariâ etenim hypothesi, patria turbationibus, inimicitiis civium et aliquando publicarum rerum ruinâ disperditur: hoc æternum axioma veritate fulciri, historiâ comprobari, quis dubitat? omnino itaque utile investigare cuncta quæ civitatis salutem impedire possent; ita ut divortium, si matrimonii scopum avertit, nunquam legibus sanciri, imo sancitum abrogari oporteat.

Non recte sententiam proferre valemus, nisi dilucide inquiritur an divortium nuptiarum effectus destruat, augeat, vel saltem nullo modo impediat. Et primam nos opinionem profiteri non dubitamus, quam diversis punctis comprobare enitemur. Nempe certum videtur, divortium infestum esse 1° hominum naturæ; 2° moribus belgicis; quum ab omnibus etiam populis spretum fuit; 3° et tandem saluti publicæ.

§ LIV. — Haud dubie nemo asserere audet, nuptias unquam domesticam disperdere posse felicitatem; iis vero amicitia paren-

tum corroboranda est; homines etiam quum aliquando vitam flagitiis aut luxuriâ fædarunt, ad senectutem pervenientes propulsant cupidines, et novâ adhuc gloriâ, et novâ voluptate in memoriam revocant uxorem, quam pudore ornatam accepêre; et quænam uxores, spretâ tandem corruptelâ, non arctiori vinculo conjunguntur viro, cui virginitatis munera obtulerunt, quæ nunquam alii postea concedere potuissent, præcipue quum ab eo ipso legitimum nomen atque gaudia matris obtinuerant. Sæpius enim conjuges societatis fraudibus decepti, cupidinibus incitati, a novo abhorrentur statu, suæ personæ quodammodo medietatem relinquunt, sed vitâ recedente, pacem solum virtute sustentari experiuntur, et denuo sese invicem quærunt, sibi invicem parcunt, ut mutuâ fiduciâ vitam felicius finiant. Si homo, dum patitur, magnam animi fortitudinem præstat; si maxime necessarium est, ut ei ignoscatur; primum ejus erit munus, prima gloria alteri quoque ignoscere. Remissio, novaque pax illa naturæ hominum congruunt, divortio tamen penitus dispereunt; lex facultatem divertendi sanciendo, quasi errorem consecrat, injuriamque perpetuam efficit; æternam stabilit calamitatem, gaudium in altero quæri jubet conjugio, quod denuo et etiam in perpetuum dissolvi conceditur, ut rursus novæ, nec minus forsitan infelices instituantur nuptiæ. Sed objiciunt adversarii: non nimis severas imponi licere homini obligationes. — Quid illud?...... Naturam mortalium perperam noverunt; obligatio sive munus conjugii hominem parum vexat, imo blanditur potius: quam gloriosum enim illegitimis desideriis et dolori resistere! quo modo non minus superamus bestias, quam sermone et rectæ rationis usu. Etiam ars vivendi labore, patientiâ atque experientiâ acquiritur; et ulterius qui in sociali vita mendis quibusdam et vitiis non indulget, hauddubie nemini nec uxori quidem indulgere poterit; hinc plurimis matrimonium non inire utile, imo necesse est; hinc plurimi primis dissolutis nuptiis, inconsulte et secundum et tertium instituent divortium, ita ut divertendi libertas a legislatore sancita familiarum et seorsim civium perniciem gignat, augeat miseriam ac

mærorem, novum tandem introducat malum; ita ut hominis etiam in communitate viventis benevolentiæ, legitimis desideriis atque felicitati maxime obstet; nec unquam infortunii remedium nuncupari possit! — Quid vero de feminâ? divortio concesso, minus adhuc cupidines vincit: » *Si on laisse* (*a dit Madame* Necker), *si on laisse aux femmes mariées la liberté de faire un nouveau choix, bientôt leurs regards erreront sur tous les hommes, et bientôt* LE SEUL PRIVILÈGE DU PARJURE *les distinguera des actrices, qui ont le droit des préférences et le goût des changemens."*

§ LV. — Non minus moribus nostris repugnat divertendi facultas, ut in capite septimo exposuimus: primi Belgæ, etiam ante Christianam conditam doctrinam, nunquam divortia adhibuisse videntur; lex civilis in posterum religionem secuta, divortium nemini nec sub ullo prætextu concessit; matrimonii autem indissolubilitatem sancitam reperimus fide Catholicâ, non magis velut fidei principium, quam opus atque legem naturæ. Quum enim maritus quisnam Ecclesiam romanam amplectebatur, nunquam ipsius nuptiæ ideo dissolvi potuerunt. Sed alii in eodem regno, intaminatâ religione, discedendi facultate utuntur! Quid ita? quoniam pauci legitime nuptias rumpunt, id lege omnibus concedendum? An ob eamdem rationem polygamiam, repudium, liberorum projectionem, eremationem uxorum in funere mariti permittere valerent legumlatores? nam diversi populi, iis consuetudinibus adstricti, in nostra vivere queunt patria: quæ consectarie non falsa appellanda sunt, vitiosum est principium (1).

---

(1) Domina *Necker* aliam, sed non spernendam rationem adfert : » Avant de blâmer, *ait*, les pères de l'église, qui ont élevé le mariage au rang des Sacremens, il fallait connaître le principe de cette décision; un peu de réflexion nous persuadera que *rien n'était plus conforme* à l'indication, aux loix et aux droits de la nature : car faire du mariage un contrat simplement civil, c'est prendre pour base de cette institution, la circonstance la moins importante. Et en effet la fortune, l'état, toutes les convenances du ressort civil, sont de simples accessoires dans un engagement destiné à l'association des cœurs, des sentimens, des réputations et des vies; et puisque toutes les grandes affections ont été constamment jointes à des idées religieuses, puisque dans la société, les sermens cimentent tous les engagemens que la loi ne peut sur-

Quum plurimæ religiones vigent, nonne sanius esset, ut Legis Conditor solummodo sanciret, quod fides rigidior concedit? tunc non aliis plus, tantum aliis minus permittit; coercet, non autem pervertit mores: quod etiam magis necessarium evenit, quum fides rigidior, ut in regno nostro, majorem sectatorum numerum computat. At objiciunt: unusquisque lubenter divortio utitur, vel solâ separatione. Malâ fide argumentant, nam certe non unquam legislator duellium agnoscet, quoniam pura est facultas, ut eo exitium nostrum quæramus, vel non! Magis dignitati atque conscientiæ mortalium favere oportet.

Et nulla quidem æqualitas adest; nam Catholici, quibus divortium repugnat, non separationem obtinent mutuo consensu (2); oratores publici modum illum, velut facillimum proclamavêre (3): et tamen Catholicis permittere noluerunt, quoniam separatio ob sævitias aut pœnas infamantes instituta, post triennium finire, aut cum ipso divortio commutari debeat! (4). Alii mutuo consensu, propter diversitatem mentium conjugium dissolvunt, nec suum honorem disperdere tenentur; sed alii sese invicem ignominiâ et calumniis notare, sibi invicem flagitia fœda, uti adulterium exprobare coguntur, ut a se invicem divertant; vel, remanente vinculo, finiunt separationem, et conjugem, implacabilem aliquando inimicum, denuo recipiunt, vel obstante religione, discindunt nuptias; ita ut infortunium adaugeant, aut conscientiam prodant. An non etiam sæpissime evenit, ut odio sese persequentes conjuges, nulla tamen crimina sibi imputare queant? an non fictum tunc flagitium excogitabunt, aut revera in socium sævient, ut doloris remedium, et æternæ separationis causam assequantur?

---

veiller, pourquoi excepter le mariage de cette règle générale, le mariage dont la parfaite pureté ne saurait avoir de juge et de témoin que notre propre conscience? L'exclusion de la polygamie et du divorce, dit M. Hume (dix-huitième essai), fait suffisament connaître l'utilite des maximes de l'Europe, par rapport aux mariages."

(2) Art. 307 C. C.

(3) V. discours du citoyen *Treilhard* sur le titre du divorce.

(4) Art. 310 C. C.

Si mutuus enim consensus convenit divortio, necessarie in separatione a thoro et mensâ valet; si obstat uni, etiam obstat alteri.

Sed quidquid sit, in Belgio semper inusitata fuit nuptiarum dissolutio, imo incognita aut spreta.

In illis quidem regionibus, ubi concedebatur olim divortium, vel nostris temporibus conceditur, continuo odio ac contemptu adimpletur; si omnibus sæculis mæstitiam domesticam ac quidem publicam progenuit; si hominum observantiam obtinuerunt, qui eo non usi sunt, quanquam legibus permisso, si unitas nuptiarum et conjugum constantia laudata exstitit, et virtutis nomen est assecuta; si hæc omnia inficiari nemo valet, parum gloriæ divertendi facultati impertire nobis licet. E contrario ab initio rerum apud diversas nationes ad nostrum usque sæculum, eâdem condemnatione obruitur. Apud Judæos ob duritiem solum cordis *toleratum* divortium; in Græcia majorem honorem assecutæ sunt Artemisia et Penelope, quam exercituum duces. Inprimis Romæ legibus interdicitur divortium; postea Carvilius uxorem dimittit, at populi contemptu vexatur: brevi corruptela sedem suam in urbe romana stabilit, eadem tamen admiratio conjugum fidei tribuitur, sed rara occasio; maxima uxorum laus aliquando tumulo his verbis adscripta: » Conjugi piæ, inclytæ, univiræ, etc." (5).

Nulla fere virtus remansit, et ut Horatius, *fecunda culpæ saecula nuptias primum inquinavêre*. Nec aliter malum invexit, quam frequentissimo divortii usu: Sylla eodem momento libella repudii, et proscriptionis tabulas confici jubet; familiæ vincula ubique laxantur; uxorum lacrymæ et civium sanguis totius orbis mærorem progenerant.

Tacitus vero mores Germaniæ, à Romanis barbaræ vocatæ, eorumdem flagitiis ac fædæ voluptati opponit: » Prope soli barbarorum, *ait*, singulis uxoribus contenti sunt. — Melius eæ » civitates, in quibus tantum virgines nubent, et cum spe votoque

---

(5) V. § 21, pag. 40 et seqq. hujus commentationis; ibi omnes effectus divortii in urbe Romæ, exposuimus.

» uxoris semel transigitur, sic unum accipiunt maritum, quo modo » unum corpus, unamque vitam, ne tanquam maritum sed tan- » quam matrimonium ament" (6).

In Anglia Henricus VIII plurima divortia et fortasse repudia confecit, nec unquam tamen libidinem explere potuit, quum regnum dissidiis et variâ doctrinâ turbabatur. Hodie saniores viri divertendi libertatem ibidem coërcere vellent, jam plurimi conatus adhibent; sæpe oratores omni facundiâ utuntur, ut malum evellant. Et tanta nos exempla ignorare, aut potius oblivisci audemus; aliorum experientiam abjicimus, et nostram a viginti inde annis spernimus. Si publicæ itaque res hodie sint stabiliendæ, familias ante alias conservari, id est virtutibus fulciri oportet.

Magnopere errant qui arbitrantur, leges quæ mores quodammodo ordinant, ipsorum defectui consentire aut saltem defectum participare. Apud novum populum sæpissime mores legem superant; quum artes vero et scientiæ omniumque rerum humanarum institutio provexerunt, legislator mores sustinebit, nec non aliquando emendabit; sin minus, vitia legibus quasi sancita, in perpetuum remanent, imo magis et magis adaugent; sed frenos opponi et juvat et necesse est, ne libido tandem in immensum crescat.

Solon Atheniensibus inter alia multa, divortium concedens, non optimas leges imposuit, sed quas facilius observassent; codex ejus periit; Lycurgus forsitan nimis contraria secutus est principia, etiamvero opus diutissime exstitit!

Itaque nunquam leges cupidini favere, atque virtuti obstare poterunt: ipsi codicis nostri civilis auctores, qui divertendi libertatem concesserunt, laudatam veritatem proclamavêre; « *Les bonnes mœurs*, inquit Portalis, *peuvent suppléer les bonnes lois; elles sont le véritable ciment de l'édifice social;* tout ce qui les offense, *offense la nature et les lois; si on pouvait les blesser par des conventions, bientôt l'honnêteté publique ne serait plus qu'un vain nom*,

---

(6) *Tacitus*, de moribus Germanorum; cujus hæc verba in initio commentationis jam exscripsimus.

et toutes les idées d'honneur, de vertu, de justice, seraient remplacées par les lâches et viles combinaisons de l'intérêt personnel, ET PAR LES CALCULS DU VICE (7) ». Si cives contractibus mores inquinare impediuntur, a fortiori luxuriam nunquam legitimare, ut ita dicam, legum-conditoribus licet.

Adeo verum est optimis moribus perniciosas legum dispositiones sæpissime averti; ita ut primis Romæ sæculis, non obstante repudii facultate, virtus tuita sit nuptias, atque legislationis nec non religionis maculis occurrerit (8).

Quid non eveniet, si leges favent moribus, si virtute eosdem sustentare et augere conantur. Romani, tam sæpe bene conditæ jurisprudentiæ scopum obliviscentes, per quasdam tamen constitutiones vitio obsistere voluerunt (9). Et nos decimo nono sæculo, germanâ philosophiâ superbi, meliorem institutionem et doctrinam adferre gloriantes, nos Paganis vinceremur! Quam sæpe magistratus inter quos Metellus, cives romanos ad ineundum matrimonium adhortabantur (10), ut flagitiosas coercerent libidines, quæ pedentim invalescunt, quum nimis facile divortium instituendo, liberorum institutionem et conjugii munera abdicare licet. Ob eamdem rationem nuptias inter Patricios et Plebeos permittere voluerunt Tribuni.

§ LVI. — Tertium nostrum punctum, repugnare divortium bene conditæ reipublicæ, maxime obstat, quin unquam novâ legislatione in Belgio sanciatur : imperia tam præsentia, quam diu diruta comprobant nationes polygamiâ utentes semper debiliores esse. Quæ polygamiam *simultaneam*, id est uxorum multitudinem habent, tyrannicæ et cœcæ potestatis horrori submittuntur; quæ adsumunt polygamiam *continuam*, id est repudium aut divortium, rerum turbationibus, morum licentiâ, socordiâ atque ignaviâ huc

---

(7) Motifs du titre préliminaire du Code civil, exposés par le citoyen *Portalis*.
(8) *Filangieri*, science de la législ.; liv. 4, part. 1, chap. 1.
(9) *Montesquieu*, esp. des lois, liv. 19, chap. 20. - 21.
(10) Histoire romaine par *Rollin*, liv. 28, § 1. - liv. 4, § 2.

illuc agitantur, et minus vel magis felices evadunt, prout minores majoresve mulierum mutationi frenos adhibent.

Quo magis itaque gentes conjugii perfectioni aliisque virtutibus studuerunt, eo citius civitatis pacem, bonorum stabilitatem, prosperitatem familiarum, et consequenter facilius salutem et gloriam totius reipublicæ assecuti sunt. Quod non difficile denotatur; familiarum in communitate viventium, mores ipsum tandem imperium regunt; paterfamilias enimvero magistratus factus, in rerum publicarum gestione, domesticam affectionem, virtutes æquitatemque confert: quum marito uxorem dimittere licet, tyrannis evadit, indolem mutare vel linire jam impossibile; et brevi sævitia ac intollerabile domûs regimen etiam in cives retorquentur.

Maritus ab ipsâ legis dispositione divertendi libertatem accipiens, et incertis continuo turbatus cupidinibus, inconstantiam corde alit, facilius ab uxore per satietatem et fastidium abalienatur; singulis annis aliam ducere vellet; non diversam sic in reipublicæ administratione levitatem ac intemperiem invehit; quotidie leges, magistratusque mutare cupit; ac postquam licentia et familiæ anarchia, sanam liberorum institutionem impediverunt, protinus regnum debilitant, vel aliquando jam vacillans diruunt.

Quum legislatio e contrario conjugii indissolubilitatem sancit, nulla conjugibus spes mutationis superest; mediis divertendi ablatis, voluptatem magis fugiunt, desideria magis comprimere conantur, familia tunc quidem augustâ et simul æquâ auctoritate regitur; mutua reverentia, mutua justitia, ac in se invicem indulgentia, domesticum imperium consolidant.

Haud dubie homines mores optimos, legibus munitos, in publicum conferunt; jam æquitati et mansuetudini assueti, consociorum juribus favere discunt, et quidem pro viribus favere exoptant. In Belgio præcipue, ubi antiqua bona fides atque virtus vestigia relinquerunt, cives spernunt legislationem, quæ dispositiones consuetudinibus contrarias statueret. Equidem quamnam fiduciam præbebunt publico regimini, quum affectionis, ut ita dicam,

incertitudinem etiam in legum codice promulgari, et fere adoptari vident. Belgis itaque sine ullo dubio sequens a *Montesquieu* (11) expressum, applicandum obvenit : » *Dans les pays où la liberté règne dans toutes les conditions, on change moins de manières et de mœurs. — Ainsi il faut qu'un prince ou un législateur y choque moins les mœurs et les manières que dans aucun pays du monde.*" Sed optimus rerum publicarum ordo?..... Quid illud? Nonne ab omnibus agnoscitur, diligitur, optatur, et ab omnibus stabiliendus est? quis id negare audet?..... Et ordinem legislatores stabilirent, quum divortium concedendo, efficiunt ut quotidie innumeras conjugum mutationes, et quidem expulsiones animadvertamus, nec non patres absque liberis, viduas quæ maritos habent, conjuges relictos, qui æternis tamen vinculis conjunguntur, liberos qui a parente vel ab extraneo in odio matris aut patris, et quando longe ab utroque ac in contemptn amborum educantur (12). An non tam detestabilis confusio sanguinis non minus amicitiæ quam familiæ commodorum evertit ordinem, veluti essentiam; ac pretiosissimum principium salutis publicæ disperdit?

Quum pater filiam extraneo tradit, ut illi per conjugium adhæreat, non tyrannidem, nec servum filiæ donare videtur; haud dubie proctectorem et optimum tutorem, virtutis custodem, doloris consolatorem concedere cupit; et tamen uxor marito obediens, ipsum ex lege fere repudiare potest, liberos relinquere, atque luxuriæ illecebras arripere. Non veritatem excedimus, quum voce *repudiare* usi sumus; quum sæpe enim prava mulier omnia media intendit, ut tandem vir, nimis vexatus, consentiat ut mutuum a judice postuletur divortium.

Forsitan verum repudium ordini publico magis faveret, aut saltem minus obstaret, quanquam humanitatem in omnibus punctis etiam offendit; at divortium sub malorum remedii velamine, incommoda polyandriæ atque polygamiæ accumulat.

---

(11) Esprit des lois, liv. 19, chap. 11.
(12) V. *Fleury*, mœurs des israëlites, chap. 14.

Sectatores divortii instant : ordo, inquiunt, querelis, inimicitiâ, uxoris defectione, sævitiâ mariti, utriusque injuriis aut injustitiâ turbatur!.... Revera turbari potest; sed fortasse ordo in familia tantum labefactatur; remedium infortunii nihilominus exstat; nam separatio a legibus conceditur, et modo recte instituatur, ipsam sufficere credimus. Si quando personis dissolutio nuptiarum favere posset, non ideo omnium felicitas et bona communia disperdenda, nam, ut dixit sagax auctor (13), « *L'homme d'état imite la nature qui paraît ne pas déranger le cours de ses opérations, pour prévenir les inconvéniens particuliers qui naissent des lois généralement avantageuses* ».

Sed perstant adversarii : si quando, perhibent, conjuges separatione indigent, quare non potius divortium concedendum esset; nam matrimonii scopus societatisque finis, nempe propagatio aut procreatio generis humani, id postulant. Salus publica *primus* est societatis finis, quem divortio nullatenus attingi posse exposuimus; nuptiæ, si rite ordinantur, eidem fini favent; procreatio vero liberorum *secundarius* merito appellatur scopus. Nuptiæ itaque institutæ sunt, ut familiæ in magna nostra communitate recte discernantur, ut liberi certum obtineant statum, patremque qui ipsos defendat; ut patres filios educent, sicque Reipublicæ administratores, milites, agricolas, uno verbo optimos cives efficiant et conservent : nuptiæ tandem institutæ sunt, ut ordo remaneat, nec societas disperdatur; procreatio a natura procedit; nuptiæ a legibus; inde axioma, quod maxima consectaria confert : *is pater est quem* JUSTÆ *nuptiæ demonstrant*.

Et ut prædictum assequantur scopum nuptiæ, nunquam pravis consuetudinibus, si quædam exstant, conformandæ sunt. Si virtus viget, ei favendum arbitramur, ita ut felicitas publica a legibus pendeat, non ab atmosphero loci, diversisve hominum speciebus; quibus causis plurimi auctores virtutes ac vitia cujusdam nationis tribuunt, quum alii facillime probavêre e recta rerum gestione

(13) V. Philosophie de *Terrasson*.

oriri, quominus cives fortes aut timidi, severi ac virtuosi aut molles efficiantur. Contrarium tamen a celeberrimis philosophis assumi videtur (14); unico exemplo, experientiâ corroborato, tota doctrina corruit; ipsa scriptoris argumenta in medium conferre malumus; optima sunt, quanquam in opere exstant, in quo pauci ipsa invenire sperassent (15): « *L'une des plus importantes conclusions que l'on puisse tirer de l'histoire*, C'EST QUE LE GOUVERNEMENT EST LA CAUSE PREMIÈRE DU CARACTÈRE DES PEUPLES; *que les vertus ou les vices des nations, leur énergie, ou leur mollesse, leurs talens, leurs lumières ou leur ignorance ne sont presque jamais les effets du climat, les attributs d'une race particulière*, MAIS L'OUVRAGE DES LOIS, *que tout fut donné à tous par la nature, mais que le gouvernement enlève ou garantit aux hommes qui lui sont soumis, l'héritage de l'espèce humaine. Aucune histoire ne met cette vérité sous un jour plus éclatant que celle d'Italie. Que l'on rapproche en effet les diverses races d'hommes qui se sont succédé sur cette terre de grands souvenirs; que l'on compare les qualités qui les caractérisent: la modération, la douceur, la simplicité des premiers Etrusques; l'austère ambition, le courage mâle des contemporains de Cincinnatus; l'avidité, l'ostentation des Verrès; la mollesse, la lâcheté des sujets de Tibère; l'ignorance, la nullité des Romains d'Honorius; la barbarie des Italiens soumis aux Lombards; les vertus du douzième siècle; le lustre du quinzième, et* L'ABAISSEMENT DES ITALIENS DE NOS JOURS. *Le même*

---

(14) *Hippocrates* de aere, aquis et locis, cap. 55. — *Plato*, de legibus lib. 5, tit. 2. — *Aristoteles*, probl. 14, tit. 2. — *Charron*, de la sagesse. — *Mirabeau*, dans l'ami des hommes. — *Montesquieu*, esprit des lois, liv. 1, art. 3. — liv. 29, art. 8. — *Benjamin Constant*, esprit des conquêtes, chap. 13. — E contra Domina *De Staël*, de la littérature considérée dans ses rapports avec les institutions sociales, 1re partie, chap. 1: » On ne saurait nier, *inquit*, que la législation d'un peuple ne soit toute puissante sur ses goûts, sur ses talens et sur ses habitudes, puisque Lacédémone a existé à côté d'Athènes, dans le même siècle, sous le même climat, avec des dogmes religieux à peu près semblables, et cependant avec des mœurs si différentes, etc., etc., etc."

(15) Commentaire sur les cinq codes français, intitulé *Manuel du droit français*, par M. *Pailliet*; (dans l'exposition de son ouvrage).

sol a nourri ces êtres de nature si différente, et le même sang coule dans leurs veines. Le mélange de quelques peuplades barbares, perdues au milieu des flots d'indigènes, n'a point suffi pour changer la constitution physique des hommes qu'enfantait la même région. La nature est restée la même pour les Italiens de tous les âges; le gouvernement seul a changé; ses révolutions ont toujours précédé ou accompagné l'altération du caractère national. Jamais les causes n'ont été liées aux effets d'une manière plus évidente. Les Etrusques, prédécesseurs des Romains, et les premiers peuples de l'Italie sur lesquels l'histoire jette quelque lueur, avaient couvert de leurs habitations les Maremmes aujourd'hui désolées. Riches en troupeaux, riches en grains, ils voyaient la terre répondre avec usure à leurs travaux; une longue prospérité leur avait permis de cultiver leur esprit par l'étude, et les Etrusques paraissaient avoir devancé les Grecs dans la carrière des sciences et des arts, bien qu'ils n'aient pas pu, comme leurs successeurs, la parcourir toute entière. Les poëtes ont placé au mileu d'eux l'âge d'or sous le règne de Saturne, et leurs fictions n'ont voilé qu'à demi la vérité. Le gouvernement des Etrusques était celui du bonheur et de la liberté; c'était le gouvernement fédératif! Honneur aux peuples libres que l'ambition ne séduit pas!..... Les Etrusques n'étaient point les seuls peuples confédérés de l'Italie: au contraire, chacune des nations qui combattaient contre Rome, les Sabins, les Latins, les Samnites, les Brutiens, etait formée par une fédération. Ces ligues prirent de la consistance, mais aucune ne fut conquérante; il vint même un temps où toutes les républiques fédérées, qui longtemps avaient prospéré en Italie, succombèrent sous le poids de la puissance romaine. Ces nations, si peu connues et si dignes de l'être, disparurent, et avec elles, le bonheur, la richesse des campagnes, la population et la vraie liberté furent chassés de l'Italie. Le Peuple-Roi sacrifie tous ces avantages à l'éclat d'un grand nom, et à la gloire des conquêtes. IL EST JUSTE DE RESTITUER AUX CAUSES MORALES, A LA PUISSANCE DES LOIS, L'HOMMAGE QUE L'ON ADRESSE AUX CAUSES PHYSIQUES ET A DES MOYENS PUREMENT MATÉRIELS."

Longiora forsitan hæc videntur, materiei autem nostræ conveniunt, quoniam probare conamur, maxime necessarium esse, ut legumlatores moribus belgicis faveant, et libertatem divertendi prohibendo, virtutis potestatem augeant.

Non amplius juvat hic comprobare divortium *juri naturali repugnare;* quæstionem nunc tantum sub aspectu salutis publicæ inspicimus, alio enim loco (16) illud explanavimus; solummodo observandum optimos scriptores, inter quos *Montesquieu* (17), persuasisse, non nimis leges civiles naturalibus posse opponi, nec nimis contraria sanciri principia, ne civitas interna labefactetur.

Sed aliquantisper supponamus nec sanæ rationi, nec juri naturæ, nec æquitati divertendi veniam adversari; an non prohiberi juvat, propter solos tristes effectus, de quibus jam sæpius locuti sumus, et quos auctores dilucide exposuerunt, oratores summâ facundiâ narravêre, legislatores attamen sprevisse videntur. Inter optimas de hâcce materie orationes, quædam solum verba in medium proferre lubet. » *Toutes les vertus sociales,* dixit Portalis (18), *ont leur plus solide base dans les vertus domestiques; et ce sont les mœurs de la famille, qui finissent par former celles de l'état. Ces mœurs ont été étrangement altérées par nos institutions révolutionnaires. On eût dit que, pour fonder la république, il fallait étouffer la nature.* Hâtons-nous de réparer nos erreurs, et de rappeler le mariage à sa véritable institution.... *Quels désordres ne verrons-nous pas résulter de nos délais! Combien de familles désolées! quelle confusion dans la société! des frères nés de divers mariages, aussitôt dissous que formés, ne se reconnaîtraient plus: des femmes, qui auraient successivement, et rapidement passé dans les bras de plusieurs maris, n'appartiendraient proprement à aucun. On verrait s'établir une sorte de communauté et de promiscuité civile, qui dégraderaient l'espèce humaine, et la*

---

(16) Vide § 7, pag. 12 et seqq. hujus commentationis.
(17) Esprit des lois, liv. 26.
(18) Rapport de M. *Portalis,* alors député, prononcé au conseil des Anciens.

livreraient à des passions violentes, qui finiraient par la dévorer. Les enfans seraient presqu'étrangers aux auteurs de leurs jours. Ceux-ci ne sauraient plus où est leur famille. Les noms de pères, de fils, d'époux, ne rappeleraient plus les sentimens tendres qui s'y attachent. On verrait disparaître tout ce qu'il y a d'humain dans le cœur de l'homme. Toute moralité s'évanouirait. Les crimes naîtraient bientôt des vices. Nous ne connaîtrions plus nos relations que par les malheurs et les vices qui nous accableraient. Au milieu des nations policées, notre existence entière serait pour ainsi dire, un scandale public ». Ita ut divortium non procreationi, et minus adhuc conservationi societatis faveat; morum autem corruptelam protegit; et moribus dissolutis, haud dubie paucæ, et fere nullæ exstabunt nuptiæ (19); per divortium quidem novi continuo liberi nascuntur; sed non liberis procreatis, sed conservatis et institutis societas stabilitur atque augetur; et si computare licet liberos, ut bestiarum progeniem, allegando communitatis nostræ felicitatem præcipue *magno hominum numero* confici, an vero plures et fortiores liberi nascentur atque supererunt, quum divertendi libertas vigebit? An non sanior progenies, quum minus regnat luxuriæ et homo totas conservat vires. Apud divites divortia voluptatem adaugent; apud pauperes liberos necant : observârunt experti, divortio concesso, plures quidem nasci homines, sed proportione inspectâ, multo plures mori, quam quum conjugii dissolutio prohibetur (20).

---

(19) Confer et perlege *Esprit des lois*, chap. 20, liv. 23.

(20) Ipsi codicis auctores (*Portalis, Tronchet, Bigot-Préameneu, Maleville*) prædictam agnovère veritatem, præcipue quoad liberorum institutionem; divortium nihilominus sanciri voluerunt; en verba ipsorum : » . . . .
. . . .
» L'éducation des enfans exige, pendant une longue suite d'années, les soins communs des auteurs de leurs jours. Les hommes existent long-temps avant de savoir vivre; comme vers la fin de leur carrière, souvent ils cessent de vivre avant de cesser d'exister. Il faut protéger le berceau de l'enfance contre les maladies et les besoins qui l'assiégent. Dans un âge plus avancé, l'esprit a besoin de culture. Il importe de veiller sur les premiers développemens du cœur, de réprimer ou de diriger les premières saillies des passions, de protéger

Numerus divertentium etiam quotidie accrescit ; Parisiis uno anno obvenierunt quatuor millia matrimoniorum et septingenta divortia ; sequenti verum anno tria tantum millia matrimoniorum, sed nongenta divortia. Divortiorum exempla a conjugio civem avertunt.

Alii divortium concedi voluissent, quum nulli essent liberi è conjugio procreati ; certe non minus fallax et perniciosa dispositio !..... Haudquaquam flagitia generi humano supponere licet ; sed quid non efficit *voluptatis sacra fames ?* An nunquam puer iræ, odii, aut luxuriæ parentum victima obiret ? Si semel etiam in toto sæculo tam horrible proderet scelus, sufficiens exstaret ratio, ut nequaquam sub ullo prætextu divertendi facultas legibus sanciretur, nec conjuges nullos etiam habentes liberos divortium instituere possent.

Quoad tandem procreationem ; exigua vel potius nulla spes, ut secundo, vel tertio matrimonio feliciores conjuges gignant

---

les efforts d'une raison naissante, contre toutes les espèces de séductions qui l'environnent, d'épier la nature pour n'en pas contrarier les opérations, afin d'achever avec elle le grand ouvrage auquel elle daigne nous associer.

» Pendant tout ce temps, le mari, la femme, les enfans, réunis sous le même toit, et par les plus chers intérêts, contractent l'habitude des plus douces affections. Les deux époux sentent le besoin de s'aimer, et *la nécessité de s'aimer toujours*, l'on voit naître et s'affermir les plus doux sentimens qui soient connus des hommes, l'amour conjugal, et l'amour paternel."

» ...."

» Tel est le mariage, considéré en lui-même et dans ses effets naturels, indépendamment de toute loi positive. Il nous offre l'idée fondamentale d'un contrat proprement dit, ET D'UN CONTRAT PERPÉTUEL PAR SA DESTINATION."

» ...." Le vœu de la perpétuité dans le mariage, étant le vœu même de la nature, il faut que les lois opposent un frein salutaire aux passions ; il faut qu'elles empêchent que le plus saint des contrats ne devienne le jouet du caprice, de l'inconstance, ou qu'il ne devienne même l'objet de toutes les honteuses spéculations d'une basse avidité."

Extrait du discours préliminaire du projet du Code Code civil de l'an 8. — V. quoque, Études de la nature, par *Bernardin de Saint-Pierre*, étude X, § de la figure humaine ; (pag. 431, tom. 2 des œuvres complètes ; édition de Bruxelles, 1820).

filios, neque amplius parentum foret inimicitia, quâ illi neglectam acciperent institutionem. Insanum esset altum mare ascendere; quia prima vice nautæ agebantur procellis, atque ad scopulum navis frangebatur. Ita ut divertendi libertatis sectatores laudatum minime attingant scopum, sed contra penitus destruant (21).

Hæc omnia omnium censuræ relinquimus, ut mala objurgentur, atque emendentur falsa. Si quando necessariâ facundiâ veritatem non defendimus, jejunam experientiam in legitimam adhibemus excusationem; si sæpissime antiquas, sed nimis spretas memoramus sententias, quæ plurimorum præjudicatam opinionem offendunt, totius communitatis commoda laudibus præponere satius visum est. Qui conficiendum librum suscipit, proprios inutilesque honores amittere tenetur; et solummodo auctoris nomen consequi poterit, si recte asserit, nec potentiæ cupidine sese inquinari, nec divitiarum decipi illecebris, nec propter nocentem metum in contemptionem abjici.

Sola autem curà, solumque studium, nostrorum dictorum appellanda sunt ornamenta. Doctiorum ulterius perspicuitas, æquitas animique fortitudo procerum, cunctorum benevolentia præcipuam juvenum spem erigunt, in difficultatibus gignunt solamen, atque continuo laboribus incitamenta præbent; sic denique illi optima ingrediuntur vestigia; si vires adsunt, alios adjuvant; atque justitiam ante omnia diligunt, ut amorem suorum ac civium existimationem sibi in perpetuum concilient.

---

(21) Plures auctores in operis decursu attulimus, tam illos qui divortium impugnant, quam qui admittunt, inter quos posteriores annumeramus *Montesquieu*, in scripto suo *Lettres persannes*, lett. 112; quo loco synoptice cuncta argumenta in divortii favorem recenset.

TANTUM.

ERRATA.

Pag. 19,	*lig.* 1,	iusolito	*lege* insolito
— 22,	— 3,	idolatria	— idololatria
— 40,	— 1,	inpugnant	— impugnant
— 43,	— 25,	publicas	— publicos
— 49,	— 3,	les lois qui les	— les lois qui le
— 50,	— 26,	Valentinians	— Valentinianus
— 57,	— 5,	libra sauri	— libras auri
— 68,	— 16,	cession	— session
— 77,	— 20,	convertitur	— convertitur fidem
— 88,	— 10,	receptio	— receptior
— 110,	— 25,	obnegat	— abnegat
— 125,	— 16,	appelantes	— appellantes
— 128,	— 2,	persquisitione	— perquisitione
— 130,	— 24,	consectarie	— consectaria
— 134,	— 18,	pedentim	— pedetentim
— 136,	— 26,	quum	— quam

COMPENDIUM.

COMMENTATIO DE DIVORTIIS ET REPUDIIS.

Prolegomena.

Caput primum : *Natura matrimonii atque divortii et repudii.*

Caput secundum : *Jus Mosaïcum.*

Caput tertium : *Jus Græcorum.*

CAPUT OCTAVUM : *Jus novum, seu Jus Belgicum hodiernum.*

CAPUT NONUM; (appendix). *Jura, sive consuetudines variorum populorum.*

CAPUT DECIMUM : *Quid in futura legumlatione Belgica statuendum?*

BENEDICTI VAN DEN VELDEN,

RHENO TRAJECTINI,

RESPONSIO

AD

QUÆSTIONEM, AB ORDINE PHILOSOPHIÆ THEORETICÆ ET LITERARUM HUMANIORUM,

ANNO M. D. CCC. XIX PROPOSITAM:

„ *Quænam fuit apud Romanos, ab initio reipublicæ usque ad*
„ *Justinianum Imperatorem, educandorum et instituendorum*
„ *puerorum disciplina, et quasnam præcipuas subiit illa pro*
„ *temporum diversitate mutationes?*

QUÆ PRÆMIUM REPORTAVIT A. D. II. OCTOBRIS M. D. CCC. XX.

» *Fortes creantur fortibus et bonis.*
» *Est in juvencis, est in equis patrum*
» *Virtus: nec imbellem feroces*
» *Progenerant aquilæ columbam.*
» *Doctrina sed vim promovet insitam,*
» *Rectique cultus pectora roborant:*
» *Utcunque defecére mores,*
» *Dedecorant bene nata culpæ.*

HORAT. Carm. l. IV. od. 5. ℣. 29 seqq.

PROLEGOMENA.

Ex quo tempore professorum scholis interfui, sæpius audivi, nihil magis valere ad percipiendam Gentium conditionem, quam ipsarum vitam domesticam diligenter attendere. Ut enim gentem aliquam penitus cognoscamus, ut recte de ipsius legibus atque institutis judicemus, operæ pretium est, civium domos intrare, et in vitam eorum familiarem inquirere. — Nam non sufficit, ut excellentes quosdam in civitate viros intueamur, eorumque res gestas admiremur (1), sed conjuges, patres eosdem adspicere juvat. A milite strenuo alienum non est, magnâ cum voluptate, parvulos suos, sibi blandientes, conspicere. Hectorem non dedecet manus puero porrigere (2). Decorum certe est virum militarem, molli pietatis commotum suavitate, in uxoris et liberorum amplexu contemplari :

Οὐ μὲν γὰρ τοῦ γε κρεῖσσον καὶ ἄρειον,
Ἢ ὅθ' ὁμοφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον
Ἀνὴρ ἠδὲ γυνή· πόλλ' ἄλγεα δυσμενέεσσι,
Χάρματα δ' εὐμενέτῃσι (3).

(1) Vere Rousseau : » C'est le seul moyen de connaître les véritables mœurs » d'un peuple que d'étudier sa vie privée dans les états les plus nombreux; » car s'arrêter aux gens qui représentent toujours, c'est ne voir que des comé- » diens." *Pensées*, art. *Peuple*.

(2) Homeri Iliad. Z. v. 466.

(3) Homer. Odyss. Z. v. 182 seqq., et omnino Knox's *Essays* II. vol. *On the happiness of domestic life*.

Eorum, quæ instituta sunt apud varios populos, causas indagare inter utilissima negotia haberi solet. Nec immerito. In illo enim examine ex hominum moribus omnia repetenda esse, unusquisque facile confitebitur (4). Historia sæpius *actiones*, quam *homines*, proponere solet, et rarius investigat interiores animi humani recessus (5). Quæ tamen investigatio si negligitur, historiam vere prodesse non posse, facile apparet. Antequam igitur Gentium (i. e. *hominum*) historiam tractare possimus, necesse est, ut *hominem* rite cognoscamus. — Ad hanc vero cognitionem pervenimus diligenter observando populorum rationem domesticam et vitam privatam. Atque explorata vi et efficacitate singularum partium, facilius percipimus omnium partium inter se consensum et in totum effectum.

Equidem saltem in historiâ tractandâ hancce viam sequi tentavi, vereque inde profecisse haud diffiteor. Ex omnibus tamen, quæ ad vitam domesticam pertineant, primum in censum venire *Educationem*, quis dubitet? Hoc autem licet de omnibus populis, tam antiquis quam recentioribus, constet, de Græcis Romanisque imprimis verum esse, sæpissime mihi observandi fuit locus. Quocirca in utriusque hujus populi Historiæ lectione hinc quamplurima explicanda esse, inque harum Gentium fata civium institutionem incredibilem fere vim exercuisse, me haud latuit.

Observationum vero mearum copiam faciendi opportunitatem dedit quæstio ab Ordine Philosophiæ Theoreticæ et Literarum Humaniorum proposita. Quæsivit nimirum ille Ordo: » Quænam fuerit apud Romanos, ab initio Reipublicæ usque ad Justinianum » Imperatorem, educandorum et instituendorum puerorum disciplina, et quasnam præcipuas subierit illa, pro temporum diversitate, mutationes." — Cui quæstioni pro viribus respondere mihi proposui. Idque jam facere instituo. Pauca tamen de Educatione universe præfari necesse erit, additis quibusdam de Antiquorum educatione peculiariter.

(4) A. Millar, *Observ. concerning the distinction of ranks in society* (2d edit.) Ref. p. 11. (5) Rousseau, *Pensées*, art. *Histoire*.

§ I.

DE EDUCATIONE UNIVERSE.

De eo, quid sit *Educatio*, quid *Institutio*, prolixe disputare a proposito nostro alienum est. Institutione hoc loco intelligimus illud, quo hominis facultates morales explicantur: Educatio proprie versatur circa facultates physicas evolvendas (*a*): licet fere vox *Educatio* promiscue usurpetur.

Juventutis Institutio, omni ævo, ab universis philosophis et legum latoribus habita est non tantum singulorum hominum, sed etiam quarumvis societatum certissimus quietis atque prosperitatis fons atque origo (*b*). Quocirca recte Cicero dixit, nullum munus reip. afferri posse majus meliusve, quam si doceatur atque erudiatur juventus (1). Cum enim sit juventus civitatum spes, qua nititur; recte istam educari, atque liberalibus artibus et disciplinis imbui, plurimum interest. Quid? quod leges ipsæ, quibus innituntur civitates, parum securitatis præstare possunt, nisi a primis inde annis iis assuefacti sint Cives, in iisque quasi educati (2). Lycurgus, inquit Plutarchus in hujus vitâ, non necesse judicavit, leges suas scripto mandare, quippe qui existimaret, illud, quod maxime inserviat civitatum felicitatem promovendo, et adducendo Cives ad virtutem, eorum moribus impressum esse: quod quidem consuetudo facile iis reddat atque proprium. Omnia enim, quæ Educatio in eorum mentem impresserit, penitus huic inhærent, quippe quorum fundamentum est intima persuasio, eorumque voluntate innituntur. Quâ quidem multo magis

(*a*) Varro De Educandis Liberis (ap. Non. 5. 105) dixit: »Educit obstetrix, » *educat* nutrix, *instituit* pædagogus.

(*b*) Diotogenes Pythag. ap. Stob. Serm. p. 251, ἀρχὰ πολιτείας ἀπάτης νέων τροφά.

(1) *De Div.* II. 2.

(2) Aristot. Polit. III. 9.

obstricti sunt, quam vi, quæ eos cogat: *ita ut Educatio juvenilis exsistat regula et legislatoris loco habenda sit.* — Conquerebantur adolescentes quidam Romani: » Leges rem surdam, inexorabilem » esse, ..., nihil laxamenti nec veniæ habere, si modum » excesseris" (3): easque *vincula minantia* vocat Ovidius:

» *Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo,*
» *Sponte sua, sine lege, fidem, rectumque colebat.*
» *Poena metusque aberant; nec vincla minantia fixo*
» *Aere ligabantur: nec supplex turba timebat*
» *Judicis ora sui: sed erant sine judice tuti.*" (4)

Educatio non minaci vultu imperat, persuadere mavult: virtuti amabilitatem conciliat, ejusque præceptis boni justique studium excitat, usuque confirmat: hominibus exsistit vitæ magistra atque dux.

Quæ cum vera sint, satis demirari non possumus Philippi Macedonis providentiam, cujus epistola, quâ Aristoteli philosopho natum sibi Alexandrum nuntiaret, » quoniam (5) curæ diligentiæque in liberorum disciplinas hortamentum est, exscribenda » visa est ad commovendos parentum animos." — » *Philippus Aristoteli salutem dicit. — Filium mihi genitum scito. Quod equidem Dîs habeo gratiam: non proinde quia natus est, quam pro eo, quod eum nasci contigit temporibus vitae tuae. Spero enim fore, ut educatus eruditusque abs te dignus exsistat et nobis et rerum istarum susceptione.* — Alexander etiam præceptorem patris instar veneratus est. Ait enim Plutarchus (6), Ἀριςοτέλη δὲ θαυμάζων ἐν ἀρχῇ, καὶ ἀγαπῶν οὐχ ἧττον, ὡς αὐτὸς ἔλεγε, τοῦ πατρὸς, ὡς δι' ἐκεῖνον μὲν ζῶν, διὰ τοῦτον δὲ καλῶς ζῶν.

Quod cum tantum Educationis sit momentum, aliter fieri nequit, quin, si ex voto succedat illa, maximum inde gaudium consequantur parentes: et contra, si exitus spem fallat, nil fere sit, quod majore dolore eos afficere possit. » Multas variasque res in

---

(3) Liv. II. 3. (4) Met. I. 89 et seqq. (5) A. Gellii verba refero N. A. IX. 3. (6) Plut. in *Alexandro*, c. VIII.

» hac vita nobis natura conciliavit: sed nulla nos magis, quam » eorum, qui e nobis essent procreati, caritate devinxit: eamque » nostram in his educandis atque erudiendis curam esse voluit, » ut parentes neque, si id, quod cuperent, ex sententiâ cederet, » tantum ullâ ex re voluptatis, neque, si contra eveniret, tantum » mœroris capere possint." (7). Quod quidem gaudium, quamque tristitiam ideo a naturâ cuique homini indita esse existimo, ut majorem operam darent liberorum Educationi (c), quæ omnium artium est gravissima, nec tamen satis exculta atque tractata. Cum enim nullum animal morosius sit, nullum majore arte tractandum, quam homo, nullique magis parcendum (8); inde sequitur, difficillimum esse homines regere, et ad bona adducere, nisi id apte fiat. Homo enim natura sua ad mala proclivis est, nec facile frena patitur. » Naturâ, inquit Seneca, contumax est humanus » animus, et in contrarium atque arduum nitens, sequiturque » facilius, quam ducitur" (9). Quin prima fronte difficilius videtur homines regere, quam animalia, ut recte observat Xenophon (10), adjungit tamen: *οὔτε τῶν ἀδυνάτων, οὔτε τῶν χαλεπῶν ἔργων ἢ τὸ ἀνθρώπων ἄρχειν, ἄν τις ἐπιςαμένως τοῦτο πράττῃ.*
Et de hominibus verum videtur, quod de equis dixit Horatius:

> » *Fingit equum tenerâ docilem cervice magister*
> » *Ire, viam qua monstret eques.* . . . . . » (*)

Scilicet » ingeniis nostris semina virtutum innata sunt: quæ si » adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduce- » ret: nunc autem, simul atque editi in lucem et suscepti su- » mus, in omni continuo pravitate et in summâ opinionum per-

(7) Macrob. *Saturn. Procem.* et impr. Pestelius *Fundam. jurispr. nat.* § 162. (p. 203 ed. 4ta). (8) Seneca *de Clement.* I. 17. (9) Id. Ibid. I. 24. (10) In procem. *Cyrop.* (*) Lib. I. ep. 11. 64.

(c) Recte observat Pestelius, l!. § 162, ad hoc difficile opus (educationem sc.) suscipiendum parentes excitare *peculiarem* quamdam, et ipsorum naturæ propriam, *impulsionem* (στοργή), eosdemque simul in hoc proposito confirmare. — Nec minus recte Justinianus Cod. lib. V. tit. 15. *de rei uxor. act.*: » ipse *naturalis stimulus* parentes ad liberorum suorum Educationem hortatur. » A. Heineccii *Elem. Jur. Nat. et Gent.* l. 2. c. 3. § 60 et passim.

» versitate versamur: ut pæne cum lacte nutricis errorem » suxisse videamur" (11). Uti mali, ita etiam boni principia in homine latent, quæ si opportuno tempore et rectâ ratione excitentur, ad pulchra quævis hominem adducunt. Quod elegantissime ita exponit Seneca (12), » Omnium honestarum rerum semina, » inquit, animi gerunt, quæ admonitione excitantur: *non aliter » quam scintilla flatu levi adjuta, ignem suum explicat.* Erigitur » virtus cum tacta est et impulsa." (*)

» *Omne igitur institutionis momentum in eo positum est, ut, qui ei praesint, diligenter animadvertant, quo sint puerorum adolescentiumve ingenia gradu maturitatis ad partum studii, idque Socraticâ ratione cum ad nascendum eliciant, tum nascens juvent, tum natum alant ac moderentur"* (*d*). Quod de artibus et scientiis valet, item de virtute pronuntiandum est, sc. ad ejus perfectionem tria oportere concurrere, *naturam*, *rationem* et *assuefactionem*. Ratione intelligitur doctrina, et assuefactionis nomine, exercitatio. » Initia debentur naturæ, progressus disciplinæ, usus exercita- » tioni, perfectio omnibus" (13). Natura sine disciplinâ cœca est: disciplina, si a naturâ destituatur, mutila: exercitatio, his duobus demtis, imperfecta est. » Et quemadmodum ad agriculturam » primum requiritur bonum solum, deinde peritus colonus, de- » nique semina proba: ita plane hic natura solo, agricolæ ma- » gister, semini præcepta atque instituta respondent" (14). Non diffitemur tamen, non omnes homines naturâ æque aptos esse ad virtutem excolendam et disciplinas tractandas. Nonnulli enim

---

(11) Cic. *T. Q.* III. 1. (12) *Epist.* 94. (*d*) Wytt. V. R. p. 10.
(13) Plut. *De lib. Educ.* c. 4. t. 1. p. 5. (ed. Wyttenb.) (14) Id. Ibid.

(*) Valde mihi placet Adissoni comparatio hæcce: » I consider an human soul » without Education like marble in the quarry, which shews now of its inhe- » rent beauties, till the skill of the polisher fetches out the colours, makes » the surface shine, and discovers every ornamental clored, spot aut rein that » reins thro' the body of it. Education, after the same manner, when it works » upon a noble mind, draws out to view every latent virtue and perfection, » wich without such helps are never able to make their appearance." — *The Spectator* N° 215. — Contulisse haud pœnitebit N° 224, N° 313, N° 337, N° 343; imprimis vero N° 455 cum loco Senecæ ante laud.

quibus felix ingenium est, in ea, quæ tradi solent, perveniunt sine longo magisterio, et honesta complexi sunt, cum primum audierunt (15). *Rapacibus* istis *virtutis ingeniis* auriga tantum convenit: »huc illuc frenis leniter motis flectendus est paucis animus sui » rector optimus" (16). Aliis vero adhibenda sunt calcaria. »Inest » interim animis voluntas bona, sed torpet, modo deliciis ac » situ, modo officii inscitiâ" (17). » Illisque aut hebetibus et ob- » tusis, aut malâ consuetudine obsessis, diu rubigo animorum » effricanda est" (18). Sed magnopere errant, qui putent, eos, qui ingenio non sunt felices, ubi ad virtutem recte instituuntur atque exercentur, non posse naturæ defectum mediocriter exsarcire. Constat enim industriam atque laborem infinitam vim habere ad quævis perficienda. Pulcherrima exstant monumenta humanæ industriæ rite adhibitæ atque exercitæ: et sæpius apparuit hominem summa ac difficilia quæque perficere posse, dummodo, summo ardore inflammatus, excitetur ad ea suscipienda et irremisso labore ad finem perducenda. Ita bonum solum, si excoli cessaverit, sterilis fit; tellus contra dura atque asperior cultu præclaros tamen edit fructus (*e*). » Jam quæ arbores, inquit Plutarchus, non tortuosæ » fiunt atque infrugiferæ, si per incuriam habeantur? quæ non » frugiferæ fiunt atque fœcundæ, si recte educantur? aut quorum » corporum robur non hebescit atque dissipatur socordiâ, luxu » pravâque habitudine? Quis contra ita fuit invalidâ naturâ, ut » non exercitationibus et certaminis studio maxima fecerit ad » robur incrementa? . . . . Et quid attinet alia nos admirari, » quando de bestiis ferissimis multas videmus cicures mansue- » tasque labore redditas?" (19).

Educatio est igitur continuata animi intentio in eo elaborantis,

---

(15) Senec. *Epist.* 95. p. 551. (16) Id. *De Benef.* V. 25. (17) Id. Ibid. (18) Id. *Ep.* 95. (19) LL. c. 4.

(*e*) Eleganter observat Aristoteles, Orationem et Doctrinam non peræque in omnibus valere, sed oportere animum auditoris, ut humum, quæ seminis alendi facultatem habitura est, consuetudine ante subigi et excoli. *De Morib.* X. 10. (t. 2. p. 82. H. ed. Casaub.)

ut soboles infirma conservetur, ac corporis et animi viribus aucta, suas ipsas actiones regulis felicitatis convenienter regere discat. Educatio autem est sive *Physica*, quæ corpus curat, sive *Moralis*. Hac agitur, ut animus, quatenus ejus status et motus a corpore non pendent, summotis quæ virtuti æquirendæ obstarent, ad hujus cultum et amorem mature fiat aptior et paratior. Hæc cura defigitur in adjuvandis et dirigendis duabus mentis viribus, non re, sed cogitatione nostra, ut plenius perspiciantur, sejunctis. Altera est cura *ingenii*, altera *indolis*. — Sed primum breviter videamus de Educatione Physica.

Utque primum hominem consideremus, qualis a naturâ processit, hæc primâ fronte magis illi exstitisse videtur tristis noverca, quam provida parens atque benevola. Cæteris animantibus varia tegumenta tribuit, testas, villos, setas, pennas, squamas: quin et arbores cortice, interdum gemino, a frigoribus et calore tutatæ sunt: hominem tantum nudum, et in nudâ humo, natali die abjicit ad vagitus statim et ploratum. Itaque feliciter natus jacet, manibus pedibusque devinctus, flens animal ceteris imperaturum. Prima roboris spes, primumque temporis munus quadrupedi similem facit. Quando homini incessus? quando vox? quando firmum cibis os? quamdiu palpitans vertex, summæ inter cetera animalia imbecillitatis indicium? Cetera sentire naturam suam, alii pernicitatem usurpare, alia præpetes volatus, alia nare: hominem scire nihil sine doctrinâ, non fari, non ingredi, non vesci: breviterque non aliud naturæ sponte, quam flere (20). Neque ullum habetur animal, quod tantâ difficultate et tam lente ad perfectionem perveniat. — Sed quæcumque homini desint, ea ab educatione huic tribuuntur. Cetera enim animalia cum ad illum perfectionis gradum nunquam assurgunt: cui destinatus est homo, perfectionem istam cito attingunt: hominis autem vita cum continua sit versus perfectionem progressio, lente admodum illum procedere necesse est: cumque mens facultates ejus corporales

(20) Plin. H. N. VII. 1. (t. 2. p. 3 et 6. ed. Bip.) et impr. ejusdem libri c. 5. in fin. p. 15.

regat, facultates illæ physicæ simul cum moralibus explicantur, et ad perfectionem perveniunt. Circa vires istas explicandas et rite adhibendas versatur educatio (21). Ceterum ea est corporis et animi necessitudo, ut, quemadmodum hujus affectiones perpetuæ, aut motus majores, ad illud corrumpendum, vel ad ejus vigorem conservandum, magnam vim habent, ita status corporis ad tempus vel stabilis multum valet ad ingenium hebetandum, aut acuendum, et ad impulsus voluntatis concitandos minuendosve. Variæ causæ externæ agunt in corpus: corpus in mentem. Inde et hujus status haud parum ab illis causis pendet (22). Ex quibus jam satis apparet, quantum momentum insit rectæ educationi, quantique referat, ut pueri accipiant institutionem masculam, quæ eos ad fortitudinem et quasvis alias virtutes adducat.

Jam videndum de educatione *morali*. — Vetus controversia est, an virtus doceri possit, nec ne. Sed cum constat virtutem esse bonum *acquisitum* (23), omnemque promptitudinem, tam animi quam corporis, multâ et continuâ *exercitatione* comparari posse, inde concludimus, multum interesse, utrum rectam educationem quis accipiat, an pravam. Errant igitur, qui putent, omnem curam educationis removendam esse, quia *opus naturae*, (ut ajunt) malum esse nequit, nisi per malos homines corrumpatur. Ad hanc opinionem proclivis est Rousseau in *Emile*; ubi observat primam educationem non nisi *negativam* esse debere, i. e. vitia tantum a pueris arceri debere, non autem eorum animis veritatis præcepta et virtutis atque religionis esse instillanda. Cujus quidem opinionis perversitatem ostendere supervacaneum sit. — Neque etiam iis assentiendum est, qui, cum Helvetio, nimium educationi tribuunt, et contendunt, eosdem esse homines omnes, eosque solâ vi educationis differre putant. Naturali enim *ingenio* et *indole* alii ab aliis differre statuimus.

Ex *nativâ* illâ hominis indole explicandum videtur, quod alii sint duri, alii lenes: alii audaces, alii timidi: hilares nonnulli, alii

---

(21) A Rousseau *Emile* liv. I. (p. 11 ed. ter.) (22) A Pestel ll. § 206.
(23) Pestel ll. § 199.

austeri: alii lenti, alii vivaces. » Ut optima quisque valitudine affec- » tus potest videri, ut naturâ ad aliquem morbum proclivior: sic » animus alius ad alia vitia propensior" (24). Indoles illa multum valet ad reddendos homines magis minusve proclives ad quædam vitiorum aut virtutum genera: atque adeo eorum libertatem minuit quidem, non vero tollit. Qui vero naturâ peculiaribus vitiis præditi sunt, hi, ut recte observat Cicero (25), » quasi malâ va- » letudine animi" laborant. Non desperandum tamen, sanabiles enim sunt: ut Socrates dicitur, cum multa in conventu vitia collegisset in eum Zopyrus, qui se naturam cujusque ex formâ perspicere profitebatur, derisus est a ceteris, qui illa in Socrate vitia non agnoscerent: ab ipso autem Socrate sublevatus, cum illa sibi insita, sed ratione a se dejecta diceret. — Qui autem non naturâ, sed culpâ, vitiosi esse dicuntur, eorum vitia constant e falsis opinionibus rerum bonarum ac malarum, ut sit alius ad alios motus perturbationesqne proclivior. Inveteratio autem, ut in corporibus ægrius depellitur, quam perturbatio, » citiusque » repentinus oculorum tumor sanatur, quam diuturna lippitudo » depellitur." — Inter causas autem præcipuas propensionum *dominantium* (*f*) jure educationem negligentiorem referunt.

Quamvis educationis cura præcipue versetur in indole excolendo, ingenii cultum (latiori sensu [*g*]) non negligendum esse, nemo profecto negare possit: illumque educatoris arte perfici *posse* constat. Perfectio illa est consensus singularum intelligendi virium inter se et universarum cum adeptione *boni.* Id bonum est habitus verum a falso discernendi (atque id, quod homini in felicitatis suæ stadio progredienti nocet et prodest), tum et multiplex cognitio rerum et factorum ad vitam jucunde degendam utilis. Natura in viribus ingenii evolvendis certo ordine

(24) Cic. *T. Q.* IV. 37. *De Leg. Agrar.* c. 35. et *De Fato* c. 4. Vid. etiam Seneca *De Ira* II. 17. seqq., Livius XLV. 23. (25) Cic. *T. Q.* IV. 37.

(*f*) Qualis est cupiditas immoderata gloriæ, dominationis, ludendi, nihil, ut aït Horatius, jucundum putandi, nisi vivere in amore jocisque.

(*g*) Le *Génie.*

gradatim progreditur. Quam quidem progressionem observare et sequi educatoris est. Aliter enim tardis, aliter celerioribus ingeniis, prudenti ratione, subveniendum est. Similiter curare debet educator, *non ut a se educati multa, sed vere utilia, et ea praecipue sciant, quae ad studium recti pertinent, atque ea nesciant, quae progressui felicitatis nocent.* Eo tota ejus institutio respiciat, in eoque totum hujus momentum situm sit. Et ita, incitatâ sciendi cupiditate, *facultas sentiendi*, in quâ omnis cognitio humana initium sumit, sic dirigenda est, ut mens multas simul res oblatas clare ac vere intueatur, ut, rebus istis ita perceptis, concurrant ad perfectionem nostram et veram felicitatem promovendam.

Cumque nostra omnis vis in animo et corpore sita sit, et alterum nobis cum Deo, alterum cum belluis commune sit; ita summa ope niti decet, vitam silentio ne transeamus, veluti pecora, quæ natura prona atque ventri obedientia finxit (26), sed quam maxime ad divinam perfectionem accedamus, ut ita scopum, ob quem in hoc mundo collocati sumus, quantum fieri possit, assequamur. — Educationem itaque non arctis pueritiæ et adolescentiæ finibus circumscriptam volumus, sed per omnes ætates atque ordines dispersam intelligimus: illamque disciplinam spectamus, cui subjectus adolescens quisque, mater-paterque-familias quisque, civitatis moderator, *civis* quisque, sive versetur in Reipublicæ luce, sive privatus degat: cui, verbo, pareat *homo* unusquisque.

---

(26) Sallustius *B. C.* c. 1.

§ II.

DE ANTIQUORUM EDUCATIONE.

Cuivis educationi finis quædam, seu scopus, tribui solet. Omnibus sc. regiminis formis, quæ inter homines constitutæ sunt, certum est *principium* (*a*): ita ut aliud sit e. g. regiminis *monarchici*, aliud regiminis *popularis* principium (1). Cui quidem principio educatio consentanea esse debet. Hac enim cum informentur juvenes, ut aliquando partem efficiant civitatis; necesse erit, ut singulæ familiæ eodem modo regantur, atque universa civitas (2). In diversis itaque regiminis formis, diversa erit educatio: ut alia sit in regimine monarchico, alia in populari, alia tandem in regimine patriarchico (*b*). Alienum igitur non erit a proposito nostro considerare, quodnam Græcarum Romanarumque Rerumpublicarum fuerit principium: ut postea videamus, an huic consentaneæ fuerint harum Gentium educatio atque institutio.

Naturâ fit, ut liberi a parentibus amentur. A quo initio profectam communem humani generis societatem credebant antiqui (3).

(1) Montesquieu *Esprit des Loix*, liv. 3. (2) Id. Ibid. l. 4. c. 1.
(3) Cicero *De Fin.* III. 19.

(*a*) » Il y a cette différence entre la *Nature* du gouvernement et son *Principe*, que sa nature est, *ce qui le fait être tel*, et son principe, *ce qui le fait agir*. L'une est sa structure particulière, et l'autre les passions humaines, qui » le font mouvoir." Montesquieu, *Esprit des Loix*, l. 3. c. 1.

(*b*) Montesq. (Il. l. 2. c. 1.) tres distinguit regiminis formas *Popularem*, *Monarchicam* et DESPOTICAM. Postremâ hacce videtur intellexisse *Patriarchicam*, quæ in Oriente imprimis antiquitus obtinebat, et etiam nunc obtinet. Licet Principes ibi despotarum instar agant, inde tamen concludi non potest, hocce ita fieri convenienter cum regiminis principio. Cum igitur descripsit auctor egregius regimen Gentium Orientalium, respexit non Patriarchicam sed *Tyrannidem*. Et ita quidem (l. III. c. 9.) regiminis despotici principium ponit *metum*. In quo tamen fallitur. Quomodo enim tot tantaque egissent Orientales metu ducti? Principium itaque regiminis Patriarchici definire præstat, *amorem et reverentiam erga superiores*, imprimis erga regiam familiam, sive sacerdotalem, sive militarem. Cui principio consentaneam esse educationem, quis non videt?

Ex mutuo enim amore parentum et liberorum factum est, ut communis hominum inter homines naturalis sit commendatio, ut oporteat hominem ab homine, ob id ipsum quod homo sit, non alienum videri. Ut porro in membris alia sunt tamquam sibi nata, ut oculi, ut aures: aliqua etiam ceterorum membrorum usum adjuvant, ut crura, ut manus; sic immanes quædam bestiæ sibi solum natæ sunt: aliæ, ut formicæ, apes, ciconiæ, aliorum etiam causa quædam faciunt. Multo vero magis hæc conjunctio est hominis; » naturâ sumus apti (ut recte observat Cicero) (4) » ad cœtus, concilia, civitates. Mundum autem censent regi nu» mine Deorum, eumque esse quasi communem urbem et civita» tem hominum et deorum: et unumquemque nostrûm ejus mundi » esse partem, ex quo illud naturâ consequi, ut communem uti» litatem nostræ anteponamus: *ut enim leges omnium salutem sin» gulorum saluti anteponunt; sic vir bonus, et sapiens, et legibus » parens, et civilis officii non ignarus, utilitati omnium plus, quam » unius alicujus, aut suae, consulit.*" — Ex amore illo erga æquales et societatem, exinde quod nemo in solitudine vitam agere velit, ne cum infinitâ quidem voluptatum abundantiâ, facile intelligitur, nos ad conjunctionem congregationemque hominum, et ad naturalem communitatem esse natos. Impellimur autem naturâ, ut prodesse velimus quam plurimis, imprimisque docendo, rationibusque prudentiæ tradendis. Ita non solum ad discendum propensi sumus, verum etiam ad docendum: » atque ut tauris naturâ » datum est, ut pro vitulis contra leones summâ vi impetuque con» tendant, sic ii, qui valent opibus, atque id facere possunt, ut » de Hercule et Libero accepimus, ad servandum genus hominum » naturâ incitantur" (5). Sed inter se naturâ ad civilem communitatem conjuncti et consecrati sunt homines. Quod ni ita se haberet, nec justitiæ ullus esset, nec bonitati locus. Et ita quidem ad tuendos conservandosque homines hominem natum esse videmus. Ad securitatem vero convenerunt (6). Sed non minus

(4) *De Fin.* III. 19. (5) Id. Ibidem. c. 20. (6) Arist. *Polit.* I. 1. Plat. *Rep.* II. 569. B. C, et Grotius *De Jur. B. et Pac.* I. I. c. 1. § 14. nº 1.

societatis et conjunctionis studio (*c*). Homo enim suorum desiderio perductus, et majora jam suspirans, cum paribus et æqualibus conjungi gestiebat. Eadem istiusmodi congregationum fuit origo atque amicitiæ: atque » a naturâ potius, quam ab indigentiâ" (7), ortæ videntur. Quare Plato societatem (8) referens hominum inter se conjunctissimorum, dicit: *καὶ μαχόμενοι γ' ἂν οἱ τοιοῦτοι μετ' ἀλλήλων νικῷεν ἂν, ὀλίγοι ὄντες, ὡς ἔπος εἰπεῖν, πάντας ἀνθρώπους.* Maximopere Græcis placebant istiusmodi congregationes. Ita Otanes apud Herodotum in Persarum illâ disputatione de rege instituendo popularem inducere suadet rationem; nam primum, inquit, *οὔνομα πάντων κάλλιςον ἔχει, ἰσονομίην.* (9). Hæc autem civitatis conjunctio continebatur maximâ civium æqualitate: » verus enim » priscus ille sermo, æqualitatem amicitiam procreare, recte admo- » dum et apte dicitur" (10). Ut conservaretur omnis homini erga hominem societas, conjunctio, caritas, et emolumenta et detrimenta communia esse voluerunt. Nec solum ea communia, verum etiam paria esse dixerunt (11). Existimabant antiqui civitatem communionem (*κοινωνίαν*) quandam esse (12): quæ quidem communio optime ipso vocabulo *rei-publicae* (*rei-populicae*, *chose-publique*) exprimitur. » Ea autem natura civitatis est, ut ex paribus et si- » milibus, quam maxime fieri possit, constare debeat" (13).

Civitas autem omnium societatum princeps et domina est (14), cæterasque omnes complectitur. Hominum autem societas et communio domum facit et civitatem. » Prius igitur est civitas, quam » domus et unusquisque nostrûm" (15), comparaturque omnis civitas ex domibus et familiis (16): unusquisque igitur civis ejusque familia civitatis efficit partem, adeoque civem neminem existimare oportet esse suum, *sed omnes se esse civitatis: particula enim unusquisque civis civitatis est* (17).

(7) Cic. *De Amic.* c. 8. (8) *Symp.* p. 179. A. (9) Herod. III. 30. (10) Plato *Legg.* VI. 757. A. (11) Cic. *De Finib.* III. 21. (12) Arist. *Polit.* I. 2. (13) Id. Ibid. IV. 11. (14) Id. Ibid. I. 1. (15) Id. Ibid. I. 2. (16) Id. Ibid. I. 3. (17) Id. Ibid. VIII. 1. et. Rousseau, *Emile*, p. 15.

(*c*) Recte Aristoteles: » Civitas est ex iis, qui naturâ sunt, et homo sociale » est animal, — magis quam omnis apis et omne animal gregarium." *Polit.* I. 2.

Proponere sibi solebant antiqui patriam omnium civium communem *matrem*, cui non tantum reverentiam deberent, sed cui quævis alia officia præstare tenerentur. *Pietatis* vocabulo significabant Romani ea officia, quæ præstabant erga Deos (*d*), quos sibi fingere solebant tamquam omnium hominum parentes. Pietas quoque dicitur amor naturalis ac reverentia in parentes, liberos et cognatos (18): sed ultimo sensu intelligitur etiam de amore ac reverentiâ (19) erga patriam. Quare Cicero, de pietate loquens, alicubi dixit: » Quæ cum sit magna in parentibus et propinquis, » tum *in patriâ maxima est.*" Alio item loco (20), variis societatum generibus enumeratis, » Sed cum omnia ratione, inquit, ani» moque lustraris, omnium societatum nulla est gravior, nulla » carior, quam ea quæ cum republicâ est unicuique nostrûm. » *Cari sunt parentes, cari liberi* (*e*), *propinqui, familiares: sed* » *omnes omnium caritates patria una complexa est:* pro qua quis » bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus? (*f*) Quo » est detestabilior istorum immanitas, qui lacerarunt omni sce» lere patriam, et in eâ funditus delendâ occupati et sunt et » fuerunt." Aristoteles etiam civitatis leges et instituta comparat cum oratione paternâ et moribus in familiis privatis (21), prop» ter generis communitatem et beneficia." Civitates Græcæ erant quasi personæ *morales*, ut recte observat cl. Heerenius (22). Et quæ itaque homines sive ad bonum sive ad malum adducant,

---

(18) Cic. *Fam.* I. 1. princ., ubi plura affert Manut. Idem *De Invent.* II. 22. et c. 53. *Pro Rosc.* c. 13 et passim. conf. Horat. *Carm.* III. *Od.* 24, inde a v. 25, ubi bella civilia vocat *Impias* cædes. Habebant scil. antiqui cives suos fratrum loco. (19) *Somn. Scip.* c. 3. (20) *De Offic.* I. 17. (21) *De Morib.* X. 10. (22) In opere cui titulus: *Ideën über die politik, den verkehr, und den handel der vornehmsten Völker der alten welt.* III. t. 4. 1 abth. 9 abschn. p. 236.

(*d*) » Hæc *in Deum pietas* fundamentum est omnium virtutum." Cic. *Pro Plancio* c. 12. — »Est pietas justitia adversum Deos." Id. *De Nat. D.* I. 41. cf. II. 61.

(*e*) Plut. in præc. pol. p. 809, D. Φιλῶ τέκν', ἀλλὰ πατρίδ' ἐμὴν μᾶλλον φιλῶ. *Amo liberos, sed patriam meam magis amo.*

(*f*) » ...... Ex quo fit, ut laudandus sit is, qui mortem oppetat pro rep. » *quod doceat, cariorem esse patriam nobis, quam nosmet ipsos.*" Cic. *De Fin.* III. 19.

eadem in rebuspubl. antiquis vel profuisse vel nocuisse haud male observatur. Virtutes autem et boni mores cum homines ad veram felicitatem adducant (quin et non raro fiat » ut sui cuique » mores fingant fortunam" [23]), ita civitates antiquæ unice nitebantur moribus. Qui si corrupti essent atque perditi, remp. perire necesse erat. Cumque finis civitatis esset *bene vivere* (24), ita qui sibi vigilandum atque elaborandum esse putabant, ut civitas bonis legibus temperaretur et gubernaretur, de virtute et vitiis civium diligenter cogitare debebant. Unde apparet civitatem eam, quæ revera nominetur *civitas*, virtutis habere curam debere.

Civitates igitur antiquæ, quæ naturâ ita duce exstiterant, in quibus omnes cives æquales erant, in quibus singulorum saluti publica salus præponebatur, quæ omnium civium quasi mater erat, a qua omnia acceperant, cuique omnia debebant (25), pro quâ mori nulli dubitabant (*g*): sed optime referebant civitates istæ *familiam* quandam *majorem*, quæ omnes familias privatas *uno* vinculo consociaret, et unumquemque civem tamquam *membrum* totius corporis consideraret, quod cum ceteris membris corpori vel tuendo vel nutriendo inserviret, et a quo vicissim, vel a reliquis ejus partibus, aleretur, et commoda perciperet. Hac enim ratione optime antiquarum rerumpublicarum constitutionem et habitum explicari posse existimo. Et hinc facile horum regiminum *principium* repeti posse mihi persuasum est. Sc. non cum Montesquieu (26), illud *virtutem* esse statuimus (*h*): sed cum omnes reip. cives sint quasi fratres, ita harum principium *caritatem fraternam* esse statuimus, *cum studiis societatis et aequalitatis* conjunctam, sive mutuam civium benevolentiam atque conjunctio-

(23) C. Nepos. *In Attico.* c. 2. (24) Arist. *Polit.* III. 9. p. 209. c. (25) Ct. cl. Heeren ll. p. 269 et 270. (26) LL. l. 5. c. 1. seqq.

(*g*) Ita Iphigenia, mortem pro patriâ subiturâ, matrem colloquitur : » Πᾶσι γάρ μ' Ἕλλησι κοινὸν ἔτεκες, οὐχὶ σοί μόνῃ." *Iphig. in Aul.* v. 1386.

(*h*) Licet Montesquinus virtutem *politicam* intelligat, quam a *morali* distinguit (l. 3. c. 5. ibiq. nota), ne ita tamen rerumpubl. antiquarum aliorumque regiminum principia satis a se invicem distingui videntur. Nam virtus illa politica omnibus regiminibus inesse debet.

nem (27). Et quamvis difficile sit in civitate efficere „ τὸ συμπνεῦσθαι, „ καὶ καθάπερ ἵππων ζεῦγος καθ' ἕνα εἰς ταὐτὸν (τὸ λεγόμε- „ νον) ξυμφυσῆσαι, *ut conspiret et tamquam par equorum in » unum idemque (ut dicitur) sufflet"* (28); eo tamen omnia sunt referenda (29). Τὸ μὲν γὰρ κοινὸν ξυνδεῖ, τὸ δὲ ἴδιον διασπᾷ τὰς πόλεις· *quod enim commune est, civitates connectit, proprium vero distrahit* (30). Et huc etiam referendam esse *educationem* quis dubitet? Plutarchus Lycurgum inter et Numam comparationem instituens (31), hunc merito reprehendere videtur, quod non magis puerorum educationem curarit, patribusque auctoritatem reliquerit pro lubitu filios educandi, *perinde ac si educatio non versus unam eandemque finem tenderet*, essentque similes iis, qui navim conscendant, quorum quisque sua negotia spectans, non curet salutem publicam, nisi cum adsit periculum, quia tum sibi anxii sint.

Ut homini mens, ita civitati præesse debet *ars civilis* (ἡ πολιτική) cujus quidem primarium propositum est, ut civitas, tamquam homo, ad virtutem instituatur. Constat autem ex multis magnisque rebus ratio illa civilis. Nam huic serviunt ac parent ceteræ artes omnes, quarum ministerio civitas sustentatur: estque (uti observat Plato [32]) sola „ ἡ αἰτία τοῦ ὀρθῶς πράττειν ἐν τῇ „ πόλει, καὶ ἀτεχνῶς κατὰ τοῦ Αἰσχύλου ἰαμβεῖον, μόνη ἐν τῇ „ πρύμνῃ καθῆσθαι τῆς πόλεως, πάντα κυβερνῶσα, καὶ πάντων „ ἄρχουσα, καὶ πάντα χρήσιμα ποιεῖν (ἐδόκει), *recte agendi in » civitate rationis effectrix, atque vere, quod ait Æschyli jambicum, sola sedet in civitatis puppe anima gubernans, omnibus » imperans, omnia utilia reddens."*

Itaque ars civilis omnes cives complectebatur, a teneris inde

---

(27) Plato legg. III. 693 B. C. E. ct. 761. D. (28) Id. Ibid. IV. 708. D. (29) Id. *Rep.* VII. 519 E. *Legg.* V. 739 D. et 743. C. (30) *Legg.* IX. 875 A. cf. III. 686 B. (31) Usus sum ed. min., quæ prodiit Lipsiæ apud Tauchnithum, A° 1812. Locus, quem respicio, legitur, t. 1. p. 192. *In Comp. Lycurg. et Numae* § 4. (32) *Euthyd.* 291 D. cf. *Alcib.* II. 145.

annis illos suscipiens, et ad senectutem usque curans, ut essent quam optimi, et ad suum quisque munus in republ. peragendum aptissimi. Parentum igitur arbitrio relinqui educandi cura non poterat: „ἀλλὰ, τὸ λεγόμενον, πάντ' ἄνδρα καὶ παῖδα, κατὰ „τὸ δυνατὸν, ὡς τῆς πόλεως μᾶλλον ἢ τῶν γεννητόρων ὄντας, „παιδευτέον ἐξ ἀνάγκης· *Sed, ut dicitur, vir unusquisque ac » puer, quoad ejus fieri potest, necessariâ disciplinâ institui de- » bet, quippe qui magis ad civitatem, quam ad parentes suos » pertinet*" (33). — Quæ cum tanta sit educationis vis et efficacitas, (qua de re supra jam vidimus) illâ in civitate nihil antiquius esse debet, et nihil legislator magis curare debet, quam rectam institutionem. » In rebus civilibus, solus mihi (Platoni [34]) videtur » bene incipere (is qui primum juvenes curat). Bene enim in- » cipit, qui juvenes curat, ut quam optimi evadant; *quemadmodum » bonum decet agricolam, ut novellorum primum germinum curam » gerat, tum demum ceterorum.*" Et prouti a semente agricola, sic politicus a generatione incipere debet, providens, ut ex optimis optimi nascantur (35), illudque maxime tenens: „ὡς, εὖ μὲν τραφέντων „καὶ τρεφομένων τῶν νέων, πάντα ἡμῖν κατ' ὀρθὸν πλεῖ. *Si juve- » nes bene educati sint atque educentur, prosperum nobis omnia » cursum habitura esse*" (36). Puerorum disciplinâ rectâque institutione neglectâ, magna inde oriri civitatibus incommoda, docet Aristoteles (37). Quæ contra, si ad politiam accommodatæ sunt, maxime omnium faciunt ad diuturnitatem et stabilitatem rerumpublicarum (38).

Liberorum procreationem non tantum ad explendum munus naturæ pertinere arbitrabatur Aristoteles (39), verum etiam ad utilitatem. Parentes enim debebant reip. cives dare, qui parentum locum explerent, essentque ipsius defensores benefactoresque.

---

(33) Plato *Legg.* VII. 804. D. ct. Arist. *De Morib.* X. 10. p. 83. D.
(34) *Eutyphr.* Q. C. (35) *Polit.* 310. A. *Rep.* V. 459. D. *Legg.* IV. 720. E.
(36) Id. *Legg.* VII. 813. D. (37) *Polit.* VIII. 1. (38) Id. Ibid. V. 9.
(39) *De cur. rei fam.* I. 3.

Hocce enim imprimis tenendum, quod supra jam observavimus, omnes omnium caritates patriam apud antiquos complecti, et nulla officia sanctiora et antiquiora esse, quam quæ civis erga remp. præstaret. Cumque ab initio puerorum indoles informanda sit, quia pueritia ob mollitiem effictu facilis est, animisque puerorum teneris etiam nunc facile insideat, quod discant, sicut contra, quæ duriora sunt, difficulter molliuntur (*i*); ita a teneris jam inde annis pueri ex parentum tutelâ in reip. curam transibant, quæ vel publice eos educabat, uti apud Lacedæmonios obtinebat (*l*), vel eos etiam, qui in parentum domibus versabantur, erudiebat et informabat convenienter cum reip. principio, ut imbuerentur flagrantissimo libertatis amore, vehementissimo æqualitatis et amicitiæ studio, virtutibus tum militaribus tum civilibus, quibus sustentabatur et vigebat resp.

Qualis autem fuerit et apud Græcos et apud Romanos (nam ad hos unice referendum est, quod hucusque de antiquorum educatione proposuimus) peculiaris institutionis ratio, hoc loco latius exponere a proposito nostro alienum est. Videndum modo erit, qualis illa fuerit apud Romanos, diversis reip. temporibus: et probandum erit, ipsius civitatis conditionem permagnam vim exercuisse in educationem, et hanc vicissim in hominum mores, atque in ipsam remp., maximam vim habuisse. Disquisitio itaque nostra optime in tria capita dividi posse videtur. In *primo* agam de educationis et institutionis ratione ab initio reip. usque ad Bellum Punicum II. In *altero* de earumdem conditione usque ad Augusti tempora. In *tertio* denique exponam et educationis et institutionis conditionem ad Justinianum usque. — Singula porro capita dividam in *tres* partes. Primo loco breviter exponere conabor reip. habitum ea ætate, de qua agetur, tum vero referre studebo ipsius institutionis educationisque conditionem: ut ita, postremo loco, ostendere possim earum vim et

---

(*i*) Eleganter Plutarchus, » Sicuti sigilla mollibus imprimuntur ceris, sic dis» ciplinæ puerilibus adhuc animis infiguntur" ll. c. 5 pro.

(*l*) Quare Arist. dicit, in solâ Lacedæmoniorum civitate, cum paucis aliis, legislatorem educationis et studiorum curam habuisse. *De Morib.* X. 10. 83. D.

efficacitatem in mores et agendi rationem ipsius juventutis Romanæ. — Quominus vero de educatione apud Romanos hoc loco uberius disputemus, facit ipsius disquisitionis ratio, cum sæpius postea opportunitas aderit quædam observandi, quæ eo pertineant.

Cæterum in disquisitione, quam nunc instituere aggredimur, mirum nemini videatur, nos institutioni liberorum apud antiquos plura tribuisse, quam huic fere hodie tribuere solemus, et ex ipsius educationis neglectu, magnâ parte, Romanæ reip. lapsum repetiisse. Primum observare liceat leges quasdam vetustissimas, veluti illas, quæ Charondam et Zaleucum auctores habuisse dicuntur, item nonnullas Lycurgi aliorumque (*m*), morum magis et vivendi præcepta, quam revera leges fuisse. Item Græcorum *disciplinam civilem*, quæ arctissimo vinculo cum religione ac morum doctrinâ conjuncta erat, imprimis habere educationis rationem debuisse, et recte igitur Platonem, quum optimam civitatem exquireret, quamplurima de educatione tradidisse præcepta: quæ quidem parvis civitatibus et nondum corruptis convenire possent, quarum magistratus parentum et educatorum munera cum civili imperio conjungerent, ad populos autem, quales nunc in Europâ sunt, vix accomodanda esse, quoniam morum disciplina magis pertinet ad homines singulos, leges autem gentes regunt. Antiquorum respublicæ continebantur fere ipsâ urbe et exiguâ parte regionis circumjacentis: unde etiam factum, ut Græci eodem vocabulo (*n*) significarint *urbes* et *civitates*. Antiqui itaque in parvis rebuspubl. vitam agebant publicam, in exercitibus, in foro, in concionibus versabantur: versus hasce occupationes eorum tendebat educatio, eademque omnibus proposita erant præmia. Recentiores contra vel in magnis imperiis vitam fere domesticam agunt, vel per totum orbem terrarum dispersi, ibique viventes, *cosmopolitae* sunt,

---

(*m*) Recte observat Rousseau (*Emile* l. 1. p. 17.) Libros Platonis *De Rep.* præcipue de educatione, latiore sc. sensu, agere. Eodemque loco haud male judicat, educationem, quæ *publica* dici possit, proprie non amplius adesse.

(*n*) πόλις cf. impr. cl. Heeren ll. t. 3. p. 1. p. 233 et locus Arist. ibi citatus.

et magis inter se conjuncti tamquam *homines* (*o*), quam tamquam *cives*: a rebus gerendis remoti, privatim fere degunt: et uti antiqui in legibus suis hominem civem considerarunt, ita recentiores hominem, eumque moralem et cum toto genere humano conjunctum, spectant. Hinc factum, ut educationis apud antiquos longe majus fuerit momentum, quam apud nos, ejusque cura ad negotia *publica* pertinuerit, apud nos vero ad *privata*.

Quod quidem discrimen observare ideo mihi fuit propositum, quod multa, a moribus nostris et judicandi ratione aliena, in disquisitione nostrâ occurrent, de quibus ne perverse judicaretur, præcavendum duxi. Errores enim eorum, qui antiquitatem contemnunt, inde maxime oriuntur, quod sua tempora in antiquitatem transferunt (*p*).

Hisce itaque præmissis, ipsam quæstionem solvere conabimur. Et licet parva victoriæ sit spes, cum propter virium imbecillitatem, tum propter temporis augustias, intra quod ad tam late patens argumentum supellex nobis comparanda fuit, non prorsus tamen desperandum esse censemus, Quinctiliani illud in memoriam revocantes: » Fructum studiorum adhuc viridem et dulcem promi » oportet, dum veniæ spes est et paratus favor, et audere non » dedecet, et si quid desit operi, supplet ætas, et si dicta sint » juveniliter, pro indole accipiuntur."

(*o*) Quod aliter fiebat apud antiquos. Ita Græci omnes populos, Romanis exceptis, *Barbaros* vocabant, eosque despiciebant. Ita Iphigenia matrem alloquens, dicit:

> Βαρβάρων δ' Ἕλληνας εἰκὸς
> Ἄρχειν, ἀλλ' οὐ βαρβάρους,
> Μῆτερ, Ἑλλήνων· τὸ μὲν γὰρ δοῦλον, οἱ δὲ ἐλεύθεροι.

Iphig. en Aul. v. 1400 seq.

(*p*) Verissime Montesquieu: » Transporter dans des siècles reculés, toutes » les idées du siècle où l'on vit, c'est des sources de l'erreur celle qui est la » plus féconde." *Espr. des Loix*, l. 30. c. 14.

——✻——

CAPUT PRIMUM.

Educationis et Institutionis puerorum apud Romanos conditio, inde ab initiis Reipublicae usque ad Bellum Punicum II.

§ I.

OBSERVATIONES DE REPUBLICA ROMANA HACCE ÆTATE.

De origine quarumvis societatum supra jam vidimus. Homines in statu naturali divisi sunt in familias, quæ plane liberæ erraticam agunt vitam. Quod quidem vitæ genus maximopere iis placet, qui nullis artibus dediti, nullique ingenii culturæ intenti sunt. Sed quamprimum homines appetitu societatis ducti, dulcedines vitæ socialis experiri cupiunt, tum in civitates coëunt. Cum enim indies necessitates augentur et indigentia rerum extra se positarum; ita fit, ut alterius ope indigeant, sive ad illa assequenda et efficienda unitis viribus, quæ singuli per se efficere non valent, sive ut mutuum sibi auxilium ferant mitioris ingenii familiæ contra vim aliorum. Ipsa rei natura suadet, ut casas in vico collocent, ut promtiores sint in ope accipiendâ et dandâ.

Et ita quidem natæ sunt civitates imperfectæ: quæ tamen tutæ et felices esse sine imperio nullo modo poterant. — Bellorum ratio maxime valuit, ut se consociarent. Sed cum in bello Dux maxime necessarius esset, hinc sibi elegerunt quemquam et virtute et meritis conspicuum, qui in bellis præesset, et jus diceret inter

familias (1). Omnes itaque antiquæ gentes regibus paruerunt, quod genus imperii primum ad homines justissimos et sapientissimos deferebatur (2).

In gentibus, quæ infimo sunt humanitatis loco, æqualitas fere obtinet, uti observarunt peregrinatores, qui gentes adierunt, viventes, ut dicere solent, in *statu naturae*. Idemque egregie observat Robertsonus in Historia Americæ. Ibi sc. vivebant homines non inter se auctoritate distincti: sed æquales, ut videbatur. Et ita quidem sæculo superiori multi exstiterunt (in quibus Rousseau haud infimum locum occupat), qui crederent, homines istos verâ demum *aequalitate* frui, adeoque vere esse felices. Sed tantum abest, ut æqualitas ista habenda sit *juris*, quam vocamus, *aequalitas*, ut contra e torpore et desidiâ oriatur, quæ quidem minime ad felicitatem perducere nemo profecto non confitebitur. Et hic observemus, ita omnium populorum rem esse comparatam, ut totæ gentes instar singulorum hominum educentur. Humanum enim genus, per longum temporis spatium ad humanitatem progressum, sensim et per gradus excultum est, ferociâque depositâ, tandem mitioribus moribus ornatum est: ita ut, quum antiquarum non solum, sed recentiorum etiam gentium originem investigemus, ad primam earum vitæ rationem adscendamus, omnes aliquando barbaram atque vagabundam vitam secutæ fuisse probentur (3). In Romanæ vero gentis initia oculos convertentes, eadem ruris et vitæ errabundæ vestigia ibi observamus, eosque non nisi lente et pedetentim ad majorem cultum et humanitatem pervenisse. Conditionem vero Romanæ reip. initio et subsequentibus temporibus breviter exponere lubet. Quod quia forte a materiâ alienum videri posset, quorsum spectet, exponendum erit.

Educatio trifariam fere dividitur. Educamur sc. vel a naturâ,

---

(1) Cicero *De Offic.* II. 12. (2) Id. *De Legg.* III. 2. Arist. *Polit.* I. 1. et IV. 3. Tacit. *Annal.* III. Sallust. *B. C.* c. 2. Justinus I. 1. et August. *Civ. D.* IV. 6. et Grotius *De Jure B. et P.* I. 1. c. 4. § 7. et alii. (3) Cf. Iselin in opere *Gesch. d. Mensch*, initio.

vel ab hominibus, vel a rebus (*a*). Ex tribus hisce educationibus illa, quæ ab hominibus proficiscitur, sola proprie a nobis pendet: illa vero, quam accipimus a rebus externis, partim tantum. Homo enim in ea, quæ circa se versantur, maximam vim exercere dici potest: ejusque culpæ magnâ parte tribui debent, quæcumque ei accidant, sive prospera sive adversa: et ita etiam fit, ut eventus non hominem regant, sed homo (maximâ saltem parte) eventus dirigat (3a). Et ita quidem historia proprie est effigies morum illorum hominum, qui ipsi materiam dedere, et exhibet quasi picturam affectuum humanorum. Legentibus ita nobis gentis cujusdam historiam (quæ vere hocce nomine dici posset), statim ob oculos versatur, quasi in speculo, ipsius populi indoles atque ingenium: utque ex fructibus cognoscimus arborem, ita ex ipsius populi facinoribus apparent ejusdem studia atque occupationes. Cum vero in gentium historiam legendo maximas eas commutationes subiisse observamus, inde deducimus, diversa fuisse populi studia et indolem, diversis ætatibus. Quæ enim principio in honore erant, postea neglecta sunt: quæ initio usitata, posteriori tempore in desuetudinem abierunt. Inde etiam factum, ut immutata sit et ipsius reip. conditio, et artes, quibus ad summos honores adscendere poterant homines, pro temporum ratione, aliæ evaserint. Et inde, ut exemplo utar, quod initio Romæ, quæcumque circa res militares et agriculturam versabantur, maximo in honore fuerint, factum est, ut a teneris inde annis ad hæcce negotia instituti sint pueri. Cum vero postea et eloquentia et jurisperitia in agriculturæ locum succederent, ad hæcce præcipue eruditi sunt juvenes. — Sed de ipsis Romanis videamus.

De vetustissimo Italiæ statu deque gentibus, quæ eam inhabitarunt, parum certi constat. Verosimile quidem est, earum gentium,

---

(*a*) » L'éducation nous vient ou de la nature, ou des hommes, ou des choses. Le développement interne de nos facultés et de nos organes, est l'éducation de la nature: l'usage qu'on nous apprend à faire de ce développement est l'éducation des hommes; et l'acquis de notre propre expérience sur les objets, qui nous affectent, est l'éducation des choses." *Emile*, l. 1. p. 12.

(3*a*) Sallust. *B. C.*

quæ ante Romam conditam in Italiâ habitabant, præcipuam fuisse Aborigines, qui Albam Longam constituisse videntur, eosque præ cæteris in Italiâ inclaruisse, satis constare videtur (4). Hinc Romani originem suam ducere jactitabant (5). — Quod vero ad vitæ rationem antiquissimorum incolarum attinet, hancce significasse videtur Cicero (6): » Quis vestrûm, judices, ignorat, ita naturam » tulisse, ut quodam tempore homines, nondum neque naturali » neque civili jure descripto, fusi per agros ac dispersi vagaren» tur, tantumque haberent, quantum manu ac viribus per cædem » ac vulnera eripere aut retinere potuissent." — Deque iis cecinit Ovidius: (7)

» *Vita ferae similis, nullos agitata per usus:*
» *Artis adhuc expers, et rude vulgus erat.*
» *Pro domibus frondes norant, pro frugibus herbas:*
» *Nectar erat palmis hausta duabus aqua.*
» *Nullus anhelabat sub adunco vomere taurus:*
» *Nulla sub imperio terra colentis erat:*
» *Nullus adhuc erat usus equi, se quisque ferebat.*
» *Ibat ovis lanâ corpus amicta suâ.*
» *Sub Jove durabant, et corpora nuda gerebant,*
» *Docta graves imbres et tolerare Notos."*

Vita pastoralis jam in se initia continet societatis cujusdam. Pastor enim, ut tuto animalia ubique pascantur, cum vicinis pastoribus se conjungit: et quamquam nusquam stabilem figit sedem, tamen ubiubi est, aliquam societatem inire tentat, qua se cum auctâ familiâ auctisque gregibus vel armentis ab aliorum injuriis tutum præstet (*b*). Sed vera societas demum obtinet, postquam gentes agriculturæ se dederint. Transitus tamen e vitâ erraticâ

(4) Dion. Halic. I. 10 seqq. Liv. I. (5) D. Halic. I. 66, 71, 88. et Liv. I. 6. Hinc Livius bellum, quod postea inter Albanos et Romanos gestum est, » civili » simillimum bello, prope inter parentes notosque" fuisse dixit I. 23. (6) *Pro Sextio* c. 42. (7) Fast. II. v. 291 seqq. cf. Virgil. *Aeneid.* VIII. v. 315 seqq. et IX. v. 603 seqq.

(*b*) Non perperam vocarunt vitam pastorum primum gradum versus cultum vid. Millar. loco supra laud. p. 49. — 58.

ad rusticam lente fit: cumque ad agros colendos major cum animi, tum corporis virium intensio requiratur, quam ad erraticam vitam, ita agricultura majorem quoque ordinem in hominum vitam inferat, necesse est, proximusque ad civilem societatem transitus recte habetur, et cum cl. Heerenio (8) affirmare nulli dubitamus agriculturam maximam vim exercuisse in hominum honores, eorumque regiminis formas. Recte eam vocavit Columella, *proximam, et quasi consanguineam, sapientiae* (9): recteque observavit Plutarchus (10), nullam occupationem tantam et tam subitam pacis cupidinem gignere, quam agriculturam, quippe quâ virtutem conservent homines sufficientem ad sua defendenda, sed audaciam istam et temeritatem deponant, quibus ducantur ad aliorum bona diripienda.

Romanorum majores pastoralem vitam egisse videntur (11), cecinit enim Tibullus (12):

» *Sed tunc pascebant herbosa palatia vaccae,*
» *Et stabant humiles in Jovis arce casae.*
» *Lacte madens illic suberat Pan ilicis umbrae,*
» *Et facta agresti lignea falce Pales;*
» *Pendebatque,* vagi pastoris *in arbore votum,*
» *Garrula silvestri fistula sacra Deo."* (13)

Ad vitamque erraticam peropportuna erat Italia, quippe glandium ferax, et pratis abundans (14): idque de tractu circa Romam imprimis affirmat Dionysius Halic. (15) Quodsi ad Romulum et Remum animum attendamus, hos jam ante Romam conditam, sive potius occupatam, pastores (adeoque latrones) fuisse, quis nescit? (16) Teste Livio (17): » ipse Romulus nec in stabulis nec » ad pecora segnis, jam antea gregem juvenum collegerat, cum

(8) *Ideën.* t. III. abth. 1. abs. 3. p. 67. (9) *De Re Rustic.* præf. (10) *In Numâ*, § 16. p. 1. p. 173. Ed. supra laud. (11) Varro de *R. R.* II. 1. (12) II. El. 5. v. 25 cf. 55. (13) Cf. impr. Juvenal sat. 6. et Lucretius V. v. 956 seqq. Prop. III. El. 11. v. 35 et alii. (14) Strabo *Geogr.* V. p. 349. Unde Virg. *Arva Opima* dixit *Aeneid.* II. v. 781. ct. impr. Dion. Halic. I. 37. (15) II. 2. (16) Id. I. 79. seqq. Ovid. *Fast.* III. v. 191. (17) I. 4.

» quibus venando peragrabat circa saltus, in latrones prædâ » onustos, impetus faciebat, pastoribusque rapta dividebat, et » seria ac jocos celebrabat." Et hinc quidem apparet Romulum, celebratum adeo istum Regem, complurium pastorum caput fuisse, a quibus ob fortitudinem et consilium dux erat electus, ut facilius ita vel circumerrantium pastorum latrociniis resisterent, vel tutius in alios impetum facerent. Inde Juvenalis, Romanorum superbiam ridens, cecinit:

» *Et tamen ut longe repetas longeque revolvas*
» *Nomen, ab* infami *gentem deducis asylo;*
» *Majorum primus, quisquis fuit, ille tuorum*
» *Aut* pastor *fuit, aut* illud, quod dicere nolo." (18)

Et hæc quidem Romæ, terrarum orbis aliquando futuræ dominæ, fuere initia. Licet enim de hujus urbis origine variæ sunt eruditorum opiniones (19); probabile quidem videtur, Romam ortam esse e congregatione familiarum, sive coloniis aliarum civitatum, quæ jam constitutæ erant: quibus modis antiquas civitates fere exortas esse docet Heynius (20). Globus quidam juvenum ferocium, sub forti duce, pagum quemdam munitum occupasse videtur, quod esset velut receptaculum possesionum, imprimis gregum. Cum his pastores quidam e civitatibus finitimis se consociasse, et ita quidem civitatem constitutam esse existimarem: nil certi enim afferri potest, » quæque ante conditam condendamve urbem contigerunt, poëticis magis decora sunt fabulis, quam » incorruptis rerum monumentis tradita" (21). Quicquid sit, Romani, remp. constituentes, ad majora jam suspirabant, eoque societatis studio et æqualium desiderio perducti sunt, nec minus libertatis amore (22). Caveamus tamen, ne fingamus civitatem illam Romanam hodiernis nostris similem. Ab hisce non uno nomine

---

(18) Sat. 8. v. 272. (19) Quas persequitur Perizonius in proleg. ad *Hist. Reip. Rom.*, Niebühr *Röm. Gesch.*, Beaufort, *de la République Rom.* et infiniti alii. (20) *Opusc. Acad.* v. I. p. 226. (21) Liv. in *Praef. Hist.* cf. Rollin *Hist. Rom. Avant-propos.* (22) Ut recte observat. Vertot, *Rév. Rom. Disc. prélim.* init.

discrepabat, ut recte observat Montesquivius (23). Nomadicæ enim gentes in civilem societatem transeuntes, a labore aversæ, bello deditæ sunt, et fortitudinis admiratores ac laudatores diu manent (*c*), et, sicut Tacitus de priscis Germaniæ incolis tradit (24), » pigrum quin immo iners videtur sudore acquirere, quod possis » sanguine parare." Et ita Romani civitatem condentes, non initio agriculturæ *dediti* erant, qua quidem, teste Cicerone (25), nihil melius est, nihil uberius, nihil dulcius est, *nihil homine libero dignius*. Quamvis enim Romulus agriculturam prorsus non neglexerit (*d*), Numa tamen primum populares ad agros colendos adduxisse videtur (26). Romulus enim cum his, qui se ei adjunxerant, ipsumque ducem elegerant, ad civilem vitam transiens, bellica suorum studia secutus est, et in vicinarum gentium agros crebro irrupit: unde ad vitam necessaria rapuit. Et ita continuis istis bellis cum finitimis populis, Romani magis magisque exercitati sunt, et genio ita indulgentes, omnibus cæteris rebus belli negotia prætulerunt.

Numa tamen, quique eum secuti sunt reges, magis Romanorum cultui prospexerunt, eosque ad pacis artes adduxerunt. Quæ tamen artes ante Bellum Punicum II. non magnam vim in ipsam R. P. habuisse videntur. Hæ viam tantum muniverunt ad commutationes, quas postea subiit respublica. — Sed primum videamus, quomodo eâ ætate, de quâ nunc agimus, sese gesserint Romani tamquam cives. Qua de re hoc loco agere, summi est momenti. Ipsius enim reip. conditio miram vim exercuit in ipsam puerorum educationem. Hi enim per totam vitam amorem erga rem publicam, et studium in bonum commune conservarunt, quibus a tenerâ inde infantiâ imbuti fuerant: et incredibile dictu est quantam efficacitatem in juvenum animos habere debuerint faci-

---

(23) *Gr. et dec. des Rom.* c. 1. (24) De *Morib. Germ.* c. 14. (25) De *Offic.* I. 42. (26) Plut. in *Numâ.* § 16. p. 1. p. 175.

(*c*) Ita proprie voce *virtus* intelligebant Romani fortitudinem, non vero rectum bonumque morale.

(*d*) Teste enim Plinio (*H. R.* XVIII. 2.) Arvorum sacerdotes instituit.

nora a parentibus perpetrata, et reverentia, quam tribui videbant patriæ, a qua omnia acceperant, cuique omnia debebant, quamque cultu fere divino colebant. Et hæc profecto magis, quam omnis cætera institutio, valuerunt ad Romanos ad tot tantaque perducendos. Durante illâ ætate, in cujus examine nunc versamur, et virtutis et bonorum morum tam splendida dederunt exempla Romani, qualia frustra in aliorum populorum historiâ quæras.

Concordia maxima, minima avaritia erat: jus bonumque apud Romanos non legibus magis, quam naturâ, valebat. Jurgia, discordias, simultates cum hostibus exercebant: cives cum civibus de virtute certabant. In suppliciis Deorum magnifici, domi parci, in amicis fideles erant. Duabus his artibus, audaciâ in bello, ubique pax evenerat, æquitate, seque remque publicam curabant (27). Et quod maxime omnium valuit ad reip. salutem et stabilitatem, domi militiæque boni mores colebantur. Hisce enim unice nitebantur antiquæ resp.: iisque corruptis nulla salutis spes superesse poterat, uti ipsius Romanæ reip. historia satis docet.

Primi Romæ incolæ, dispari genere, dissimili linguâ, aliis alio more viventibus, incredibile memoratu est, quam facile coaluerint, brevique ad potentiam et florem pervenerint. Ita ut jam cito invidia ex opulentiâ nata sit, eosque finitimi populi bello tentarint. At Romani libertatem, patriam, parentesque armis tegere haud destiterunt. Post, ubi pericula virtute propulerant, sociis atque amicis auxilia portabant: magisque dandis, quam accipiendis beneficiis, amicitias parabant (28).

Talis initio sub regibus ipsius reip. fuit conditio. Regiminis autem ratio, quamvis haberentur reges, non ideo tamen fuit monarchica. Reges enim a patriciis pendebant: et Romulus, *ut nova urbs formam aliquam reip. haberet*, centum in patres legit (29). Ut ita regimen sub regibus mixtum fuerit cum aristocratiâ. Tarquinius autem, quia se aristocraticæ regiminis formæ opponebat, et quia, ab alterâ parte populus majorem libertatem et auctoritatem cu-

---

(27) *B. C.* c. 9. (28) Id. Sallust. ll. c. 6. (29) Liv. I. 8.

piebat, e civitate ejectus est (30). Et civitas, incredibile memoratu est, adeptâ libertate, quantum brevi creverit. Tanta cupido gloriæ incesserat, ut huic omnia postponerent. Hac excitati maxima quæque peregerunt Romani. Et memorare possem, ut Sallustii (31) verbis utar, quibus in locis maximas hostium copias populus Romanus parvâ manu fuderit, quas urbes naturâ munitas pugnando ceperit, ni ea res longius ab incepto traheret. Et cæteras quidem egregias Romanorum virtutes persequi cum infinitum sit, hasce silentio potius prætereamus (32), ut ostendere possimus ipsius reip. præstantiam et virtutes civiles, quæ huic inerant.

Supra vidimus, quid proprie fuerit resp. antiqua, et æqualitatem atque conjunctionem, quam maxime in iis requisitas esse, observavimus. Utraque autem hæcce in republ. Romanâ cernuntur. Ex æqualitatis studio factum est, ut crearentur consules et tribuni plebis. Brutus avidum novæ libertatis populum, ne postmodum flecti precibus aut donis regiis posset, jurejurando adegit, neminem Romæ passuros regnare (33); fidemque datam maximâ religione servarunt Romani. Et quicquid tyrannidis speciem tantum haberet, angue et cane pejus fugiebant, et acrioribus suppliciis civem perniciosum, quam acerbissimum hostem coërcebant (34). Damnatum Manlium de Saxo Tarpeio dejecerunt tribuni, locusque idem in uno homine et eximiæ gloriæ monimentum, et pœnæ ultimæ fuit; » ut scirent homines, quæ et quanta decora fœda » cupiditas regni non ingrata solum, sed invisa etiam reddiderit", ut inquit Livius (35). Ex eodem æqualitatis studio repetenda est tribunorum plebis institutio. Nolebat enim plebs diutius patribus obtemperare, sed sui juris esse gestiebat. — In omnibus civitatibus antiquis habebantur populi conciones, *Comitia* (quæcum ipsius reip. naturâ arcte cohærebant) et *Curia* sive *Senatus*. — Convenire

---

(30) Cf. impr. Montesquieu ll. c. 1. p. 3, 4 et 5. (31) *B. C.* c. 7.

(32) De his rebus multi egerunt. Celebrandus videtur Rollin, *De la manière d'enseigner et d'étudier les belles lettres*, part. 3. t. 3. p. 521 seqq.

(33) Liv. II. 1. (34) Cic. *Catil.* I. 1. (35) Liv. VI. 20.

solebat populus ad graviora civitatis negotia agitanda. In concionibus ita vel leges ferebantur, vel magistratus creabantur, vel judicia publica habebantur. Penes comitia hæcce maximam auctoritatem in Romanâ Republicâ fuisse nemo nescit. Sed non minus auctoritate pollebat ipse senatus, quem considerarunt, » Reip. » custodem, præsidem, propugnatorem. Hujus ordinis auctoritate » uti magistratus, et quasi ministros gravissimi consilii esse vo» luerunt: Senatum autem ipsum proximorum ordinum splendore » confirmari, plebis libertatem et commoda tueri atque augere » voluerunt" (36). Senatus et reverentiâ et amore civium dignus erat; atque gravitate externâ sese commendabat, » quem qui ex » regibus constare dixit, unus veram speciem Romani senatus » cepit" (37). Utraque illa ita servabat æquilibrium in republ., et cavebat, ne omnis auctoritas vel ad populum, vel ad patricios transiret: nam in duo hæcce extrema tendebant fere antiquæ respubl., et, disrupto æquilibrio, inde pessima quæque oriebantur, et tandem Tyrannis, quæ civitati summa erat pestis. Licet vero in Romanâ civitate summo ardore contenderint cum divitibus pauperes, cum superioribus inferiores, et hi imprimis summâ constantiâ assequi conarentur, quæ cuperent, et ita rixæ maximo furore ab utraque parte fuerint agitatæ; ne ita tamen nobis fingamus factionibus distractam fuisse civitatem, ut cuivis hosti facilis victoria fuerit. Nam quam primum agebatur de reip. salute, omnes inimicitiæ componebantur, et universi ad communem patriam defendendam, vere fraternâ ratione, coalescebant (*e*). Immutatâque postea eâ in causâ civitatis ratione, cumque publicæ saluti præponeretur singulorum auctoritas, et cives civium sanguinem profundere haud puderet, pessumdata est respublica, et in paucorum dominationem transiit.

Ducebantur Romani maximo antiquitatis studio, et constantes erant in servandis moribus legibusque antiquis. Antiqui legisla-

---

(36) Cic. *pro Sext.* c. 65. (37) Liv. IX. 17. cf. Florus I. 18.

(*e*) Adeoque etiam *virtutem* Plebi tribuit Cicero in *Fragm* p. 1047. Ed. Ernest. Deque reverentiâ erga magistratus vid. *Dion. Halic.* VIII. 35, et passim.

tores id imprimis agebant, ne nova in civitate molirentur cives, et despicerent, quæ antiquitate sanctitatem quandam nacta essent. Rerum novarum studiosos gravissimis pœnis affici volebant. Ita etiam jurejurando solemniter Lycurgo se obstrinxerant Spartani ad nihil in legibus innovandum: quo juramento cum eos non solverit, perpetuo obstricti manserunt. Solon instituit Areopagitas, qui leges Atheniensium et majorum instituta servarent (38). Et multa alia similia exempla ex antiquis scriptoribus afferri possent. In memoriam tantum revocemus, legum et antiquorum morum neglectui Atheniensium civitatis lapsum tribuere Platonem (39); et satis notus est Ennianus ille versiculus:

» *Moribus antiquis stat res Romana viresque.*"

» Quem quidem versum, vel brevitate, vel veritate, tamquam » ex oraculo mihi quodam esse effatus videtur (Ennius). Nam » neque viri, nisi ita morata civitas fuisset, neque mores, nisi » hi viri præfuissent, aut fundare, aut tamdiu tenere potuissent » tantam et tam longe lateque imperantem remp. *Itaque ante* » *nostram memoriam* (Ciceronis sc.) et mos *ipse patrius praestan-* » *tes viros adhibebat, et veterum morum, ac majorum instituta re-* » *tinebant excellentes viri*" (40). Scipionem Africanum novi cujusdam in ludorum spectaculis instituti auctorem, hujus rei pœnituisse ferunt, » adeo nihil motum ex antiquo, inquit Livius, » probabile est. Veteribus, nisi quæ usus evidenter arguit, stari » malunt" (41). Majorum igitur instituta domi militiæque et pulcherrima et optima Romani celebrabant: » vetera extollebant re- » centium incuriosi" (42). Retinuerunt Romani, omni ævo, complures reliquias vitæ erraticæ, quam egerant proavi (43), quin turpia et honesta omnia ex majorum institutis judicabant (44). Censores, ut apud Græcos νομοφύλακες, antiquorum morum curam gerere debebant (45), et cavebant de iis, quibus novarum

(38) *De Offic.* I. 22. (39) *Epist.* VII. 325. D. cf. Isocratis *Areop.* p. 134 et alii. (40) Cic. *De Rep.* V. in *Fragm.* p. 1082 seqq. Ed. Ernest. (41) Liv. XXXIV. 54. (42) Tacit. *Annal.* II. 88. (43) Florus I. 22 et Horat. *Epist.* II. 5. v. 195. seqq. (44) C. Nep. *Praef.* (45) Cic. *De Legg.* III. 20.

rerum studium in civium animis posset excitari, et morum constantia perire (46). In republicâ etiam administrandâ antiquam rationem et formam semper probarunt: hanc optimam existimabant, nullique alii præferebant: ita tamen, ut bona, non mala, ex antiquitate usurparent: » Imitandi sunt majores, inquit Cicero, sed » primum illud exceptum sit, ne vitia sint imitanda (47). Studium istud conservandi antiquam regiminis formam per totam historiam Romanam observatur (48); quæque in rep. deinceps exstiterunt immutationes, ita factæ sunt, ut, quantum posset, ratio antiqua conservaretur: ipsisque regibus expulsis, multo minus immutata fuit externa reip. ratio, quam exspectari possit (49): quin et post eversam antiquam illam formam, Augustus antiqua commutare vix ausus est, metuens, ne res sibi male cederet, si cives ad novam subito reip. formam accipiendam cogeret (50).

Antiquitatis reverentia illa et morum tenacitas quantam vim in puerorum institutionem habuerint, incredibile dictu est. Quare a rerum novarum studio imprimis abducendi sunt juvenes, teste Platone, qui laudabat Minois legem, quæ jubebat, ut juvenum nemo inquireret, quænam leges recte vel male se haberent: et solos senes de legibus suum judicium ferre posse existimabat idem philosophus, modo ne juvenes adessent, qui exaudire possent (51).

Et hæc quidem de Romanæ Reip. præstantiâ sufficiant (*f*). De eâdem illâ infra sæpius agendi erit locus. Antequam tamen ad sequentem §.um transeamus, breviter videamus, primo loco de ratione fœminarum in Rep. Romanâ, illa ætate, de qua nunc agimus, tum vero de literarum conditione eodem temporis spatio.

Historiæ rite operam dedisse haud dici possumus, si fœminarum apud varias gentes conditionem neglexerimus. Vulgo tamen æstimatur, unice viros dignos esse, in quorum res inquiramus, quippe qui, ut videtur, soli erant, qui agerent, et in populorum

(46) Montesquieu, *Gr. et Dec.* c. 8. p. 75. ed. L. (47) *De Offi.* I. 33.
(48) Vid. impr. Dion. Halic. II. 4. (49) Cf. Cic. *De Legg.* III. 7.
(50) Dio. Cass. LII. 493. D. (51) *Legg.* I. 634. DE.

(*f*) Descriptio reip. brevis est apud Ciceronem *A. Q.* IV. init.

fata vim exercerent. Fœminas contra ad nihil aliud valuisse credere solent homines, quam ad liberos procreandos et negotia domestica curanda. Hujus opinionis perversitatem historia, et antiqua et recentior, satis probat. Fœminæ enim in gentem permagnam vim exercere solent, et pauca memorabilia exstiterunt, in quibus fœminæ non aliquâ ratione suas egerint partes (*g*). Cum vero fœminarum conditio fere arctissime conjuncta sit cum liberorum conditione; quædam ad illas, apud Romanos, pertinentia proponenda mihi duxi.

Cumque universe ætas, quæ proxime Bellum Punicum II antecessit, longe cæteris præstiterit ratione vitæ domesticæ; ita fœminæ etiam conspicuæ fuere morum simplicitate, sed imprimis pietate erga maritos et liberos summas laudes meruerunt. Accessit post Bellum Punicum I ingenii cultus. — Licet vero hocce tempore mores optimi etiam nunc remanserint, semina futuræ corruptelæ sparsa sunt. Sed succincte exponamus, qualis fuerit fœminarum conditio diversis temporibus hujus ætatis.

Recte observarunt Robertsonus (52) aliique scriptores, elegantiorem sexum negligere et contemnere, unum ex certis barbariei gentium indiciis esse. Inde ex gradu æstimationis, quo apud gentem fœminæ habeantur, hujus cultûs atque humanitatis gradum statuere licet. Fœminæ autem conditio apud Gentem Nomadicam, qualis initio fuit Romana, non profecto felix est. Vir in suâ stirpe neminem sibi similem agnoscit, et, ut qui suo jure fruitur, durum in uxorem exercet imperium, eamque pecudis vel servæ instar tractare solet. Simulac vero ad aliud vitæ genus adscendit, et agriculturæ operam dat, adeoque cum aliis hominibus, æqualibus suis, versatur, tum maritus uxorem sibi dulcem vitæ sociam animo fingens, eam majori pretio habere solet, in eâque animi dotes expetit (53). — Idem apud Romanos obtinuit: et post

---

(52) *Histoire de l'Amérique*, t. 1. p. 136. (53) Cf. Millar *Distinct of Ranks in soc.* c. 1. et passim.

(*g*) Quod tamen de antiquis magis, quam de recentioribus, populis verum est: cf. Montesquieu, *Espr. des loix*, l. 7. c. 9. et Meiners, *Gesch. des weibl. Geschl.* t. 2. c. 4. p. 204 seqq. et c. 6. p. 365 seqq.

constitutam jam remp., cum vitæ Nomadicæ vestigia in permultis causis, apud eosdem, apparerent; ita imprimis hâc in causâ conspicua sunt. In quibusvis enim negotiis summâ dominandi libidine ducti fuerunt, quam imprimis in legibus in uxores et liberos deprehendimus. Dura ita fuit initio uxorum conditio: neque Romani barbarorum agendi rationem omnino facile deposuerunt, sed diutissime Nomadico more eas tractarunt. Uxor nempe vel *confarreatione* vel *coëmtione* in mariti manum convenerat, vel *usucapta* erat. Quemadmodum Nomadicarum stirpium capita jus vitæ et necis in uxores suas exercent (54), ita etiam Romanis maritis in eas summum jus fuit: licet hoc a Romulo jam coarctatum videatur (55). Universe leges grave et iniquum onus sexui sequiori imponebant, et parum abfuit, quin uxores maritorum ancillæ evaderent. Cumque in bellis fere semper versaretur civitas, quâ de causâ absentes erant viri, fœminæ majorem rerum domesticarum partem ferebant, quam proprie ferre debuissent. — Sed cum, Numâ imprimis auctore, Romani magis ad domesticas occupationes assuefacti essent, fœminarum etiam conditio melior evasit, licet mariti maximam semper auctoritatem in uxores conservarunt, et *lege durá* vixerunt mulieres (56). Sed videamus qualis fuerit fœminarum conditio, postquam magis sese pacis artibus dederant Romani. Audiamus Plutarchum. Numa, inquit, eosdem honores easdemque dignitates fœminis conservavit, quos habebant tempore Romuli, sed iis dedit pudorem et verecundiam, iisque ademit vanam sciendi cupiditatem, (*πολυπραγμοσύνην curiositatem ardelionis* dicunt), illas docuit sobrias esse, easque silentio assuefecit, et vetuit loqui de rebus, ne maxime necessariis quidem, nisi adesset maritus (57). Romanæ autem uxores non Atheniensium more a viris segregatæ vivebant, sed versabantur cum cæteris in atrio, ubi maritos audiebant cum aliis disputantes de quibusvis rebus: et licet sese hisce disputationibus non immis-

---

(54) J. Caesar *B. G.* VI. 19 (55) Vid. Dion. Halic. II. 25. Liv. I. 8. Plin. *H. N.* XIV. 13. et Tacit. *De Morib. Germ.* c. 19. (56) Plaut. *Mercat.* IV. 6. Ibiq. Syræ verba. (57) Comp. *Lycurg. et Num.* § 3. p. 1. p. 191.

cerent, mirum tamen in modum hæ ipsæ valuerunt ad earum ingenium acuendum, easque aptas reddendas ad liberos sapienter educandos, et ut maritis in rebus difficilioribus consilio suo adesse possent. Atque sponte ita factum est, ut summam auctoritatem in hosce habuerint uxores, et haud parum contulerint ad Romanorum mores emendandos, eosque ad placidiorem rationem adducendos. Et quis dubitat, egregias uxores et matresfamilias fuisse illas foeminas, quæ » per juvenilem ætatem, matrum edoctæ exemplis, » anili prudentiâ, matronali gravitate, et tamen suavitate puellari » cum virginali verecundiâ" (58) sese commendabant? Flagrantissimo insuper patriæ amore, morum simplicitate, erga maritos incontaminatâ fide et infinitis aliis virtutibus eminebant (59). Apud Romanos eâ ætate, de qua nunc agimus, deprehendimus, non virtutes late fulgentes, sed tranquillam hancce reperimus boni animi indolem et venerandam istam rei domesticæ peritiam, quæ civitatum firmissima fulcra haud immerito dicuntur. Audiamus Horatium, vitam rusticam celebrantem:

» . . . .
» *Quod si pudica mulier in partem juvet*
» *Domum, atque dulces liberos,*
» *(Sabina qualis, aut perusta solibus*
» *Pernicis uxor Appuli)*
» *Sacrum vetustis exstruat lignis focum,*
» *Lassi sub adventum viri;*
» *Claudensque textis cratibus laetum pecus,*
» *Distenta siccet ubera;*
» *Et horna dulci vina promens dolio,*
» *Dapes inemptas apparet;*
» *Non me Lucrina juverint conchylia,*
» *Magisve rhombus, aut scari, etc. etc.*" (60)

Romani sensim sensimque in re lautiori versari incipiebant.

---

(58) Plin. *Epist.* V. 16. (59) Ct. impr. Nitsch *Beschreibung des häusl. burgerl. zustandes der Römer.* l. III. sect. 2. § 12 seqq. ct. Columella *de R. R.* c. 12. int. (60) *Epod.* II. v. 40 seqq.

Sub Anco Marcio et Tarquinio Prisco jam habebant servos, non luxui tamen, sed dominorum commodis servientes, qui unà cum iis agros colebant. Uxor autem ipsa vestes nebat, lanam ancillis appendebat, panem pinsebat, et universæ rei familiaris curam gerebat. Optime rationem vitæ domesticæ apud Romanos cognoscimus ex elegantissimo Columellæ loco (61): » Apud Romanos, » inquit, usque in patrum nostrorum memoriam fere domesticus » labor matronalis fuit, tamquam ad requiem forensium exerci- » tationum, omni curâ depositâ, patribus-familias intra domesti- » cos penates se recipientibus. Erat enim summa reverentia, » cum concordiâ et diligentia mixta, flagrabatque mulier pul- » cherrima diligentiæ æmulatione, studens negotia viri, curâ » suâ, majora atque meliora reddere. Nihil conspiciebatur in » domo dividuum, nihil quod aut maritus, aut fœmina proprium » esse juris sui diceret: sed in commune conspirabatur ab utro- » que, ut cum forensibus negotiis matronalis sedulitas industriæ » rationem parem faceret." — Neque egregia hæcce fœminarum conditio mutata est, sed eadem remansit per totam hancce ætatem. Quamvis Romani victoriis, quas de vicinis gentibus reportabant, sensim paullatimque in re lautiori versari inciperent, et melioribus vestibus atque splendidiori supellectile usi, atque mulieres etiam majori delectarentur cultu, et vehiculis vehi inciperent, ita ut A. U. C. 534 lex Metella *De Fullonibus* lata sit (62), et 5 annos post lex Oppia, quæ argenti modum in corporis cultu definiebat, et vehiculorum usum, nisi extra urbem, interdicebat (63): et quamvis Plautus popularium suorum, imprimis fœminarum, mores jam rideat (64), ne vel sic tamen Romanorum mores corrupti dici possunt, sed medium tenebant inter pristinam barbariem et subsecutam corruptelam. Cumque matronæ tempore irruptionis Gallorum, aurum suum contulerant, ut sacro auro abstineretur, iis gratiæ sunt actæ, honosque additus est, ut

(61) De *Re Rust.* c. 12. (62) Plin. *H. Nat.* XXXV. 17. (63) Liv. XXVI. 36. Id. XXXIV. 1. Tacit. *Annal.* III. 33. (64) *Aul.* III. 5. *Epod.* II. 2. et. Terent. *Eunuch.* II. 3.

earum, sicut virorum, post mortem solemnis laudatio esset (65): similemque ob causam antea jam iis concessum fuerat in festis carpento vehi (66).

Et quis dubitare posset, cum egregie adeo sese haberet vita domestica, probe institutos fuisse pueros, et maximam vim habuisse in eorum animos et exempla et præcepta matrum, quæ quibusvis virtutibus sese commendabant, sibique amorem atque reverentiam maritorum conciliabant? Ex præstantiâ institutionis hujus domesticæ magna parte causa deducenda est, quod tot tantaque peregerint Romani, quæ in admirationem nos rapere solent.

Literarum autem conditionem hacce ætate breviter exponere haud parvi momenti existimo, tum quia gentem cognoscere non possumus, nec ejus historiam rite tradere sine historiâ literarum, tum quia literæ hæ infinitam vim in Romanorum mores, et peculiariter in educationem exercuerunt. Hoc enim potissimum nomine a se distincti erant, qui apud antiquos literis operam darent ab hodiernis nostris eruditis, quod illi multo magis publicam vitam egerint, et ad *civium* utilitatem vel oblectamentum retulerint quæcumque seu in philosophiâ, sive in literis excolendis profecerint; hi contra, privati et a rebus publicis semoti, magis *humanitatis* utilitati prospicere studeant. Unde factum est, ut apud antiquos omnes legislatores, et quicumque ad summa in rep. munera adspirarent, literis et humanioribus disciplinis eruditi sint: idque de Romanis politicis inprimis verum esse postea apparebit.

Romani interim cum initio admodum barbari essent, neque ulli magnopere rei, nisi bello atque agriculturæ dediti, de aliis rebus ne cogitarunt quidem. Recens condita civitas, continua bella et impedita libertas fecerunt, ut artibus et doctrinis nullam operam dederint. Post autem quam reges ejecti essent, et majorem libertatem nacti essent, sensim sensimque literarum studia in iis exstiterunt, imprimis aucto cum aliis gentibus cultioribus commercio. Quâ in causâ mirifice iis profuit bellum Tarentinum.

(65) Liv. V. 50. Flor. I. 19. (66) Livius V. 25.

Hujus enim civitatis incolæ, origine Græci, Græcorum humanitate, Græcisque Literis enutriti, pro jure belli in servitutem detrusi, Romam venerunt, et brevi hujus urbis incolas excoluerunt, et ad Græcam elegantiam, Græcumque cultum adduxerunt. Sed de singulis Literarum generibus breviter videamus.

Eloquentia (quæ quidem hic primo loco in censum venire debet) teste Cicerone (67), » nec in constituentibus remp., nec in » bella gerentibus, nec in impeditis ac regum dominatione de» vinctis. . . . . . . nasci solet." Solebant tamen haberi mortuorum laudationes (68), quarum Ciceronis tempore multæ supererant: qui quidem mortuorum laudandorum mos confirmatus est legibus XII tabularum (69), et postea perpetuo in consuetudine remansit (70). Cujus rei exempla etiam diu post apud scriptores occurrunt. (71) Sed laudationes illas parvi fuisse momenti, quin multum contulisse ad corrumpendam historiæ veritatem, testatur Cicero (72). Veram autem eloquentiam hac ætate Romæ non adfuisse, expresse docet Cicero (73). Per aliquot certe sæcula defuit ei illa eloquentia, quam apud Tullium (74) laudat Crassus.

Nec mirum. Nam præterquam quod nullo honore, et sine præmiis, jaceret eloquentia, poësis, quæ cum eloquentiâ arctissimo vinculo conjuncta esse solet (*h*), nullo loco habebatur, cum contra poëtæ munus dedecori esset (75). Poësis, per hoc temporis spatium, unice fere Saliorum carminibus constabat, quæ adeo erant rudia et horrida, ut Horatii ætate, a nemine, ne a sacerdotibus quidem intelligerentur (76), quamvis, teste Varrone (77), omnium verborum poëticorum fuerint fons. Cæterum agricolæ, diebus festis quodam carminum genere utebantur, quod *Fescen-*

---

(67) *Brut.* c. 12. (68) Ibid. c. 16. (69) *De Legg.* II. 24. (70) Vid. Cellarius, *Compend. Antiq. Rom.* l. 10. sect. 1. § 3. (71) Vid. Suet. in *J. Caes.* c. 6. in *Aug.* c. 8. in *Tib.* c. 6. in *Calig.* c. 10 et c. 15. et in *Neron.* c. 9. (72) *Brut.* c. 16. cf. *De Orat.* II. 84. (73) *De Orat.* I. 2 et 9. et *Brut.* c. 14 et c. 15. (74) *De Orat.* I. 8. (75) Cic. *T. Q.* I. 2. (76) *Epist.* II. 1. v. 86. et Quinctil. *J. O.* I. 6. (77) *De L. L.* VI. 1.

(*h*) Merito G. J. Vossius, Eloquentiam atque poësin *duas esse germanas sorores* dixit *De art. poët. nat. atq. constit.* c. 1.

ninum dicebatur (78), atque ludi scenici, quos Romani ab Etruscis sumserunt, hocce jam tempore peragebantur (79).

De historiæ apud Romanos origine consulendus est Cicero (80). Erat autem historia nihil aliud, nisi annalium confectio, cujus rei, memoriæque publicæ retinendæ causa, ab initio rerum Romanorum res omnes singulorum annorum mandabat litteris Pontifex Maximus, efferebatque in album. Et talis quidem historiæ conditio remansisse videtur usque ad tempora, quæ Bellum Punicum II. subsecuta sunt.

Ad juris vero cognitionem quod attinet, jus aliquod jam sub regibus fuisse videtur. Sub Numâ Pompilio imprimis legibus sapientissimis auctum atque confirmatum. Et ita quidem U. C. 305 constitutæ sunt leges XII tabularum, quæ teste Livio (81) » fons » omnis publici et privati juris fuerunt." Eâque ætate, de qua nunc agimus, Appius Claudius et Appius Claudius Cæcus, P. Sempronius (*Sophus* cognominatus), Jcti floruisse videntur (82). Cæterum juris apud Romanos principia, ejusdemque progressum usque ad Augusti ætatem egregie exposuit Tacitus (83).

Philosophiæ autem initia a Pythagorâ petenda videntur, ejusque disciplinæ vestigia nonnullis in causis cerni, probare conatur Cicero (84). Sed si revera tum philosophiæ studium affuit, nec late patebat, neque sapientis sive philosophi cujusdam nomen ad nostram notitiam venit.

---

(78) Horat. *Epist.* II. 1. v. 139 - 150. (79) Liv. VII. init. cf. Horat. *Art. Poët.* v. 213 et v. 208 seqq. (80) *De Orat.* II. 12. *De Legg.* I. 2. (81) III. 34. et impr. Cicero *De Orat.* I. 43 et 44. (82) L. 2. § 36 et § 37 D. *de O. J.* (83) *Annal.* III. 26 - 28. (84) Ea de re egregie disputat Cicero *T. Q.* 1 - 3.

§ II.

QUÆNAM FUERIT EDUCANDI PUEROS, EOSQUE INSTITUENDI RATIO.

Antequam ad rem veniamus, duæ difficultates summovendæ sunt: quarum prima quidem sita est in ipsâ quæstione, qualis a nobilissimâ facultate solvenda prodiit, altera in terminorum constitutione, quam nobis ipsi posuimus. — Sc. cum exponendum nobis erit puerorum institutio apud Romanos, difficilius videtur accurate definire hancce ætatem, eamque justis limitibus distinguere a sequenti ætate. Non enim constat, ubi desierit *pueritia*, ubique inceperint *adolescentia* et *juventus*. Teste enim Varrone, liberi sexûs virilis, inde ab ætatis anno 17 ad 30 (1), vel ex seriori Tullii ætatum divisione a 17 ad 46 dicebantur *adolescentes* (2), et teste Macrobio, » secundum jura publica, quartus-decimus » (annus) in *puero* definiebatur pubertatis ætas" (3). Cumque discrimen hocce haud levis sit momenti, sed inde in proponendâ institutionis ratione multa deducenda sint, ita eo modo intelligendam esse censuimus quæstionem, ac si quæreretur expositio educationis liberorum sexûs virilis, eo temporis spatio, quod proxime antecedit ætatem virilem. Et ita quidem eo educationis expositionem persecuti sumus, quo homines hancce *ad finem perductam* vulgo prædicare solent, et quo apti erant Romani ad munera et officia publica exsequenda.

Altera difficultas in eo sita est, quod cum per majus quam 500 annorum, spatium, per quod ætas hæcce fere duravit, educatio non eadem remanserit, sed multas commutationes subierit (ita ut longe distaret institutio, quam acceperint pueri initio ætatis

(1) Vid. notæ vir. doct. ad C. Nepotem. in vitâ *Catonis* c. 1. (2) Gellius *N. A.* X. 28. (3) *Saturn.* VII. 7.

hujus, ab illâ quam acceperint in ejusdem ætatis fine). Quare hasce commutationes levioris momenti, neque tamen prorsus negligendas, referre proprie debuissemus, et hicce quidem locus in plura capita dividendus fuisset. Quod vero cum parum conveniens sit dissertationis nostræ brevitati, illud omisimus, et præstare duximus, si in exponendis variis capitibus, ad educationem pertinentibus, indicaremus, quibusnam in causis sequentia a præcedentibus discrepaverint.

Argumentum itaque nostrum tractare aggredientes, primo quædam observanda videntur de jure *domestico* et præcipue de *patriâ potestate* apud Romanos. — Vidimus supra apud Romanos plurima repetenda esse ex vita Nomadica, quam egerant, antequam in civitatem coïerant. Hinc etiam jus domesticum ortum videtur. Inter Gentes Nomadicas stirpis caput in eo loco, quo cum familiâ et suo pecore oberrat, neminem sibi superiorem agnoscit, sed omnia jura ad suam familiam spectantia pro arbitrio exsequitur: leges dat, injurias illatas vindicat, in crimina a singulis perpetrata, tamquam judex privatus, pœnas statuit et exercet. Omnia illa jura pater Romanus, postquam e vita Nomadica in civilem societatem transierat, habuisse apparet: ejusque posteri diutissime illa retinuerunt. Domi enim suæ familiæ princeps cuique pro arbitrio imperabat, inque uxorem, liberos, nepotes atque servos indefinitum exercebat imperium. Inde patrem-familias Ulpianus dixit, *qui in domo dominium habet* (4). Inde in subjectos domi ob crimina summum sæpe exercitum est supplicium: hinc *tribunal domesticum* constitutum est (5); illamque potestatem vocabant *majestatem patriam* (6): ipsique patres *judices* (7) *atque magistratus domestici* (8) dicti sunt (*a*).

---

(4) L. 195. ff. § 2. *De verb. sign.* (5) Montesquieu, *Espr. des Loix*, l. 7. c. 10. (6) Liv. XXXIV. 2. ct. Just. X. 2. (7) Seneca *Controv.* 11. (8) Id. *De Benef.* c. 11.

(*a*) Juris domestici effectus persequitur Cicero » *Orat. pro domo* c. 41. Quid » est sanctius, etc." cf. Gaius l. 18. ff. *de in jus voc.* et § 8. Instit. *de injur.* cf. Paulus l. 23. ff. *de injur.* l. 21. ff. *de in jus voc.* l. 103. ff. *de R. J.*

Ex eodem erratico vitæ genere explicanda est ingens illa potestas, quam in liberos habuit pater apud Romanos. Familiæ enim princeps minus dulcissimo mutui amoris vinculo tenetur, sed magis in suos dominandi libidine ducitur. Quæ quidem in Romanis tam vehemens fuit, ut Romulus domesticam stirpium libertatem nullo modo minuere ausus sit: eoque non nisi sensim sensimque pervenerint subsequentes legislatores. *Jus* autem illud *patriae potestatis*, quod patri tantum competebat, apud Romanos plane singulare fuit, et ab omnibus aliis gentibus diversum. Operæ pretium erit, paucis illud explicare (9). Hæc potestas tribus modis acquirebatur, *justis* nempe *nuptiis*, *legitimatione* et *adoptione*: ex quibus tamen legitimatio sub imperatoribus demum obtinuisse videtur (10). Pater vero initio nullis, nisi quas sibi ipse præscripserat, legibus obstrictus, liberos suo jure tamquam servos aliasve res tractare poterat: et quibus vitam dederat, hos sibi omnia debere existimabat, cum e contrario liberis nullum jus in patrem competeret. Infantem enim aut tollere, aut, si vellet, exponere poterat (*b*). Deque illâ illimitatâ Romani patris potestate uberius disserit Dionysius Halicarnassensis (11), eamque legibus XII tabularum non sublatam esse expresse docet Cicero (12), sed potius confirmatam: uti non desunt exempla, quæ probant hanc legem adhuc viguisse posterioribus temporibus (13). Effectus autem patriæ potestatis apud Romanos maximi fuere, nam pater, 1° loco in filium habebat *jus vitae et necis*, 2° ex lege Romuli habebat *jus* filium *ter vendendi* (in quo major patris potestas fuit in filium, quam domini in servum: servus enim semel venditus, et a domino manumissus, sui juris erat) hæc tamen vendendi licentia aliquatenus restricta fuit lege Numæ (14), 3° quidquid li-

---

(9) De illo jure vid. D. Halic. II. 26. (10) Cf. Nitsch ll. l. 2. sect. 2. § 79. (11) II. 27. (12) *Pro domo* c. 29. cf. A. Gellius V. 19 et alii. (13) Cic. *De fin.* l. 7. V. Max. V. 8. 5. Livii epit. LIV. Sallust. *B. C.* c. c. 39. V. Max. V. 8. 2. Dio Cass. XXXVII. p. 46. (14) D. Halic. II. 27.

(*b*) Quamdiu viguerit inter Romanos hic barbarus mos locuples testis est Seneca (*Controv.* V. 33); debiles et monstrosos liberos, si editi essent, mergebant (Id. *de irâ* I. 15 cum iis. cf. Liv. XXVII. 37.

beri acquirebant, id patri acquirebatur. Postea tamen introducta sunt *peculia*, quæ eâ in re modum quasi posuerunt, 4° pater poterat filium exhæredare, nullâ causâ adjectâ: quod similiter etiam coarctatum est (15). Præterea initio filius invitus cogebatur esse patris hæres, de quo postea aliter constitutum est (16). Pater præterea habebat jus filium *exponendi;* licet neque ex legibus Romuli, neque ex legibus XII tabularum, necare aut exponere infantes recens natos, nisi sub certis legibus licuerit. Præterea poterat pater filium abjicere; ad parietem illidere, relegare ad opus rusticum, quæ omnia tamen postea sunt mutata et partim abrogata (17). Cæterum competebat hoc jus non tantum in liberos primi gradûs, verum etiam in nepotes et pronepotes.

Hanc autem patriam potestatem, quæ tanta fuit, maximas in liberis educandis partes egisse facile apparet. Aliter enim fieri non potuit, quin Romani maximâ severitate filios educaverint, et a tenerâ inde infantiâ eorum mentibus imprimere studuerint magnam erga se, tamquam *dominum*, reverentiam. Filii contra omni ratione studuerunt patri placere, et jussis atque voluntati illius, quem monarchæ instar venerabantur, quam maximâ diligentiâ parere (*c*). Observamus tamen, ut in omni ratione vestigia vitæ Nomadicæ sensim sensimque apud Romanos rariora facta sint, ita imprimis hâc in causâ. Patris enim potestas per temporis decursum multum imminuta est, et in locum studii familiæ sensim sensimque successerunt erga patriam amor et reverentia: quæque antea unice patri deferebantur honores, postea patriæ tributæ sunt, cujus quidem rei plurima nobis exempla occurrent. Quamvis tamen auctoritas paterna sub finem ætatis, de quâ nunc agimus, multum sit imminuta, hunc tamen salutarem effectum ser-

---

(15) Nov. 115. c. 3. (16) L. 57. ff. *de aeq. Haer.* (17) Ct. Nittds ll. L. 2. sect. 2. et Nieupoort *de Ritib. Rom.* sect. 6. c. 5. § 4. p. 468 seqq. ed. Nagelii et alii.

(*c*) Romulus nullam pœnam in parricidam constituit, cum existimaret, neminem hujusmodi quid committere posse; 600 demum post U. C. annos hujus rei exemplum occurrit. Plut. in *Romulo*, § 22. t. 1. p. 78. ed. meæ.

vavit, ut a debitâ erga vitæ auctorem reverentiâ nunquam destiterint Romani, sed patris consilio et experientiæ plurimum semper tribuerint filii. — Et hæc quidem de patribus satis dicta sunto, nunc videamus de ipsis filiis.

Liberi Romanorum aut *legitimi* erant, i. e. e justis nuptiis nati, aut *naturales* (*d*), e concubinæ vel honestæ virginis stupro quæsiti, aut *spurii*, e pellicibus vel meretricibus procreati, aut *adulterini*, aut denique *incestuosi*, qui ex adulterio vel incestu concepti erant. Existimarem tamen, hâcce nostrâ ætate posteriores species liberorum ignotas fuisse, et non nisi legitimos fere liberos procreasse parentes. — Ex naturalibus, præter incestuosos nulli infames habebantur, sed levis notæ macula omnibus inhærebat, qui extra justa matrimonia nati erant. Naturales etiam, quorum optima post legitimos conditio erat, neque nomen patris gerebant, nec erant in patriâ potestate, nec jure gaudebant agnationis, sed nomen matris, subinde etiam addito cognomine patris, adsciscere solebant.

Ut autem ad legitimos redeamus, infantes (*e*), postquam nati erant, ad pedes patris ponebantur. Postea Deam *Opem* invocabant, quæ nascentibus opem ferret. Pater autem aut exponere filium poterat, quin deformem puerum e lege XII tab. statim necare ei fas erat, (quod tamen postea mitigatum esse supra vidimus) aut alere: quos autem educare statuerat, hos humo tollebat (18). Infans autem non legitimus habebatur, nisi pater præsens, vel, eo absente, procurator pro eo sobolem tolleret, humi impositum agnosceret, denique in spem familiæ hæredem constitueret (19). Cæterum nisi terram tetigisset infans, vocem edere illum non posse, veteres sibi persuadebant. Tollendis vero infantibus Deam

(18) Ut commentatores passim docent ad hæc Terentii verba: »Quicquid peperisset, decreverunt tollere." *Andr.* I. 3. (19) Quæ omnia pulchre complectitur Juvenalis *Satyr.* IX. 84 seqq.

(*d*) Quales in inscriptionibus significantur litteris S. P. F. *sine patre filius*, vid. Gruter. *Inscr.* p. 4. 434. 4. Rein. *Inscript. Class.* IX. 4.

(*e*) *Infantes* vocabantur, qui nondum poterant *fari*, interprete Isidoro *Orig.* XI. 2.

præposuere *Levanam*, a *levando* dictam: quemadmodum cunis *Cuninam*: potui *Potinantem*, educationi *Educantem*, voluptati *Volupiam*, gloriæ stimulis *Stimulam*, numerandi arti *Numeriam*, cantui *Camaenam*, sensibus *Sentiam*, consilio *Consum*, et quæ alia persequitur Augustinus (20). Mos denique antiquis Romanis fuit puerum a cunis et a lacte removendum initiare Deæ *Cubae* (21), ut postea cum fari inciperet *Fabulino*, cum stare *Statulino*. In Festo vero, quod quotannis natali die celebrabatur, cædebatur vitula ditioribus, agna vero pauperioribus (22). Si pater filium sustulerat, nono die lustratio locum habebat (quæ apud filiam octavo die obtinebat), tum scilicet puerulum, solemni ritu, e cunabulis tollebant, et purgabant, atque liberabant omni magia; post eum circumferebant in Deorum templa et domus principum in civitate virorum, eique tandem nomen imponebant. Illo denique die, qui *dies lustricus* vel *dies nominum* dicebatur (23), convivia celebrabantur (24) et munera *lustrato* mitti solebant (25). Unusquisque civis natos liberos ad præfectos ærarii Saturni, ubi acta publica servabantur, profiteri debebat intra tricesimum post lustrationem diem (26).

Matribus olim apud Romanos, priusquam earum corpora mollitie et luxuriâ debilitata erant, liberorum nutriendorum cura demandata erat. Ita enim auctor Dialogi de Oratoribus: » Jam pri-» mum inquit, suus cuique filius ex castâ parente natus, non » in ullâ emptæ nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur, » cujus præcipua laus erat, tueri domum et inservire liberis" (27) Temporis tamen processu adhibendarum nutricum mos invaluit, ut solarum paupercularum fuerit parere simul ac nutrire infantes. Cum vero nutricum (quæ apud Romanos vulgo servæ, sive emptæ,

---

(20) *De Civ. Dei.* IV. 8. (21) Ut Donatus ex Varrone observat ad Terentium *Phar.* I. 1. (22) Virg. *Ecl.* III. v. 58. seqq. Ibique Lacerda et Tibull. I. el. 1. v. 23 seqq. Ibique Broekhusius. — Sequi cæteris ad festum illud pertinentibus vid. Ovid. *Trist.* IV. 10. Persius *Sat.* 2. aut Plaut. *Pseudol.* II. impr. vero Tibull. II. el. 2. (23) Fest. in voc. Macrob. *Saturn.* I. 16. (24) Pers. *Sat. II.* 31. Suet. *Balig.* c. 25. *Neron.* c. 6. et alibi. (25) Terent. *Phorm.* I. 1. v. 13 seqq. (26) Capit. in *M. Anton.* c. 9. (27) C. 28.

sive mercenariæ fuerunt) mores haud parum ad salutem corporis atque animi facerent (*f*), talem sibi mulierem non temere, sed circumspecte delegerunt veteres Romani (28). — Cunabula apud Romanos etiam a nutricibus usurpata fuisse apparet ex Plauti (*g*) loco, ubi unâ varia educationis instrumenta enumerat :

» *Puero* (inquit) *opu' est cibum, opus est matri autem, quae puerum lavit:*
» *Opus nutrici autem, utrem ut habeat veteris vini largiter,*
» *Ut dies noctesque potet: opu' est igne: opus est carbonibus:*
» *Fasciis opu' est, pulvinis, cunis, incunabulis:*
» *Oleum opus est, farina puero opu' est totum diem.*" (29)

In cunis depositi infantes, ab nutricibus sæpe placandi erant inconditis quibusdam *cantatiunculis* vel *crepitaculis*, uti apparet ex Lucretio (30), quæ vulgo *naeniae* vocari solebant (31) et nutrices *lallare* dicebantur (32). Et huic quidem rei originem suam Deus *Lallus* debuisse videtur. Cæterum cum antiqui Romani non nisi bis quotidie cibum sumerent, hinc excipiebantur pueri, qui sæpius alimenta recipiebant (33). *Sedebant* autem pueri puellæque in conviviis ad lectorum pedes: quod Claudii saltem ætate obtinebat (34). — Cæterum pueri utebantur togâ *praetextâ*, ad annum ætatis fere decimum sextum, ut vulgo existimatur (35). Hinc *praetextata verba* dicuntur obscoena, quæ coram tenerâ illâ ætate proferre nefas (36); et *praetextati mores* idem significant, quod

(28) Plut. *De Lib. Educ.* (29) *Trucul.* Act. 5. De *Fasciis* autem, *Cunis* et *Incunabulis*, vid. Salmasius ad h. l.: item de *Cunabulis* (a Græco κύω ita dictis) vid. Servius ad Virg. *Ecl.* VI. 23. (30) V. v. 230 seqq. (31) Non. Marcell. *De Propserm.* III. (32) Persius *Sat.* III. 18. (33) Lipsius, *De Rit. Cons.* (34) Suet. *Claud.* c. 32. (35) Vid. Nieupoort, p. 418. (ed. Nagelii) ibiq. nota. (36) Fest. v. *Praetextum*, Suet. *Vesp.* c. 22.

(*f*) Recte eâ de re monet Quinctil. J. O. I. 5. p. 13. (ed. Burmann.) : » naturâ » enim, *inquit*, tenacissimi sumus eorum, quæ rudibus annis percipimus."

(*g*) In citando Plauto caute agendum esse existimavi, et nullo in loco eum adhibui, nisi ubi manifestum esset, eum mores popularium suorum depinxisse. Quæ enim Plauti et Terentii nobis supersunt comœdiæ, *Palliatae* sunt: harum fabularum scena fingitur esse Athenis, et describuntur mores Græci, et ad Græcorum fere exempla sunt compositæ. — Hoc tamen loco propriis vocabulis designasse videtur, quæ apud Romanos in usu erant : eumque adeo sequi nullus dubitavi.

impudici (37). De origine togæ hujus prætextæ disputatum est (38), uti et de bullâ, quæ proprie erat gestamen triumphantium, quam in triumpho præ se gerebant, inclusis intra eam remediis, quæ crederent adversus invidiam maxime valere, sed quæ a Tullo Hostilio filio gerenda concessa est, quod fortiter sese in bello gesserat. Hinc mos invaluit, ut bulla in usum puerorum nobilium usurparetur (39).

Quemadmodum in clypeis olim pueros eo fine collocatos fuisse constat, ut futuram in iis fortitudinis et veræ virtutis bellicæ facultatem jam præsagirent, ita versus bellica studia atque rustica opera initio universa puerorum institutio respiciebat. Antiquissima autem instituendi ratio simplicissima fuit. Liberi enim in gremio ac sinu matris educabantur, a cujus latere vix discedebant. Eligebatur autem aliqua major natu propinqua, cujus probitati spectatisque moribus omnis cujusdam familiæ soboles committeretur: coram qua neque dicere fas erat, quod turpe dictu, neque facere, quod inhonestum factu videretur: quæque non studia modo curasque, sed remissiones etiam lususque puerorum, sanctitate quadam ac verecundiâ, temperabat (40). Licet, me judice, institutio puerorum initio ætatis nostræ longe rudior fuerit ac simplicior, ut diutius domui adhærerent juvenes, quam ut necesse esset ad rite corporis vires explicandas, sufficienter ad belli et ruris occupationes sequendas iisque operam dandas. Distinguenda hoc loco videntur tempora, quæ proxime initia urbis conditæ secuta sunt, ab illis, quæ exceperunt bella cum Tarentinis: quo tempore primum artibus litterisque Romani operam dare cœperunt. Quod enim de Romulo Remoque affirmant (41), eos litteris eruditos fuisse, et quibusvis artibus, quæ pueris ingenuis et nobilibus parentibus natis conveniant, edoctos, eâ de re valde dubitarem. Constat contra, eos potissimum studiis bellicis ob-

(37) Juv. *Sat. II.* v. 170. (38) Vid. impr. Macrob. *Saturn.* I. 6. cf. Plin. *H. N.* IX. 63. Plut. in *Rom.* § 20. t. 1. p. 73 et alii. (39) Eâ de re fuse agit Macrobius ll. (40) Auct. Dial. *De Orat.* c. 28 in fin. (41) Plut. in *Rom.* § 6. t. 1. p. 49. ed. m. cf. D. Halic. I. 54.

secutos fuisse: quæ quidem studia cum aliis mitioribus artibus parum congruunt. Docet Plutarchus geminos otio non indulsisse, sed venari, currere, prædones debellare solitos fuisse, et debiles contra fortiores tuitos esse (42). Agricultura, uti apud Romanos maximo semper in honore fuerit, et maximi duces simul agricolæ fuerint (43), ita Dion. Halic. expresse docet, Romulum » Sellu-» larias ac sordidas et turpium cupiditatum incitatrices artes, » ut corporibus atque animis tractantium noxias et pestiferas, » servis et exteris exercendas" tradidisse (44), eumque » duo » tantum ingenuis reliquisse studia, rei militaris ac rusticæ...... » Ratus utrumque absque altero imperfectum esse ac querulum, » non aliis terras colendas attribuit, aliis deripiendas abigendasque » res hostium, ut mos fuit apud Lacedæmonios: sed iisdem tam » bellica quam rustica injunxit munia: in pace omnes assuefaciens, » ut ruri manentes incumberent operi......, tempore autem belli, » militare illos docens, et certatim laboribus æque ac lucris » instare: etc.": eosque, qui sese re militari exercebant, egregie ornare suam patriam affirmabat (45), et fortitudine militari, omnium maximâ virtutum, eorum animos imbui voluit (46). Et ita factum est, ut » Romuli proles assiduis venatibus, nec minus » agrestibus operibus exercitata, firmissimis prævaluerit corpori-» bus, ac militiam belli, cum res postularet, facile sustinuerit, » durata pacis laboribus, semperque rusticam plebem præposue-» rit urbanæ" (47). — Cæterum uti Romulus multis sapientibus institutis inclaruit (48), ita imprimis laudes meretur propter leges de liberorum institutione (49).

Fuere qui existimarent, Numam Pythagoram habuisse præceptorem (50), in quo tamen falluntur, uti docet Livius (51). Quidquid hujus rei sit, Numa philosophiâ eruditus atque institutus, vere patriæ profuit (52), in eoque veritas apparuit ejus, quod

(42) Plut. in *Rom.* § 6. p. 50. (43) Columella in *Praef.* (44) II. 73. (45) D. Halic. II. 59. (46) Id. II. 67. (47) Columella ll. (48) D. Halic. II. 70. (49) Id. II. 66 et 72. (50) Plut. in *Numâ* § I. t. 1. p. 747. ed. Ulm. (51) I. 18. (52) Plutarchus in *Vitâ* § 3. p. 151.

Plato dixit (53), tum demum civitates felices fore, si fortunâ divinâ philosopho imperium deferretur, et victrix virtus vitio præferretur (54). Nam hanc præcipue ob causam felicitas regni Numæ efferebatur a Plutarcho » quod maximâ tranquillitate dege- » rent homines, et *tranquille liberos educarent*" (55). Salutarem adeo effectum habuit quies ista externa et interna in puerorum institutionem: ipsique parentes, Numâ auctore, ad placidiorem rationem compositi sunt (*h*). Ille enim, licet bellicosi adeo essent Romani, musicam adhibuit (56), quæ quantam vim in antiquas civitates habuerit, imprimis apud Græcos, e Platone præcipue cognoscere licet (57): et quot quantaque huic tribuere soliti sint Athenienses in puerorum institutione, pulcherrime exponit idem philosophus (58). — Sequentes reges, plerique saltem, in juvenibus bellica studia excitare studuerunt, uti de Tullo Hostilio constat (59), cum Ancus Martius imprimis agriculturæ faveret (60). Tandem finitimis populis bello aliisve modis innotuerunt, et exaucto illo cum aliis gentibus commercio, multa profecto Romam traducta sunt, quæ valuerunt ad Romanorum mores excolendos, eosque ad majorem humanitatem adducendos. Sed nulla bella tantam vim in Romanorum cultum habuerunt, quam habuit Tarentinum: quo primum debuerunt cum hoste peregrino congredi. Nam, Pyrrho fugato, Tarentinisque devictis, plurimi hujus civitatis incolæ, qui, origine Græci, Græcorum simul erant humanitate et linguæ elegantiâ imbuti, Romam venerunt: quippe qui

---

(53) *De Rep.* V. cf. Cicero ad *Q. Fratrem* I. 10. (54) Plut. in *Numâ* § 20. t. 1. p. 181 et 182. (55) Id. Ibid. p. 181. (56) Quinctil. *J. O.* I. 10. p. 106 et 107. (ed. Burm.) (57) Vid. passim in ejus Oper. impr. *Rep.* III. 413. E. VI. 503. A. Alia loca aliorum auctorum offert Montesquieu, *Espr. des Lois*, l. 4. c. 8. ant. (58) Plato, ibid. III. 398. A. B. et passim. (59) Liv. I. 21. (60) D. Halic. III. 132.

(*h*) Quod Plutarchus in legibus de liberorum educatione ideo Lycurgo postposuerit Numam, quia hic patribus jus reliquerit filios pro lubitu educandi (*in Comp. Lycurgi et Numae*, § 4. t. 1. p. 192.) injuste eum increpasse videtur. Consideranda enim sunt tempora, quibus uterque vixit, et ratio atque indoles populorum, quibus leges dedit uterque legislator.

pro jure belli in servitutem erant detrusi. His igitur puerorum institutio mandata est: qui eos vero literarum amore imbuerunt; quod sensim tamen paullatimque tantum obtinuit. Romani enim statim post victoriam Tarentinam nondum ad verum cultum et pulchri venustique sensum pervenerunt, sed per totam fere hancce ætatem literas servis colendas reliquerunt, ita ut eædem illæ magis ornamenti causa in puerorum institutione adhibitæ sint, quam quia necessariæ essent aut utiles saltem. — Quamvis Romæ non florerent liberalium artium studia, liberorum tamen recte instituendorum imprimis ratio est habita (61). — Sed paullo accuratius videamus de institutione istâ. Eo jam puerum perduximus, ut, absolutâ educatione domesticâ, proprie ejus institutio initium sumserit. Hic jam excipiamus illum, et quomodo ad majora et seriora perduceretur, nunc exponamus.

Prima institutio a fœminis, et præcipue quidem a matre procedit: idemque antiquissimis temporibus apud Romanos obtinuit (62). Quæ quidem institutio simplicissima fuit, nec ultra rudimenta artium et literarum tetendit. Præterea in foro in tabernis erat ludus literarius, in quo pueri literarum elementa et sermonis sui discebant a magistris, qui exiguâ mercede ad id conducti fuisse videntur. Istiusmodi autem tabernas Romæ mature jam affuisse (*i*), patet ex exemplo Virginiæ apud Livium (63). Elementis arreptis, pueri audiverunt grammaticos et rhetores, modo domi, modo in scholis: quorum illi Græcos optimos quosque scriptores interpretari et explicare, hi vero eloquentiam docere solebant: unde porro, maturiori ætate, in philosophorum scholas transibant. Grammatici autem initium fere sumebant a poëtis, in quibus primum locum dabant Homero, cum quo Menandrum, Euripidem, Sophoclem, itemque historicos Thucy-

(61) Liv. I. 39. (62) Nitsch. l. c. l. 3. sect. 1. § 5. (63) III. 44. cf. V. 27 et VI 25. et D. Halic. II.

(*i*) Falisci jam tempore Camilli liberos in scholam mittebant, atque præficiebant magistros. Plut. in *Camillo* § 10. t. 2. p. 55. et Aur. Victor *De vir. illustr.* c. 23 ibique notæ. Idem de Etruscis constat. Plut. II. § 38. t. 2. p. 93.

didem, Polybium, Herodotum, Xenophontem et alios conjungebant, quos quidem auctores brevibus observationibus critice et grammatice explicabant. Neque vero solum Græcos scriptores, sed Latinos etiam in scholis tractarunt (64). Præterea alias etiam artes liberales attingebant, v. g. Arithmethicam, Musicam, Picturam, Geometriam et Astronomiam, ut conficerent orbem illum doctrinæ, quem ἐγκυκλοπαιδείαν vocabant. Quin etiam patet ex Quinctiliano, saltationem antiquis Romanis non dedecori fuisse (65). Præterea dabant etiam aliquid Comœdo, ut gestus motusque corporis et aptam pronuntiandi rationem discerent (66). In rhetoris scholâ artem declamandi exercebant, idque Græce magis, quam Latine, faciebant. Exercebantur porro juvenes ab iisdem rhetoribus lectione oratorum, explicatione cum versione ex Græco in Latinum et ex Latino in Græcum (67), imitatione tandem, recitatione et retractatione. Rhetores præterea proponebant juventuti discendi cupidæ ad scribendum narrationes veras fictasque, rationem destruendi confirmandique eas, laudationes et vituperationes, et chrias sive sententias. Maxime autem Quinctilianus (67*) commendat juvenibus, ut ex orationibus vel historiis locos electos ediscant recitentque. Verbo, rhetoris munus in eo consistebat ut suasorias et judiciales materias tractarent, et juvenes declamando exercerent. — Post rhetorem se philosopho dabant, in cujus scholâ arti disserendi ac ratiocinandi operam darent, ut ita aliquando hac facultate uti possent in orationibus publicis. — Jam oritur quæstio, an hæ grammaticorum, rhetorum, philosophorumque scholæ ante Bellum Punicum II publice patuerint. Qua de re non tantum vehementer dubitari posset, sed contrarium probari potest ex loco Suetonii, qui de antiquissimis temporibus testatur: » Grammatica Romæ ne in usu quidem olim, » nedum in honore ullo erat: rudi scilicet ac bellicosâ etiam » tum civitate, necdum magnopere liberalibus disciplinis vacante.

(64) Quinctil. *J. O.* I. c. 8. et 9. (65) Idem. l. c. I. 11. (66) Idem, ll. I. c. 8. et 9. (67) Plin. *Epist.* VII. 9. (67*) L. c. II. 7.

» Initium quoque ejus mediocre exstitit: siquidem antiquissimi doc» torum, qui iidem et poëtæ et oratores, semigræci erant (Livium » et Ennium dico, quos utrâque linguâ domi forisque docuisse » adnotum est) nihil amplius, quam Græca interpretabantur: ac, » si quid Latine ipsi composuissent, prælegebant" (68). Et testatur (69) Cratem Mallotem, missum ad senatum ab Attalo rege inter secundum ac tertium Bellum Punicum, primum in urbem intulisse studium grammaticæ. De rhetoricâ idem testatur, ajens: » Rhetorica quoque apud nos, perinde atque grammatica, sero » recepta est, paullo etiam difficilius; quippe quam constet non» numquam etiam prohibitam exerceri" (70). Denique verba refert Edicti sub C. Fannio Strabone et M. Valerio Messala Coss. (*l*) lati, quo philosophi et rhetores Româ arcebantur. Merito igitur inde efficimus, doctores hosce publicâ quidem auctoritate non docuisse (*m*), sed perperam inde probari dixerim, eos non affuisse ante Bella Punica, cum e contrario constare videtur, illos Romæ in privatorum ædibus disciplinas, quas modo memoravimus, tradidisse (*n*). In doctoribus vero hisce eligendis summam pudoris et castitatis rationem habebant Romani (71). Præterea filiis præficere solebant *paedagogos:* licet hi ante captam Tarentum non affuisse videantur (*o*): quod nominis ratio a Græco derivati satis indicare videtur. Pædagogus (quasi παιδῶν ἀγωγὸς puerorum dux) præcipue eam ob causam hocce nomine significabatur, quia pueros in ludum literarium duceret ac reduceret, victûs et amictûs rationem haberet, eorumque capsam portaret: de quo agit Juvenalis (72), qui eum vocat discipuli *custodem* (73). Longe au-

---

(68) *De illustrib. gramm.* c. 1. (69) L. c. c. 2. (70) *De clar. rhet.* c. 1. (71) Cf. Nitsch. ll. l. 3. sect. 2. § 35. (72) *Sat.* X. v. 114. seqq. (73) *Sat.* VII. v. 218.

(*l*) Qui consules fuere A. U. C. 592: ergo post Bellum Punicum II.

(*m*) Satis notum est, decemviros pœnas constituisse in poëtas. Montesquieu, *Espr. des Lois*, l. 6. c. 15.

(*n*) Teste Dion. Halic. sub Tarquinio Prisco Romæ jam aderant *Literatores.*

(*o*) Ita certe non vocati sunt, licet ex loco Macrobii efficere possemus, Romanos jam sub Romulo habuisse *Magistros*, quorum stipendia solvebant mense Martis. Vid. *Saturn.* I. 12. p. 1. p. 256. (ed. Bip.)

tem distabat is a præceptore (74). Plerumque servi erant fidelissimi, et literarum atque humanitatis colore quodam tincti. Pueris humanitatis et vitæ communis officia monstare tenebantur, et nonnumquam præceptoris munere fungebantur. Istiusmodi servi summo loco habebantur, ita ut pueri eos vocarent Dominos, et ipsi pueros hosce appellarent *filios*, in eosque animadvertere liceret (75).

Quod vero magis, quam cætera omnia, contulisse existimo ad juvenum animos gloriæ cupiditate inflammandos, eosque iis rebus instruendos, quibus hancce explere possent, et ad auctoritatem in rep. pervenire, erat peculiaris consuetudo Romanis propria. Scil. cum apud nos majores natu pueros fere removendos censent ab iis negotiis, quorum intelligentia ob imperitiam et annorum imbecillitatem difficilior iis videatur; hoc ipso sæpissime aditus ad negotia hæcce iis præcluditur. Homines enim, qui juventutem a rebus publicis semoti peregerint, et quibusvis rebus potius, quam serioribus hisce dediti fuerint, maturiori ætate ab iis gerendis et imperitiâ et tædio caveantur. Romani contra a teneris inde annis filios assuefaciebant rebus quibusvis publicis adesse: ita ut nihil ageretur in rep., quin eo juvenum animos appellerent, de illo cum iis dissererent. Ingenia ita expoliri volebant non præceptis e scholis philosophorum haustis, neque abstractâ ratione, sed quam sibi, rerum usu et aliorum exemplis, sapientiam comparaverant, eam cum liberis communicabant. Inde factum, ut Romani tam singulari corporis robore, quam animi fortitudine ac præsentiâ conspicui essent (76). Et ita quidem non rudes aut imperiti ad res publicas postea accedebant, sed diuturnâ exercitatione ad id quasi instructi. Volebantque Romani, filios non tantum magnam multarum rerum peritiam sibi acquirere, sed id agebant, ut essent *oratores verborum actoresque rerum* (77). Quo mihi pertinere videtur elegantissimus ille Plinii locus: » Erat autem

---

(74) Vid. Burmannus ad Quinctil. I. 1. p. 16. et Seneca *De irâ* II. 22. ibique Lipsius. (75) Cf. Nitsch. l. c. l. 3. sect. 2. § 35 et 36. cf. Cic. *De Amic.* c. 20. (76) Polybius VI. 50. (77) Cic. *De Orat.* III. 15 et 16. et. Homer. *Iliad.* IX. v. 442.

» antiquitus institutum, *inquit*, ut a majoribus natu, *non auribus* » *modo*, verum etiam oculis disceremus, quæ facienda mox ipsi, » ac per vices quasdam tradenda minoribus, haberemus. Inde » adolescentuli statim castrensibus stipendiis imbuebantur, ut » imperare parendo, duces agere, dum sequuntur, assuescerent: » inde honores petituri assistebant curiæ, *et consilii publici spec-* » *tatores ante*, *quam consortes* erant. Suus cuique parens pro ma- » gistro, aut cui parens non erat, maximus quisque et vetustissi- » mus pro parente. Quæ potestas referentibus, quod censentibus » jus, quæ vis magistratibus, quæ ceteris libertas; ubi ceden- » dum, ubi resistendum; quod silendi tempus, quis dicendi mo- » dus, quæ distinctio pugnantium sententiarum, quæ executio » prioribus aliquid addentium, omnem denique senatorium mo- » rem, quod fidelissimum præcipiendi genus, exemplis doceban- » tur" (78) — Pueri ita ætate magis provecti, patres ubique solebant comitari, in foro, ruri, in comitiis, in curiâ (79), in militiâ etiam; et nemo, ut recte observat Sallustius (80), initio reipublicæ ingenium sine corpore exercebat. Corpus itaque laboribus firmabatur, et venatione ad bellum sustinendum aptum reddebatur. Nam venando pueros etiam occupatos fuisse satis patet ex Livio, qui refert Anci filios impuberes venatum dimissos fuisse (81): et hinc juventutem Romanam morum quandam ruditatem nactam esse, nemini mirum videri potest (82).

Adolescentes postquam ad ætatis annum 15 vel 16 pervenerant (*p*), togam prætextam, qua hucusque usi erant, exuebant, et bullam

---

(78) *Epist.* VIII. 14. t. 2. p. 16. (ed. Bip.) (79) Gellius *N. A.* I. 23. et. Macrob. *Saturn.* I. 6. Unde simul patet morem huncce abrogatum esse. (80) *B. C.* c. 8. (81) I. 35. cf. locus Columellæ, quem citavi supra. (82) Cf. Montesquieu, *Espr. des Lois*, l. 4. c. 8.

(*p*) De justo tempore non constat. Probabile quidem est annum 15 exactum olim servari solitum. Sed nonnulli putant pueros usque ad annum 14 prætextâ usos fuisse, quod alii ad annum 16, alii ad annum 17 extendunt. Verosimile est certum annum togæ mutandæ non fuisse legibus præscriptum, sed fere ex consuetudine et arbitrio parentum atque indole liberorum pependisse vid. nota Nieuportium, sect. 6. c. 1. § 1. p. 419.

auream (de qua supra vidimus), si ex nobiliori essent gente, deponebant, et Diis Laribus suspendebant (83). A cognatis et amicis, solemni pompâ, in forum deduci solebant, et a prætore togâ *virili* i. e. pura (*q*) inducbantur (84); quæ etiam libera dicta est (85), quia ab hoc inde tempore pædagogi removebantur, adolescentiumque vita liberior esse incipiebat, et cum æqualibus versari iis licebat, atque cum iis ad varii generis exercitationes se applicare. Sed ne vel sic tamen sibimet ipsi committebatur juvenis, sed maximâ diligentiâ filios curabant parentes (86), ne vitia aliunde contraherent, et ut sese aptos redderent ad officium explendum (*r*). Qui autem togam virilem sumebant *Tirones* dicebantur (87), et ipse actus hujus vestis sumendæ *Tirocinium* (88), eratque »rudimenta » civilium officiorum" (89), quod potissimum fiebat Liberalibus (90). Hac autem occasione adolescentes non tantum a cognatis, sed etiam a prætore ad virtutem et patriæ amorem solebant excitari (91): quod certe magnam vim in eorum animos habere debuit. Vitam ita civilem auspicati, *forum attigisse* dicebantur (92) et in *forum venisse* (93): totaque hujus diei solemnitas, cui fere convivio finis imponebatur, dicebatur *officium togae virilis* (94). Per integrum autem anni spatium, intra quod nec causas forenses, neque magistratus, neque militiam attingebant, in conspectu civium

---

(83) Pers. *Sat.* V. v. 31. (84) Cf. Cantelius *De Rep. Rom.* p. 361. (85) Ovid. *Trist.* IV. El. 10. v. 28. cf. *Fast.* III. v. 771 - 777. (86) Nitsch. ll. § 38. (87) Plin. *H. N.* VIII. 48. (88) Suet. *Cajo* c. 10. (89) Id. in *Tiber.* c. 8. (90) Ovid. *Fast.* III. v. 771 seqq.; ubi caussas hujus instituti reddit. (91) Nitsch. l. c. § 37. (92) Cic. ad *Fam.* V. 8. XV. 16. (93) XIII. 10. (94) Plin. *Epist.* I. 9.

(*q*) Ideo sic dicta, quia ex lanâ albâ, sive purâ, et sine alio colore admixta erat: hæc omnibus civibus communis erat. ct. Catull. 68. 15.

(*r*) Mirum forte videri posset, me hîc nullam mentionem fecisse Horatii verborum (*A. P.* v. 161 et 162) de juvenum occupationibus post remotum custodem, sed equidem dixerim, majorem hancce licentiam juvenibus concessam magis pertinuisse ad Horatii ævum, quam ad ætatem, de qua nunc agimus. Similiter iis, quæ cecinit Terent. (*Andr.* I. 1 v. 28 seqq.), nullam fidem habendam esse existimavi, quippe quæ magis pertinuerent ad adolescentiam Græcam, quam Romanam tempore Terentii.

versabantur, ut modestia, exercitatione ludoque campestri apud cives gratiam inirent (95): et durante hocce tempore, ob modestiam, brachium togâ continere oportebat (96). Sed cum hîc exercitationum militarium mentionem fecimus, paullo accuratius de iis videre lubet. Nam, teste Polybio (97): „Δυοῖν ὄντων, δι' ὧν „σώζεται πολίτευμα πᾶν, τῆς πρὸς τοὺς πολεμίους ἀνδρείας, καὶ „τῆς πρὸς σφᾶς αὐτῶν ὁμονοίας. *Cum enim duo sunt, quibus » omnis respublica servatur, in hostes fortitudo et domi concordia,"* atque cum de postremo hocce, superiori paragrapho, jam vidimus; breviter de priori agamus, qua in causâ Romanorum studia optime apparent; omnium enim instar bellum existimabant: quo respicit Virgilius hisce versibus:

» *Excudent alii spirantia mollius aera :*
» *Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus;*
» *Orabunt causas melius, coelique meatus*
» *Describent radio, et surgentia sidera dicent :*
» *Tu regere imperio populos, Romane, memento;*
» *Hae tibi erunt artes; pacisque imponere morem,*
» *Parcere subjectis, et debellare superbos* (98).

Ut vero aliis hominibus imperarent, fortitudine et aliis virtutibus militaribus cæteris præstare debebant. Eo autem perveniebant assiduâ exercitatione, inde a primis pueritiæ annis susceptâ, et per totam vitam continuatâ; ita ut, teste Plutarcho, Marius, cum jam senex esset, quotidie in campum Martium sese conferret, et Pompejus, ætatis annum agens quinquagesimum nonum, non abstinuerit a certaminibus cum juvenibus, atque armatus et equo insidens jacula emiserit. — Exercitia autem militaria erant vel *oneris*, vel *operis*, vel *armorum* (*s*). Onera militum majora fuerunt quam quis credere facile possit (99). Ferebant

(95) Vid. omnino Cicero pro *Coelio* c. 5. (96) Cic. ll. 1. Seneca *Controv.* 6. (97) L. VI. (98) *Æneid.* VI. v. 847. seqq. (99) Virg. *Georg.* III. v. 346 seqq.

(*s*) Ab ipsis exercitiis *exercitus* dictus est, quia *exercitando* fit melior. Varro *de L. l.* IV. 16. et l. 1. § I. ff. *De testam. milit.*

enim 1° *cibum* (100), qui erat dimidiati mensis vel ultra (101): 2° *utensilia*, quæ erant serra, corbis, rutrum, securis ad muniendum, falx et lorum ad pabulandum, catena: olla ad cibum coquendum (102); 3° *vallos*, plerumque tres aut quatuor ferebant; aliquando plures (103): 4° *arma*, quæ milites Romani non onus esse censebant, sed *membra* sua (104). Merito igitur Josephus observat, parum interesse inter equum onustum et militem Romanum (105). Et tamen ita onusti stupendum quandoque iter conficiebant, et sæpé quinque horis viginti millia passuum confecisse leguntur (106): quod longo usu discebant. — Exercitia *operum* quoque immensa fuerunt in obsidionibus urbium et aliis occasionibus, ut in vallis struendis, fossis ducendis, et aliis similibus adhibita (107). Quin in pace etiam, vel per otium opera quædam struebant, ut vias, basilicas, etc. (108), imo tota oppida. Quorum operum cum in patriâ nostrâ, tum in Angliâ, tum in Germaniâ passim vestigia supersunt, eoque milites longo usu erant assueti (109). — Armorum denique exercitium tam pacis, quam belli, tempore quotidie fiebat (110) et sine exceptione ab omnibus: a tironibus quidem quotidie bis, a veteranis vero semel (111) et præcipue quidem in hibernis (112); nec cessabant tempore pluvio, sed loca quædam tecta huic usui habebant (113). — Armorum exercitiorum varia fuere genera, 1° *ambulatio*, quæ maxime instrueret milites ad *gradum militarem* i. e. æqualem ac rectum incedendi ordinem discendum servandumque (114); 2° *decursio*, magis ad celeritatem comparata erat, ita ut quum milites, intra quinque horarum spatium, plus quam 20,000 passuum conficerent, non *ambulare*, sed *currere*, dicerentur; quo assuefiebant, ut majori impetu in hostem procurrerent (115); 3° *saltus*, ut fossas transilire, vel

(100) Liv. III. 27. (101) Liv. epit. 57. cf. Cic. *T. Q.* II. 16. (102) Josephus *de Bello Judaïc.* III. 6. (103) Liv. III. 27. et epit. 57. (104) Cic. *T. Q.* II. 16. (105) ll. (106) Veget. I. 9. (107) Lucan. VI. v. 38. seqq. (108) Tacit. *Histor.* II. 67 et alii. (109) Id. ll. IV. 30. (110) Joseph. l. c. (111) Veget. II. 23. (112) Tacitus *Agr.* c. 28. (113) Veget. II. 23. (114) Id. I. 9. et 27. (115) Id. I. 9. et Liv. XXIII. 35. XXVI. 51. XXIX. 22.

altitudines superare possent (116); 4° *natatio* imprimis, quæ militibus admodum commendata fuit (117), quæ in mari, vel flumine castris vicino, vel etiam Romæ in Tiberi juxta campum Martium exercebatur (118); in campo enim illo Juvenes tyrocinii anno hisce exercitiis sese applicabant. Præter hæcce genera habebatur etiam *Palaria* (119), *Armatura* sive sagittarum aliorumque jaculorum missio (120), *Salitio* (121), *Portatio ponderis*, et quæ plura numerantur (122).

Et omnia quidem hæcce exercitia talia fuere, ut nisi a juventute iis assueti essent milites, numquam se tantis laboribus pares præstare potuissent. Sensim ita paullatimque hosce perficere discebant adolescentes: et antequam *hastatis*, *principibus* et *triariis* annumerarentur, inter *velites*, levis armaturæ milites, pugnabant (123).

Adolescentes vero post tyrocinii demum annum nomen militiæ dabant, et inde ab anno ætatis decimo-septimo usque ad quadragesimum-sextum merebant stipendia (124). Post aliquot tamen annos Romam redibant, et a parentibus, vel cognatis, deducebantur ad principem in civitate virum, quem ubique sectarentur, cujus omnibus sermonibus interessent, sive in judiciis, sive in concionibus. Sæpius cum eo privatim sermones miscebant, et eum eo deambulabant. Quin etiam plurimi adolescentes principes viros, in provincias abeuntes, et in bello etiam, comitari solebant (125). — Et quis dubitet, hocce institutum maximam vim in adolescentium animos habuisse? Juvenis enim ita eruditus et assuefactus alienis experimentis, non rudis et imbellis ad negotia gerenda accedebat, sed exercitatus in aciem procedebat, iisque scientiis et cognitionibus instructus, (*t*) quas ignorare non tantum turpe habe-

(116) Veget. I. 9. (117) Suet. *Aug.* c. 64. Tibull. I. 4. v. 12. III. 5. v. 30. (118) Veget. I. 10. (119) Cic. *De Senect.* c. 16. Juv. VI. v. 246. (120) Veget. I. 15. (121) Id. I. 18. (122) Id. I. 19. et cum hisce Montesquieu, *Gr. et Dec.* c. 2. vid. præterea quomodo Scipio Africanus milites suos exercuerit, apud Livium XXVI. 51. (123) Frontin *Strateg.* IV. 1. n° 19. Polyb. VI. 19. infin. et 20. (124) Nieupoort. sect. 5. c. 1. §. 1. p. 358. (125) Vid. Cic. *De Amicit.* init. et *A. Dial. de Orat.* c. 34.

(*t*) Unde proverbium: » Neque literas neque natare doctus."

batur, sed summo cuique erat detrimento. — Cæterum, meâ sententiâ, mos hicce magis sub finem hujus ætatis obtinuit, quam initio, cum non adeo necesse esset sese insinuare in favorem Plebis, penes quam omnes honores erant, quæque rarius eos tribuere solebat hominibus imperitis aut mediocribus. Postea vero magis magisque civitas res publica evasit, omnesque ergo cives æquales erant, et natales cæteris civibus nullam prærogativam tribuebant, sed unice peritia cum morum et vitæ integritate conjuncta viam ad munera aperiebat. Nullum ideo remedium, quod hunc scopum assequendo inservire posset, negligendum erat, sed fides habenda erat experientiæ eorum, qui antea jam honores gesserant, et vitam publicam egerant. Accesserunt sub finem hujus ætatis jurisperitia et eloquentia, quibus ad summos honores adscendebant homines, et quarum rerum scientia penes paucos quosdam in civitate viros erat, qui hasce artes juvenibus traderent. Sed cum hæc magis ad alteram ætatem pertineant, hoc loco de iis sileamus.

Hisce vero observationes quasdam de institutione, hacce ætate, addamus, quæ minus *directe* ad educationem referri possunt, sed minime tamen silentio prætereunda sunt.

Uti Romani omni in causâ studuerunt juvenum animos vehementissimo patriæ amore, gloriæ cupidine, boni rectique studio inflammare, ita eo plurima apud eos instituta valebant. Ita v. c. mos fuit antiquissimis Romanis, ut in epulis convivæ ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus canerent (126), quo ad ea imitanda juventutem alacriorem redderent. » Quid hoc splendidius, » quid etiam utilius certamine? [inquit Val. Maximus (127)] » pubertas canis suum honorem reddebat: defuncta virium cursu » ætas ingredientes actuosam vitam favoris nutrimentis prosequebatur. Quas Athenas, quam scholam, quæ alienigena studia » huic domesticæ disciplinæ prætulerim? Inde oriebantur Camilli, » Scipiones, Fabricii, Marcellii, Fabii." Memorabile imprimis est

(126) Cicero *T. Q.* I. 2. (127) II. 1. 10.

illud, quod refert Polybius (128). Quoties sc. apud Romanos vir aliquis illustris vitâ migraverat, is cum funus efferretur, in forum ad Rostra solebat deponi, ibique universo populo coronâ circumstante, filius, aut e sanguine junctus aliquis, Rostra conscendebat, defunctique laudes commemorabat. Unde evenit, ut populus, revocans in memoriam quæ peregerat mortuus, eaque sibi ante oculos ponens, vehementer iis afficeretur. Neque illi tantum, qui rebus gerendis affuerant, sed ii etiam, qui plane alieni erant a rebus, quæ narratæ erant: ut publicus videretur esse luctus, neque illis tantum proprius, ad quos funus pertineret. Nec minorem vim habuit institutum illud, quo majorum imagines, in ædibus collocatæ (129), quotidie non adspici tantum, sed consuli poterant. Has autem imagines, cum illustris vir aliquis ex eadem gente diem obiisset supremum, ad funeris elationem proferebant, singulas singulo indutas vestimento, quod proprium fuerat defuncto, quem simulacrum repræsentabat. Ad rostra ut ventum erat, ordine omnes sellis insidebant eburneis: » quo spectaculo nullum temere » pulchrius juvenis veræ laudis ac virtutis amans queat intueri. » Quis est enim, quem impetus ad laudem non capiat, cum ima- » gines virorum, quos sua virtus fecit insignes, velut vivas omnes » spectet ac spirantes? aut hoc spectaculo quod potest aliud esse » pulchrius? etc." (130). Q. Maximus et P. Scipio dicere solebant, quum majorum imagines intuerentur, *vehementissime sibi animum ad virtutem accendi* » sc. non ceram illam, neque figuram tantam » vim in sese habere, sed memoriâ rerum gestarum eam flammam » egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam vir- » tus eorum famam atque gloriam adæquaverit" (131). Et cum egregia adeo reip. fuerit conditio, qualem eam adumbrare studui § 1. hujus partis disputationis nostræ, juvenes in istiusmodi rep. vitam degentes, istiusmodi exempla ante oculos habentes non potuerunt non vehementissimo patriæ amore incendi, cæterisque

---

(128) VI. 51. (129) Polyb. II. (130) Id. Ibid. c. 51. in fin. et c. 52. init. (131) Sallust. *B. J.* c. 4.

virtutibus civilibus pollere, quæ civitatem Romanam ad tantum fastigium adduxerunt. Et cum proposito uberius, alio loco, de rep. illâ disserui, de virtutibus istis civilibus, deque modo, quo excitabantur, longius agere supervacaneum existimo.

Huic conditioni consentanea fuit ratio pœnarum apud juventutem Romanam observatarum. Nam licet patres jus puniendi filios habuerint nullis fere limitibus coarctatum (*u*), ne vel sic tamen illo jure abutebantur. Sed prouti reip. ratio postulat, dedecus maxima erat pœna, atque hac nulla gravior erat, et quodvis potius pati volebant juvenes, quam in civium conspectu dedecore affici (132). Præmia contra militaria simplicissima erant et plerumque exigui pretii, qualia fuere varia genera coronarum, quibus ornari solebant, qui in bello de patriâ meruissent (133). Nam ubi prælium aliquod commissum erat, ac juvenes aliqui fortiter se gesserant, imperator, advocato in concionem exercitu, productis prope se iis, quorum præ cæteris virtus insignis fuerat, primum quidem singulos illorum laudabat ob fortitudinem, et si quid aliud in eorum vitâ fuerit, quod commemorari cum ipsorum laude posset: deinde ei, qui hostem vulneraverat, hastam donabat; qui prostraverat et spolia detraxerat, pediti phialam, equiti vero phaleras. Quoties urbs capta erat, aureâ coronâ ornabat eos, qui primi muros conscendissent: similiter eos, qui vel cives vel socios propugnaverint et servaverint, donis insigniebat dux: et qui servati fuerant, servatorem suum coronare solebant: atque adeo per omnem vitam is, qui servatus erat, illum pro parente colebat, omniaque ei præstare tenebatur, quæ filius patri (134).

---

(132) Cf. Montesquieu, *Espr. des Lois*, l. 6. c. 12. (133) De iis vid. Nieupoort ll. sect. 5. c. 5. § 11. p. 404 seqq. (134) Polyb. VI. 37.

(*u*) Cujus rei (præter Bruti exemplum, de quo vid. imprimis Plut. in vitâ *Poplicolae* § 6. t. 1. p. 246. ed. m.), exempla quædam apud scriptores occurrunt. Ita Manlius Consul filium, quod contra edictum, quamvis prospere, pugnaverat, securi percussit. Liv. VIII. 7. Flor. I. 14. 2. Aur. Vict. *De Virib. Ill.* c. 28. 4. Eosque filios nonnumquam rus relegasse, patet ex eodem Manlii exemplo Liv. VII. A. Vict. c. 28. 1. Alia multa exempla afferre possem, sed nimis cognita sunt, quam ut diutius illis inhæreamus.

Antiquitus apud Romanos senectuti potissimum habiti sunt honores, quod plane congruit cum agendi ratione populorum Nomadicorum. Majores natu a minoribus colebantur ad Deum prope et parentum vicem, atque omni in loco priores potioresque habebantur: et e convivio quoque seniores a junioribus domum deducebantur (135). Ita legimus etiam apud Livium, primores in civitate *patres* appellatos fuisse, eorumque progeniem *patricios* (136). Constat etiam matres apud Romanos permagnam vim exercuisse in filios, et hosce plurimum fere iis reverentiæ tribuisse (ν). Et quamvis ex Gellii loco (137) cognoscere liceat, filium patri honorem et externa humanitatis officia diligentissime tribuisse: quin licet nonnulli putarent, in omnibus rebus patri parendum esse (138); nihilominus tamen, si filius publicum munus gereret, omnia officia inter patrem et filium cessabant, et pater filium non e se natum considerabat, sed populi Romani Magistratum (139). Tantam igitur reverentiam tantamque æstimationem tribuebant reipublicæ, ut hujus causa omne vinculum inter parentes et liberos dilaceraret. Ita Brutus filium interfici curans, id, teste Floro (140), non fecit ut jure suo patrio uteretur, sed » ut plane publicus parens, in locum liberorum, adoptasse sibi populum videretur."

Cæterum id etiam agebant Romani ut liberis magnam venerationem rebus sacris et religioni imprimerent. Quâ in causâ prudenter egerunt, uti recte ostendit doct. Rollinus (141). Ita in juvenum animos magnam vim habere debuit, quod obtinebat, quum virgo Vestalis sepeliretur, quæ dies Romanis tristis et luctuosa erat (142). Et multis aliis in causis sacris quasi devinciebant pueros et ado-

---

(135) Vid. omnino Gellius *N. A.* II. 15. (136) I. 9. cf. Dion. Halic. II. 20. (137) II. 2. (138) Gell. II. 7. (139) Cf. Id. II. 2. Multa hujus rei exempla in Hist. Rom. occurrunt. (140) I. 9. 6. cf. Veturiæ oratio ad Coriolanum apud Livium. II. 40. (141) In *Praef. Hist.* p. IX. - XI. (142) Vid. Plut. in *Num.* § 10. t. 1. p. 165.

(ν) Cogitemus tantum Veturiam Coriolani matrem. Post Bella Punica occurrunt Cornelia Gracchorum, Aurelia Cæsaris, Servilia Bruti, Attia Augusti, Julia Antonii matres; quibus quantâ curâ et diligentiâ paruerint filii, satis notum est.

lescentes, quod pluribus in causis apparet (143). Tum etiam in ludis, qui apud antiquos arctius etiam, quam apud nos, cum sacris cohærebant. Ita *ludus Trojae* fiebat a pueris nobilibus, majoribus et minoribus (144), turmatim in equis discurrentibus et speciem ludicri certaminis exhibentibus: quem quidem ludum describit Virgilius (145). Antequam ludi Circenses instituerentur, statuæ Deorum, solemni pompâ, per circum traducebantur; in qua erant procerum filii pubertati proximi equis invecti, quorum patres erant ordinis equestris, cæteri pedibus: illi in alas et centurias, hi in classes et ordines distributi (146). Juvenes item fabulis *Atellanis* originem dederunt (147).

Pueri etiam ad cantum instituebantur, atque in nuptiis nuces spargebant (148) et simul *Fescennina* canebant. Origo hujus carminum generis quærenda est in vitâ Romanorum rusticâ. Agricolæ enim liberorum suorum nuptias celebrantes, hoc potissimum carmen usurpabant. Constabat autem versibus lascivis et obscoenis (149). Pueri modesti etiam, teste Varrone (150), in conviviis assâ voce (i. e. solâ voce sine instrumentis musicis) et cum tibicine carmina canebant antiqua in laudem majorum.

---

(143) Plut. in *Rom.* § 21. t. 1. p. 75 et 76 et alii. Cf. D. Halic. II. 69.
(144) Tacit. *Annal.* XI. 11. Suet. *Jul.* c. 39. (145) *Aen.* V. 3561 seqq.
(146) D. Halic. VII. 72. (147) Liv. VII. 2. (148) Catull. *Carm.* 61.
(149) Seneca *Med.* v. 113. (150) Ap. Nonium Marcellum voce *assa.*

§ III.

VIS ET EFFICACIA RECTÆ INSTITUTIONIS IN MORES ET AGENDI RATIONEM ROMANORUM.

Alicubi dixit Plato: „Τροφὴ καὶ παίδευσις χρηστὴ σωζομένη, „φύσεις ἀγαθὰς ἐμποιεῖ· καὶ αὖ φύσεις χρησταὶ, τοιαύτης παιδείας „ἀντιλαμβανόμεναι, ἔτι βελτίους τῶν προτέρων φύονται· » *Educatio atque institutio proba conservata, naturas pariet bonas,* » *et bonae iterum naturae, hujusmodi consecutae institutionem,* » *meliores etiam quam antea, evadent*" (1). Cujus quidem dicti veritas, si unquam, hic profecto apparet. Romani enim naturâ ipsi suâ ad bonum rectumque proclives erant, sed optimam illam institutionem nacti, quam paragrapho præcedente referre studui, bona non tantum appetiverunt, sed maximo ardore etiam amplexi sunt, ita ut nemo non assentiatur Livio, in præfatione historiæ suæ dicenti: » cæterum aut me amor suscepti negotii » fallit, aut nulla unquam respublica, nec major, nec sanctior, » nec bonis exemplis ditior fuit: nec in quam tam seræ avaritia » luxuriaque immigraverint: nec ubi tantus ac tam diu pau- » pertati ac parsimoniæ honos fuerit." Hoc enim constat, Romanos tot tantisque virtutibus præditos fuisse eâ ætate, de qua egimus, ut nullum adeo populum in gentium historiâ offendas, qui hâcce in causâ ei comparari possit. Præstantiam hancce merito, magnâ parte, ex egregiâ institutione repetendam esse, me supra jam sæpius observasse memini. Quocirca consilium habueram, ut disquisitio mea justos fines non egrederetur, exponendi quamnam vim exercuerit puerorum institutio apud Romanos in mores et agendi rationem ipsius juventutis. — Nunc vero cum animum

(1) Rep. IV. 434. A.

ad negotium appellam, video totam hancce causam adeo conjunctam esse cum historiâ morum totius Populi Romani, ut sejunctim de eâ agi nequeat. Hancce vero historiam tradere et a proposito nostro abhorret, et longius ab incœpto traheret. Quocirca illud tantum mihi agendum duxi, ut summatim exponerem, qualis fuerit conditio, qualesque universe fuerint mores juventutis Romanæ ante Bellum Punicum II: quod brevitati disquisitionis nostræ magis consentaneum erit.

Principio hujus capitis disputavimus de Republicâ Romanâ, et egregiam illius conditionem adumbrare studuimus. Qua opportunitate simul exposuimus virtutes civiles Romanorum (2). Quam ob causam animadvertisse hic sufficiet, juvenes Romanos iisdem hisce virtutibus civilibus claros fuisse, quibus tantam celebritatem nacti sunt cives Romani; illosque pro patriâ quævis et suscepisse et peregisse, me etiam tacente, historia satis docet.

Supra vidimus de optimâ ratione vitæ domesticæ, hâcce nostrâ ætate (3), deque pietate uxorum erga maritos, et matrum erga liberos, quantâque curâ hæ imprimis filios educarint. Et nullum dubium esse potest, quin juventus, optimis ita exemplis instructa, postquam ad virilem ætatem pervenerat, et matrimonium similiter iniverat, egregia hæcce, quæ quotidie ei ante oculos versabantur, observaverit, erga uxorem fide et caritate sese commendaverit atque optime patrio officio perfuncta fuerit. Matrimonii enim sanctitate et conjugali concordiâ jure merito celebrantur Romani (4). Et universe hoc obtinebat, ut æque ac concordiâ valerent cives, ita cognati inter se arctissimo vinculo consociati essent. Ita v. c. convivium solemne instituerunt, quod *Charistia* appellarunt, cui præter cognatos et affines nemo interponebatur: ut si qua inter necessarias personas querela esset orta, apud sacra mensæ et inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis, tolleretur (5).

---

(2) Supra pag. 32 seqq. (3) Pag. 49 seqq. (4) Val. Max. II. 1. 6. (5) Id. II. 1. 8.

Celebrandi etiam videntur juvenes ob honorem, quam senectuti tribuere solebant, ac si majores natu adolescentium communes patres essent. Ita juvenes e. g. senatûs die, aliquem ex patribus conscriptis, aut propinquum, aut paternum amicum ad curiam deducebant, affixique valvis exspectabant, donec reducendi etiam officio fungerentur. » Quâ quidem voluntariâ statione, (ut haud » male observat Valerius Maximus) et corpora et animos ad pu- » blica officia impigre sustinenda roborabant, brevique processu » morarum in lucem virtutum suarum verecundâ laboris medita- » tione ipsi doctiores erant" (6). Invitati ad cœnam diligenter quærebant, » quinam eo convivio essent interfuturi", ne senioris adventum discubitu præcurrerent : sublatâque mensâ priores consurgere et abire solebant. Cœnæ quoque tempore parco et modesto sermone, his præsentibus, uti solebant. Cæterum quantâ modestiâ et reverentiâ parentum monitis obtemperabant, quantum iis honorem tribuebant! Harum quidem rerum si exempla ex historiâ afferre vellem, disputationem meam plurium voluminum futuram existimo (7). Maxima etiam parentes inter et filios obtinebat verecundia, ut nec pater cum filio pubere, nec socer cum genere lavaretur : » Manifestum igitur est (ut Val. Maximus » dicit) tantum religionis sanguini et affinitati, quantum ipsis » Diis immortalibus tributum: quia inter ista tam sancta vincula » non magis, quam in aliquo sacrato loco, nudare se, nefas esse » credebatur" (8).

Antiquitus juventus Romana unice agris colendis et bello dedita simplicissimam vitam egebat:

» *Agricolae prisci, fortes parvoque beati,*
» *Condita post frumenta levantes tempore festo*
» *Corpus, et ipsum animum, spe finis dura ferentem,*
» *Cum sociis operum, et pueris, et conjuge fidâ,*
» *Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant,*
» *Floribus et vino genium, memorem brevis aevi.*" (9)

---

(6) II. II. 1. 9. (7) Pietatis in parentes exempla nonnulla collegit Val. Max. V. 4. (8) II. 1. 7. (9) Horat. *Ep.* II. 1. v. 139 seqq.

Luxuriosæ vitæ delicias ignorabat juvenis, sed simplici victu corporis vires explicabat, ingeniumque simul excolebat, morumque ergo simplicitate et bonitate, atque frugalitate excellebat (10), nec minus abstinentiâ et continentiâ (11). Divitias a principibus in civitate viris despici videbant, qui aurum possidentibus imperare malebant, quam ipsi aurum habere (12).

Omnium maxime gloriam appetebant; quæ quidem gloriæ cupido multum valuisse ad incrementa civitatis, recte observat Sallustius (13). » Laudis enim avidi, pecuniæ liberales erant: » gloriam ingentem, divitias honestas volebant." Ab alterâ parte pudore a malis avocabantur. Ita cum post cladem ad Furcas Caudinas juvenes silentio majoribus natu adstarent, et prorsus animo despondisse viderentur, ita ut nonnulli affirmarent, cum armis ablatos esse animos, tum Ofilium quemdam Calavinum ita locutum faciunt: » Silentium illud obstinatum » fixosque in terram oculos, et surdas ad omnia solatia aures, et » pudorem intuendæ lucis, ingentem molem irarum ex alto animi » cientis, indicia esse; aut se Romana ignorare ingenia, aut si» lentium illud Samnitibus flebiles brevi clamores gemitusque » excitaturum: Caudinæque pacis aliquanto Samnitibus, quam » Romanis tristiorem memoriam fore. Quippe suos quemque co» ram animos habiturum, ubicumque congressuri sint; saltus » Caudinos non ubique Samnitibus fore » (14).

Universi laudationes et præmia, vehementissimum illud laudis stimulum, exacuerunt, et unusquisque commilitonibus palmam præripere studebat (15). — Fortitudinem vero Romanam hoc loco majoribus laudibus efferre, nil attinet. Ipsa enim facta satis loquuntur, quæ sese nobis offerunt Annales Hist. Romanæ evolventibus (16). Et de universis istis facinoribus dicendum videtur, quod de Horatio, Mucioque dixit Florus : » . . . . illa Romana

---

(10) Cf. id. *Sat.* II. 2. v. 89 seqq. cf. V. Max. II. 5. 5. (11) Id. IV. 3. 14.
(12) Vertot, *Rév. Rom., préf.* p. XII. - XIII. et V. Max. IV. 4. (13) B. C. c. 7.
(14) Liv. IX. 6 et 7. (15) Cf. Rollin, *Hist. Rom., préf.* p. LIV seqq. éd. in-8°.
(16) Vid. V. Max. III. 2. cf. Gellius II. 11. et Florus I. 13.

» prodigia atque miracula, quæ nisi in annalibus forent, hodie » fabulæ viderentur" (17). Sallustius haud male depinxit mores juventutis Romanæ, dicens : » Jam primum juventus, simul in bello » patiens erat, in castris per laborem usu militiam discebat: » magisque in decoris armis, et militaribus equis, quam in » scortis atque conviviis lubidinem habebat (uti suâ ætate locum » habere queritur). Igitur talibus viris non labos insolitus, non » locus ullus asper, aut arduus erat, non armatus hostis formi- » dolosus: virtus omnia domuerat, sed gloriæ maximum certamen » inter ipsos erat : quisque hostem ferire : murum adscendere, » conspici, dum tale facinus faceret, properabat: eas divitias, » eam bonam famam, magnamque nobilitatem putabant, laudis » avidi, pecuniæ liberales erant; gloriam ingentem, divitias ho- » nestas volebant" (18).

Mores tamen adolescentium feroces quodammodo fuisse nemo non assentietur, imprimis antequam Græcæ artes Literæque in gentem vim suam exseruerant. Ita Horatius cum victor e pugnâ discederet, et soror flebiliter nomine sponsum mortuum appellaret, stricto gladio, simul verbis increpans, transfigit puellam: » Abi » hinc cum immaturo amore ad sponsum, inquit, oblita fratrum » mortuorum vivique; oblita patriæ. Sic eat, quæcumque Romana » lugebit hostem" (19). Quod tamen facinus atrox visum est patribus plebique, licet ferox uterque. — Et Mucii intrepidum animum licet admiremur, horror tamen nos invadere solet, cum hæcce verba ab eo pronunciari nobis fingimus, dum dextram in foculo teneret : » En tibi, ut sentias, quam vile corpus sit iis, qui mag- » nam gloriam vident. » (20) — Sed, uti jam observavi, cum postea mitiores evasissent mores, Romani sensim sensimque morum istam ferocitatem deposuerunt. Generosi tamen et alti animi, in juventute Romanâ, indicia haud defuerunt. Ita licet majores natu et honoribus conspicuos venerarentur, a justâ tamen irâ haud abstinuerunt. Ita Manlio Torquato, amplissimam et glorio-

(17) I. 10. (18) *B. C.* c. 7. cf. Horat. *Carm.* III. Od. 6. v. 33 seqq.
(19) Liv. I. 26. (20) II. 12.

sissimam ex Latinis et Campanis victoriam in urbem referenti, cum seniores omnes lætitiâ ovantes occurrerent, juniorum nemo obviam processit, quod filium adolescentem, fortissime adversus imperium suum præliatum, securi percussisset. Miserti ita sunt æqualis nimis aspere puniti (21). — Virilis item prudentiæ et taciturnitatis clarum exemplum nobis servavit Gellius (22), quod optime ostendit ingenium adolescentium Romanorum. Mos antea senatoribus Romæ fuit in curiam cum prætextatis filiis introire. Cum in senatu res major quæpiam consultata, eaque in diem posterum prolata est; placuitque ut hanc rem, super qua tractavissent, ne quis enuntiaret prius, quam decreta esset: mater Papirii pueri, qui cum parente suo in Curiâ fuerat, percontatur filium, quidnam in senatu Patres egissent. Puer respondit tacendum esse, neque id dici licere. Mulier fit audiendi cupidior. Secretum rei et silentium pueri animum ejus ad inquirendum everberat. Quærit igitur compressius violentiusque. Tum puer, matre urgente, lepidi atque festivi mendacii consilium capit: actum in senatu dixit, utrum videretur utilius exque republ. esse, unusne ut duas uxores haberet, an ut una apud duos nupta esset. Hoc illa ut audivit, animo compavescit: domo trepidans egreditur: ad cæteras matronas defert quod audierat. Perveniunt ad senatum posterâ die matrum familias caterva: lacrimantes atque obsecrantes orant, una potius ut duobus nupta fieret, quam ut uni duæ. Senatores ingredientes in curiam, quæ illa mulierum intemperies, et quid sibi postulatio isthæc vellet, mirabantur. Puer Papirius in medium Curiæ progressus, quid mater audire institisset, quid ipse matri dixisset, rem, sicuti fuerat, denarrat. Senatus, fidem atque ingenium pueri deosculatus, consultum facit, uti posthac pueri cum patribus in Curiam ne introëant, præter ille unus Papirius: eique puero postea cognomentum, honoris gratia, inditum *Praetextatus:* ob loquendi tacendique in ætate prætextæ prudentiam.

(21) V. Max. IX. 3. 4. cf. Liv. VIII. VIII. 12. (22) I. 23. idem refert Macrobius *Saturn.* I. 6.

CAPUT SECUNDUM.

Educationis et Institutionis Puerorum, apud Romanos, conditio: inde a Bello Punico II. ad Augusti tempora.

§ I.

OBSERVATIONES, IMPRIMIS DE MORUM ET FŒMINARUM CONDITIONE, HACCE ÆTATE.

PLerique auctores, qui in eo versati sunt, ut indagarent causas rerum commutationis, quas subiit Respublica Romana, non satis accurate de moribus egerunt, et plerumque a causis remotioribus civitatis lapsum explicant (*a*). Equidem vero, priore parte superioris capitis, accuratius reip. conditionem ante Bellum Punicum II. adumbrare studens, tum alia, tum imprimis egregiam morum conditionem, hocce temporis spatio, memoravi. Hi enim procul dubio longe maximam vim in puerorum institutionem habuerunt, et in ipsius reip. florem et diuturnitatem. Horum igitur neglectus cum præcipua causa fuerit neglectæ educationis et labefactatæ reip.; cæteris missis, de illis unice hocce paragrapho

(*a*) Ne Montesquivius quidem, meâ sententiâ, moribus satis tribuit. Quamvis enim in causis indagandis auctæ Reip. Rom. ejusque lapsûs maximo judicio versatus sit, minus tamen accurate de moribus egit, et operis ejus caput X mihi brevius justo videtur.

agere constituimus, additis quibusdam de fœminarum atque artium literarumque conditione, inde a Bello Punico altero usque ad Augusti tempora.

Primo hic observandum videtur, multum omnino discrepare initia hujus ætatis ab ejusdem fine. Durante enim Bello Punico II. Romani summo stabant fastigio, et universe optima reip. erat conditio eo tempore, quod inter Bellum Punicum II. et III. elapsum est. Priori autem bello, cum omnes vires intendissent Romani, et in summo discrimine versaretur civitas, aliter fieri non potuit, quin omnia simul ad maturitatem quasi pervenirent, et eo perfectionis gradu adscenderent, a quo non nisi decidere possent. Semina futuræ corruptelæ jam sparsa erant: radices sensim paullatimque agere cœperunt, et brevi ad plantam succreverunt, quæ erui nullo modo potuit. Romani cum dominandi studiosi essent, ad hoc usque tempus bella tantum gesserant, ut huic studio obsequerentur: et cæteris gentibus imperare malebant, quam ex iis lucrum percipere. Nunc vero Bellum Punicum II. excepit bellum cum Philippo, Macedoniæ Rege, quem ad tributum solvendum coëgerunt. Mox adorti sunt Antiochum et Perseum, quos etiam ad durissimas præstandas conditiones adduxerunt: tandem injustissimum Bellum Punicum III. ad finem perduxerunt, et, Corintho dirutâ, Græcia in Provinciæ formam redacta est. Antequam ad cætera pergamus, primum videamus de vi horum bellorum in mores et cultum Romanorum.

Post Bellum Punicum II. tota Romanorum vivendi ratio immutata est. Romani enim nobiliores post hoc tempus ex agris magis magisque Romam migrarunt, ut ibi divitiarum fructibus fruerentur. Nam bella, quæ in Asiâ gesserant, præterquam quod magnificentiæ studium et auri cupido in animos induxerant, simul divitias in civitatem intulerant, quibus desideria sua explere possent Romani, et simul splendidiorem vitam agere. Ita victoriâ Manlianâ multa antea Romanis incognita in usum venerunt, quæ omnia valebant ad emolliendos mores. Ita e. g. memoriæ proditum est, ab hoc inde tempore coquos, vile antea et ignobile servorum genus,

summo pretio habitos fuisse (1). Vehementer etiam nocuit victoria de Perseo reportata, quæ tantam pecuniæ vim in urbem intulit, ut cives omni tributo liberarentur (2), et supellex pretiosa in usum veniret (3). Vitia hæcce ante hoc tempus jam adeo conspicua fuerant, ut leges iis opponere necessarium evasisset. Ita medio Bello Punico II. lex Oppia promulgata est, quæ argenti modum in corporis cultu definiebat, et vehiculorum usum, nisi in sacris officiis et extra urbem, interdicebat (4). Ipse vero P. Scipio Æmilianus (Major) majoris luxûs et liberalitatis exemplum dedit, ita ut sensim sensimque mutatio in vitâ domesticâ obtineret, et quæque victoria novas divitias, et simul nova corruptelæ semina afferret (5). Fuere tamen, præter Catonem, alii etiamnunc in civitate viri, qui sese vitiis opponerent. Ita etiam senatus invalescentem luxuriam coërcere conatus est lege *Orchiâ* (6), lege *Fauniâ* et lege *Didiâ* sumptuariâ (7). — Et licet leges istæ proprie contra ditiores tantum conditæ sint, et corruptelæ labes nondum ad inferioris classis homines pervenerit; tamen constat, quod etiam plurimis exemplis ex historiâ omnium temporum probatur, ex mutatis nobilium moribus profluere cæterorum civium corruptelam. Assentimur igitur Ciceroni dicenti: » Ego nobilium vitâ, victuque » mutato, mores mutari civitatum puto. Quo perniciosius de rep, » merentur vitiosi principes, quod non solum vitia concipiunt » ipsi, sed ea infundunt in civitatem: neque solum obsunt, » quod ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt, plusque » exemplo quam peccato nocent" (8). — Cumque ita corrupti essent cives, respublica stare diutius non poterat. Vigebant enim antiquæ civitates civium æqualitate. Cum vero amor divitiarum et magnificentiæ studium in iis invalescerent, proveniebant, qui maxime a ceteris civibus se distinguerent, quique ita divitiis aliis præ-

(1) Plin. *H. N.* XIII. 11. XXXVII. 1. Liv. XXXIX. 9. (2) Cic. *De Offic.* II. 22. (3) A. Gellius XXII. 23. (4) Liv. XXVI. 36. XXXIV. 1. et Tacitus *Annal.* III. 33. (5) Qua de re classicus locus exstat apud Lucanum *Phars.* I. v. 160 seqq. (6) Macrob. *Saturn.* II. 17. (7) Id. l. c. c. 13. (8) *De Legg.* III. 14.

cellentes, æqualitatem frangerent et amicitiæ vinculum, quo antea omnes conjungebantur. Præterea cum alienis divitiis peregrinorum morum studium in civitatem inductum est. Qui enim per tam longum temporis spatium apud exteros versabantur, sensim paullatimque severioribus patriæ moribus valedixerunt, et Asiaticorum luxui sensim sensimque assuefacti sunt: ita ut cum Romam redirent, novam prorsus vivendi rationem instituerent, et antiquam istam simplicitatem despicerent. Nihil enim adeo rebus publ. antiquis nocuit, quam contemtus tum antiquarum institutionum universe, tum imprimis morum vetustorum.

Duo ergo hæcce, æqualitas rupta et antiquorum institutorum contemtus, civitatis *principium* corruperunt, et remp. perdiderunt: sed antequam ad istam καταςροφὴν veniamus, primum de iis, quæ eo conduxerunt, videamus.

Magno civitatis emolumento factum est, ut ante Bellum Punicum II. tam lente victorias reportaverint Romani (9). » Secundæ enim res » sapientium animos fatigant" (10), sed moderata belli fortuna (quæ nonnumquam etiam adversa fuit) magnopere iis profuit: nam vitiis indulgendi opportunitas et facultas simul civibus deerat, omni semper animo intenti esse debebant reip. conservandæ et augendæ. Nunc vero tantâ celeritate ingentes victorias reportarunt, et tantâ facilitate, ut superbia eos inflarit, et cum superbiâ alia vitia, quæ cum eâ fere conjuncta esse solent, confidentia, parvarum rerum contemtus et desidia eorum animos occuparint. Aliud quid accedit, sc. cum antea difficillimum esset in tanto excellentium virorum numero præ ceteris eminere, nunc cum laboris contemtus et luxuriæ amor animi vim atque ἐνέργειαν destruxissent, pauci illi, qui resisterent illecebris vitiorum, et bonarum rerum studio toti se dicarent, facile ad principatum pervenire poterant: ita ut hocce modo optimam opportunitatem habuerint ambitiosi et rerum novarum studiosi summam rerum in se traducendi.

(9) Rollin, *préface.* p. LXIV. (10) Sallust. *B. C.* c. 11. in fin.

Bellum Punicum III. gravissime nocuit (*b*). Romanis non extrinsecus mala imminebant, sed » ipsa nocuit moles," et ipsius imperii habitus atque ratio interna ei obfuit: » cuncta maria, terræque » patebant: fortuna sævire ac miscere omnia cœpit, qui labores, » pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, iis otium, » divitiæ, optandæ aliis, oneri miseriæque fuere" (11). Nec minus nocuere divitiæ, quas e Græciâ, imprimis ex Corinthi excidio, secum asportarunt Romani. Simul enim cum Græcorum cultu, artibus et litteris eorum mores assumserunt, et cum non pedetentim, sed uno quasi temporis momento exculti sint, non potuit non cultus hicce iis nocere. Jam videamus, quomodo hæcce opportunitatem præbuerint rerum commutationi, quæ obtinuit sub finem ætatis nostræ.

Tendebant fere antiquæ respublicæ vel in democratiam, vel in oligarchiam (12). scil. in quacumque civitate antiquâ habebantur et populi concio et senatus patriciorum. Uterque autem majorem potentiam acquirere gestiebat: unde factum, ut gravissimæ contentiones existerent inter Plebem et Patricios. Uterque enim ordo in alterum dominandi erat studiosus, et ipse jugi impatiens: quocirca ex eo imprimis cavebat quisque, ne ejus jura sibi vindicaret alter: unde factum, ut æquilibrium semper obtineret inter potentiam Patriciorum et Plebis. Cum vero divitiæ et corrupti mores in civitate Romana id effecissent, ut Plebeji (qui pauperiores fere erant quam Patricii) studiis suis et luxui obsequi cupientes (*c*), ditioribus indigerent, et brevi toti ab iis penderent; inde factum est, ut æquilibrium disruptum sit, et major potentia

---

(11) Id. ibid. c. 10. (12) Cf. Montesquieu, *Espr. de loix*, liv. 8. ch. 2.

(*b*) » Sublatâ imperii æmulâ, non gradu, sed præcipiti cursu, a virtute » descitum, ad vitia transcursum." *Vellej. Paterc.* l. 2.

(*c*) Huc etiam referri posset, quod illud, quod nos vocare solemus, *Esprit de Corps*, hocce tempore eos conjungere cessavit. Plebeji sc. non vehementer illo tenebantur amore ordinis sui, quo antea. Verissime dixit Montesquivius: » La tyrannie d'un prince ne met pas un état plus près de sa ruine que l'in» différence pour le bien commun n'y met une république." *Gr. et Déc. des Rom.* c. 4. Idque si de totâ rep. verum sit, quidni de singulis partibus verum esset?

penes Patricios fuerit; qui ita ambitionis studio indulgentes, quavis ratione in pauperiores sævire cœperunt, et quoquomodo eos premere. Ita cum agrorum possessio maximâ parte penes ditiores esset, et pauperes gravi ære alieno premerentur, Gracchi, ad Tribunatum Plebis evecti, antiquam æqualitatem restituere conati sunt, et, nimiâ senatûs auctoritate rescissâ, Plebem in antiquam dignitatem restituere. Sed uterque ordo probavit remp., quæ vere ita vocari possit, interiisse. Antiquitus enim, quamvis contentiones haberentur summæ inter Senatum et Plebem, nullum tamen malum inde oriebatur, nec unquam civium sanguis in istiusmodi rixâ profusus est: nunc vero patres, dignitatis suæ, sanctitatis muneris Tribuni Plebis obliti, immemores magnæ viri virtutis, non puduit civem interficere. Plebeji contra causidicum non tantum deseruerunt, sed sponte quasi collum obtulerunt jugo a Patriciis iis imposito.

Gracchorum hæcce cædes bellis civilibus opportunitatem præbuit. Nam licet superiores viderentur Patricii, populi *partes* (*d*) ad breve tempus oppressæ potius erant, quam omnino exstinctæ: » Serpit deinde res, quæ proclivius ad perniciem, cum semel » cœpit, labitur," ut eleganter dixit Cicero de eâdem seditione agens (13). Plebs novum ducem Marium nacta est, qui maxima patriæ damna intulit, quique tandem Patriciorum factioni, cui præerat Sylla, cedere debuit. Ex disrupto igitur in civitate æquilibrio tyrannis orta est. Etenim nec Marius, neque Sylla factionis suæ curabat victoriam, sed suam quisque spectabat auctoritatem (14), et sibi tyrannidem quærebat, hic per Optimates, ille per Plebem. Jure ergo merito de bellis civilibus earumque sequelis dixit Cicero: » Omnia sunt misera in bellis civilibus: quæ

(13) In *Laelio* c. 12. (14) Sallust. *B. C.* c. 38.

(*d*) *Partes* dico; nam adeo misera evaserat reip. conditio, ut qui fratrum instar conjuncti esse debuissent, se invicem dilacerarent: » Hoc deerat unum » Populi Romani malis, jam ut ipse intra se *parricidiale* bellum domi stringe- » ret, ut in Urbe mediâ ac foro, quasi harena, cives cum civibus suis fac- » tiatorio more concurrerent." Flor. III. 21.

» majores nostri ne semel quidem, nostra ætas sæpe jam sensit; » sed miserius nihil, quam ipsa victoria : quæ etiamsi ad meliores » venit, tamen eos ipsos ferociores impotentioresque reddit; ut » etiamsi naturâ tales non sint, necessitate esse cogantur. Multa » enim victori, eorum arbitrio, per quos vicit, etiam invito, fa- » cienda sunt" (15). Et hujus dicti veritatem satis probavit et Marii et Syllæ dominatio, qua omnia divina et humana violata sunt (16). Marius imprimis, legibus spretis, infimis et vilissimis hominibus summos magistratus deferebat, ut remp. subverterent et effrenatæ multitudini quævis et nobiliorum et ditiorum capita possessionesque concederent. Quamvis vero post Syllam resp. antiquam formam assumsisse videretur, et major ordo rebus inesset, misera tamen erat reip. conditio, pravissimi mores et magis magisque ad interitum vergebat civitas. Verbo, tempore Ciceronis virtutes civiles interierant, quibus Romani ad tantum gloriæ fastigium pervenerant (17). Et: » pro pudore, pro abstinentiâ, » pro virtute, pro audaciâ, largitio, avaritia, vigebant" (18); ita ut aliter fieri non potuerit, quin multi idem facere tentarent, quod nonnullis jam cesserat, ut sc. summam rerum ad se trahere studerent. Et talem auctoritatem sibi vindicasse Cæsarem, historia docet. Romani vero jam adeo ad servitutem erant informati, apti fere dixerim, ut post interfectum Cæsarem, liberi non essent Romani, neque tamen adesset tyrannus (19).

Quantam vero efficaciam habuerint bella ista civilia in puerorum institutionem, satis liquet; eamque admodum neglectam fuisse facile quisque sentit. Sed cum eâ de re mox nobis agendi locus, primum videamus de iis negotiis, versus quæ dirigebatur educatio, quippe quibus ad summum honorem adscendere possent homines. — Supra vidimus ante Bellum Punicum II. agriculturam et bellum maximo loco habita fuisse, et maximi factos esse qui hisce rebus excellerent. Postea vero alia obtinuit ratio, cum homines, ruré

---

(15) Ep. ad Div. IV. 9. (16) Cf. Montesquieu, *Gr. et Dec.* c. 11.
(17) Cf. Cicero pro *Coelio.* c. 16 seqq. (18) Sallust. *B. C.* c. 5.
(19) Cf. Montesq. ll. c. 12. unt.

relicto, in urbem migraverant. Tum enim agricultura primum in desuetudinem, postea in contemtum abiit; ita ut patres familias, falce et aratro relictis, intra murum correpserint, et in circis potius ac theatris sederent, quam in segetibus et vinetis manus moverent (20). Quod ad res militares attinet, a Mario primum et mox a Cæsare, tota fere militiæ ratio immutata est: quod probat Salmasius (21). Primis temporibus ex infimâ civium classe nulli milites legebantur, nisi summâ necessitate urgente (22). Marius vero milites scripsit, non more majorum, neque ex classibus, sed uti cujusque libido erat, capite censos plerosque (23); quod certe non eo valuit, ut studium militandi augeretur, sed contra eum effectum habuit, ut militia contemneretur. Milites autem magis ad unam alteramve factionem pertinebant, et tyrannidis potius satellites erant, quam patriæ propugnatores haberentur. Illud enim jus quod antea penes paucos fuerat, nunc ad exteros et viles homines transiit. Sed hæc non valent de temporibus ante Marium: et universe observandum videtur, Romanos nunquam proprie bellum et res militares sprevisse, cum naturâ ipsi suâ ad hæcce negotia ferrentur. Quare Cicero expresse docet, præter eloquentiam, peritiam circa res militares ad summos in civitate honores adducere. Exponit igitur quænam fuerint negotia, quæ suo tempore ad dignitates adducerent cives, hisce verbis: » Duæ sunt artes, inquit, quæ possunt locare homines in amplis- » simo gradu dignitatis, una imperatoris, altera oratoris boni, » ab hoc enim pacis ornamenta retinentur, ab illo belli pericula » repelluntur" (23*). Sed cum mirum alicui videri possit tantum tribuisse Ciceronem oratori, quid proprie fuerit eloquentia in civitatibus antiquis, quousque tetenderit oratoris munus, sequenti paragrapho exponere in animo habemus.

Primum tamen videndum de fœminarum conditione et universæ vitæ domesticæ habitu, hacce ætate. — Post bella punica

---

(20) Columella in *praef.* (21) De *Milit. Rom.* p. X. *Antiq. Rom. Graec.* (22) Gel. XVI. 10. (23) Id. ll. Sallust. *B. J.* c. 86. (23*) *Pro Murenâ* c. 14.

introductæ in urbem divitiæ et major cultus id effecerunt, ut Græcorum artibus maximopere delectarentur fœminæ, et eorumdem doctrinis ingenium suum ad omnem elegantiam et cultum componerent. Et hoc quidem tempore ad summum fastigium pervenerant: ingenii enim cultu non minus, quam morum probitate conspicuæ erant. Uterque autem sexus cum a rebus serioribus otio et vitæ sociali indulgere incipit, major obtinet familiaritas: homines magis secum invicem vivere incipiunt, et sæpius rebus jocosis, et quæ animum remittunt, sese tradere solent. Istiusmodi commutatio fœminis imprimis placere solet. Cum aliis versari amant: confabulatione, ludo, aliisque similibus rebus delectantur (24). Sed non raro fit, ut nimis indulgeant studio isti societatis, ita ut res domesticas parum curent: unde gravissima exoriuntur mala, imprimis liberorum educationis neglectus, quod apud Romanos etiam obtinuit. Fœminæ enim magis magisque elucere cupientes, ingenium exornare studebant, et literarum studio atque peritiâ inclarescere. Virtutes non unice sufficiebant, quibus per sex sæcula ornatæ fuerant, sed ingenio præcellere debebant. Unde factum est, ut celebritatem quandam nanciscerentur nonnullæ fœminæ: quæ, ut celebritatem hancce tuerentur, necessaria omittere debebant. Et quis dubitare posset, an istæ rem familiarem neglexerint? (25). Bellorum autem civilium tempore imprimis fœminæ multo majore libertate usæ sunt, neque ab iis, quæ dedecori olim fuissent matronæ Romanæ, nunc abstinere necesse ductum est (26). Cumque antea legibus fœminæ quam maxime intra domi parietes continerentur, et interdictum iis esset frequens cum viris commercium, unde factum est, ut modestiâ et temperantiâ excellerent; nunc vero semel superatâ illâ timiditate et verecundiâ, quæ eas retinebant, ad protervitatem et licentiam proruebant, ut sensim ita sensimque omnibus

(24) Cf. Millar, *Distinct. of Banks in Soc.* c. 1. sect. 6. impr. p. 96. et ibid. sect. 5. p. 82 seqq. (25) Thomas, *Essai sur les Femmes*, t. IV. p. 208. (26) Vid. Severus Cæcina apud Tacit. *Annal.* III. 33. »Quæ Oppius quondam, etc.

vitiis indulserint, et gravissime ita nocuerint toti reip. filiisque, qui iis obtemperarent (27), et universe haud parum contulerint ad mores corrumpendos (28). — Jam præterlapsa erant illa tempora, quibus » animi virorum et fœminarum vigebant in civitate" (29), jam pleræque mulieres » sic luxu et inertiâ diffluebant, ut ne » lanificii quidem curam suscipere dignarentur, sed domo seden- » tes confectas vestes fastidio haberent" (30). Jam fœminæ accusabantur de » libidinibus, amoribus, adulteriis, Bajis, actis, con- » viviis, commessationibus, cantu, symphoniis, navigiis" (31), cæterisque similibus, et sese maritorum potestati subtrahere conatæ sunt (32). Ita ut necessario hæcce fœminarum morum corruptela multum addere debuerit corruptioni, quæ jam obtinebat. Audiamus Senecam, » Pudorem rei tollit multitudo peccantium, » inquit, et desinit esse probri loco commune maledictum. Num- » quid jam ulla repudio erubescit, postquam illustres quædam » ac nobiles fœminæ non consulum numero, sed maritorum annos » suos computant, et exeunt matrimonii causa, nubunt repudii" (33). Nec injuria Cato patriæ suæ fatum deplorat, cum perditos mores popularium suorum respicit (34), et comparat artes, quibus ad tantam potentiam pervenerint majores sui (35), cum tristi conditione civitatis suo tempore — Tanta igitur fœminarum fuit vis in mores civium, et ita vita domestica corrupta est: omnia studia in voluptates et delicias collocata sunt. Desiit operibus intenta, civis patriæ utilis esse, matrona Romana. Ad hoc usque tempus in officiis domesticis sedulo curandis fœminea gloria posita fuerat, nunc vero gloria ista contemta jacebat. Uxor officia erga maritum negligebat, maternam curam omittebat. Maritus, qui et ipse corruptus erat, sua parum curans, ad quævis alia potius, quam ad res domesticas, animum attendebat, ut ita liberi a parentibus

---

(27) De Sassiâ, Cluentii matre ejusque auctoritate in filium, vid. Cic. *pro Cluent.* c. 5 seqq. (28) Vid. Seneca *De Benef.* III. 16. (29) Val. Max. IV. 4. 9. (30) Columell. c. 12. sub fin. (31) Cic. *pro Cœlio*, c. 15. (32) Id. pro Murenâ, c. 12. cf. *pro Caecin.* c. 25. (33) *De Benef.* III. 16. (34) Ap. Sallust. *B. C.* c. 52. (35) Cf. Cic. *pro Rosc. Amer.* c. 18.

relicti, pessime educarentur, et numquam rectâ viâ instarent, vel cito ab eâ recederent.

Superest, ut de Literarum conditione videamus. De peculiaribus vero Literarum generibus agere, cum majoris ambitûs sit negotium, quam quod paucis verbis absolvi posset, observationes tantum quasdam hic proponendæ erunt, unde effici possit Literarum vis in juventutis institutionem: de eloquentiâ autem uberius disserendi erit locus sequenti paragrapho.

Litteræ apud Romanos excoli cœperunt inde a bellis punicis: imprimis vero ab illo tempore, quo primum Græcis innotuerunt. Crates Mallotes, ab Attalo, Pergami rege, A. U. 586 legatus ad senatum missus, primum studium Grammatices in urbem intulit, et Romanis fuit exemplum ad imitandum (36). Anno vero 598 U. C. Carneades Academicus, Diogenes Stoicus et Critolaus Peripateticus Romam ab Atheniensibus missi sunt, et nobiles juvenes, qui undique ad eos audiendos confluebant, Græcas disciplinas, eloquentiam maxime et philosophiam, docuerunt. Per Græcos igitur factum est, ut Romani existerent, qui cum ipsis Græcis comparari mererentur. Ex hac enim Græcorum consuetudine exstitit uterque Scipio, C. Lælius, L. Furius aliique, qui non tantum gloriâ clari, vel auctoritate graves erant, sed etiam humanitate politi (37). Græci tamen non ante Bellum Punicum II. publice docuisse videntur: et post hocce bellum demum Romæ patuerunt Rhetorum, Grammaticorum et Philosophorum scholæ, et nobiles Romani secum habebant magistros Græcos, qui ad majorem humanitatem et urbanitatem eos componerent. Lingua, quæ antea rustica et rudis fuerat, sensim politior et gratior facta est: atque ita jam Ennii ætate mitius quoddam splendidiusque dicendi genus exstitit (38). Et eâ in causâ, ab hoc inde tempore, distincta est educatio puerorum e Patriciis parentibus et Plebejis natorum, quod hi antiquum loquendi morem servarunt, illi con-

---

(36) Suetonius, *De Illustrib. Gramm.* c. 2. (37) Cic. *De Orat.* II. 37.
(38) Id. *Brut.* c. 20.

tra pure et eleganter loqui didicerint. Quod sane magno eloquentiæ emolumento accidit. Nam magni interest, quos quisque audiat quotidie domi, quibuscum loquatur a puero, quemadmodum patres, pædagogi, matres etiam loquantur (39). Multi Grammatici et Rhetores, quos recenset Suetonius (40), celebritatem nacti sunt, et Literarum studium adeo increvit, ut pretia grammaticorum immensa, eorumque mercedes permagnæ fuerint. Gratia autem curaque artis adeo increvit, ut ne clarissimi quidem viri abstinuerint, quominus et ipsi aliquid de eâ scriberent: utque temporibus quibusdam supra XX celebres scholæ fuisse in urbe tradantur (41). Magnoque studio hominibus injecto, magna etiam professorum ac doctorum profluxit copia, adeoque floruit, ut nonnulli ex infimâ fortunâ in ordinem senatorium atque ad summos honores processerint (42). Illi autem grammatici non literarum initia docebant, aut syntaxeos, quæ dicitur, disciplinam (hoc enim ad grammatistas pertinebat), sed per omnes elegantiorum literarum partes libere vagabantur, et cum publice discipulis suis scriptores interpretabantur, tum privatim eos doctissimis commentariis illustrabant, atque vera a falsis discernebant. Inde sponte patet, istiusmodi scholas maximam vim in linguæ puritatem atque elegantiam habuisse, et totam hancce magis magisque ad Græcorum exemplum informatam esse: quorum scripta Romanis adeo placebant, ut nemo fere cultior iis non operam daret. Tandem apud Romanos illud obtinuit, ut studium pure, apte et suaviter dicendi novum quasi colorem sermoni conciliaverit, quo reliqui Latini, Romæ non degentes, destituti essent, quod *urbanitatem* vocarunt: cujus vocis eadem apud Romanos vis fuit, quam apud Græcos *Atticismi* (43).

Eodem tempore Romæ exstiterunt Poëtæ, quorum ope linguæ non parum excoli solent et locupletari. Nam etiamsi sub finem primæ ætatis poësis meliore jam loco haberi cœpta sit, neque

---

(39) Id. ll. c. 58. et *De Orat.* III. 12. (40) Vid. ll. c. 2 et 3. et *De Clar. Rhet.* init. (41) Id. *De Ill. Gramm.* c. 3. (42) Id. *De Clar. Rhet.* c. 1. p. 974. ed. Oudendorp. (43) Cf. Cic. *De Orat.* III. 2.

Livius Andronicus tamen, neque Nævius cum Ennio comparandi erant (44). Hunc plures secuti sunt: ita ut post Bellum Punicum II, poësis apud Romanos maximo pretio haberetur (45). Sed ne plura de poësi dicam, facit locus classicus apud Horatium (46); eamque hacce ætate summum fastigium attigisse satis declarat ingens ille excellentium poëtarum numerus, quorum fama et scripta ad nos pervenerunt. — Et historiam conscribendo immortalem laudem sibi nactos esse Romanos nemo nescit. Historici enim, qui hocce temporis spatio exstiterunt, tales fuerunt, ut merito referantur inter ornamenta aurei hujus sæculi Literarum Latinarum.

Jurisprudentia etiam hacce ætate floruit: qua de re si forte quisquam dubitet, Catonis, Sempronii, Coruncanii, Crassi, Scævolarum, Bruti, Manilii, Ciceronis nomina retulisse sufficiet (47).

Philosophiæ studium a nobili illâ philosophorum legatione, de qua modo vidimus, repetendum est. Nam licet sapientiæ studium veteribus Romanis inesset, ante Lælii ætatem et Scipionis non reperiebat Cicero, quos appellare posset nominatim (48). Plerique Romani initio secuti videntur sectam Stoïcam, quam profitebatur Diogenes. Ciceronis ætate multi sequebantur Academiam, quales fuere Lucullus, Cotta, Varro, Brutus et alii. Huic etiam sectæ addictus erat Cicero. Floruit etiam philosophia Epicurea, ejusque sectatores totam Italiam occupabant. Eorum autem, qui eam Ciceronis tempore secuti sunt, principes fuerunt Lucretius, Atticus, Torquatus et Velleius.

---

(44) De Ennii meritis vid. Horatius *Ep. ad Tit.* v. 56. cf. Cic. in *Brut.* c. 18. et *Orat.* c. 51. (45) Vid. notus ille versiculus ap. Gellium XVII. 21. De poëtis cf. Harles, *Introd. ad Hist. Liter. Rom.* p. 194. (46) *Epist.* II. 1. v. 158 seqq. (47) De Jctis hujus ætatis vid. Bachii, *Hist. Jurispr.* l. 2. c. 2. sect. 4. § 17 seqq. et Harles ll. p. 1. § 22. p. 269 - 280. (48) *T. Q.* IV. 3.

§ II.

PUERORUM EDUCATIONIS ET INSTITUTIONIS RATIO HACCE ÆTATE.

Initia hujus ætatis plurimum differre ab ejusdem exitu, ex supra dictis apparet: longeque adeo diversam fuisse institutionem, quam acceperunt pueri sub Catone, ab illâ, qua eruditi sunt sub Cæsare, me etiam tacente, facile quisque videbit. Quare in utriusque conditione exponendâ, in hacce ætate tempora quædam distinguenda essent, quæ maxime sese distinguant a præcedentibus ratione educationis. Hoc autem cum diutius immorari coacti simus, multa leviter nobis erunt adumbranda, plurima etiam, quæ minoris sint momenti, mittenda. Parum enim satisfactum iri censemus virorum clarissimorum desiderio, si jejunâ ratione enarremus minima quæque apud scriptores de educatione obvia. Præstare duximus, si de universo habitu educationis institutionisque apud Romanos philosopharemur. Quare hîc omittenda duximus, quæ primo capite de utraque jam exposuimus, quæque hacce ætate eadem, vel fere eadem, remanserint. De iis autem, quæ majorem immutationem subierint, vel plane nova introducta sint, uberius disserendum erit.

Duo potissimum tempora hîc distinguenda videntur, tempus sc. quod ante Syllam, et quod inde a Syllâ usque ad Augustum elapsum est. Post Bellum Punicum II. omnia magis ad elegantiam sunt composita, uti supra vidimus: mores aliunde in civitatem introducti, antiquam liberorum instituendorum rationem multum immutarunt, eamque magis ad cultum et decorum, ad externam quandam elegantiam retulerunt: antea unice *bonum* expetebant Romani, nunc *pulchrum* etiam requirebatur. Et universe observare liceat, institutionem tunc optimam fuisse et ad pulchra

quæque et magna homines adducere potuisse. Nam morum corruptela, quæ obtinuit, non nisi sensim sensimque vim suam in educationem exserere cœpit: ita tamen, ut post Bellum Punicum II. jam multa introducta sint, quæ minus probanda videntur. Ita e. g. fœminæ nonnumquam rei familiaris et liberorum curam negligebant, ut ingenium ornarent suum, et litteris operam darent (1). Hoc vitium magis magisque frequens evasit, et immemores erant, vel parum curabant fœminæ poëtæ illud:

„ Γυναικὶ γὰρ σιγή τε καὶ τὸ σωφρονεῖν
„ Κάλλιςον, ἔισω δ' ἥσυχον μένειν δόμων." (2)

Licet initio hujus ætatis eadem fuisse videantur exercitationum genera, quibus informabatur ætas puerilis et juvenilis, multa tamen aliunde in civitatem irrepserunt, quæ præcipuis viris improbanda videbantur. Ita Scipio Africanus Æmilianus ægerrime tulit, quod cum in ludum saltatorium ductus esset, ibi 50 fere pueros virginesque viderit, et in his unum puerum bullatum (adeoque nobilem), petitoris filium, non minorem annis duodecim, cum crotalis saltare (3). Quod ad ritus et cæremonias attinet, quos in puerorum natalibus observari supra vidimus, iidem illi remansisse videntur: nam omnia, quæ ad sacra pertinerent, religiosissime servabant Romani, impium ducentes in rebus Divinis quidquam innovare. Educatio autem puerilis non magnas commutationes subiit, nisi forte quod minus anxie a pueris remoti sint, qui iis nocere possent: et, cum sæpius matres abessent, qui educationi præessent, non tantâ curâ ad liberorum mores animum attenderent.

Quo magis homines expoliuntur et cultu procedunt, eo magis patria potestas imminui solet. Pater enim, quo magis alios homines frequentat, sensim sensimque ad aliorum mores sese componit, non adeo omnia ad se referre solet: majori *caritate* erga consanguineos, imprimis erga liberos, ducitur, et non adeo pro-

---

(1) Sallust. *B. C.* c. 25. Horat. *Od.* III. 6. et Nitsch. l. 3. sect. 2. § 16.
(2) Eurip. *Heracl.* v. 477. (3) Macrob. *Saturn.* II. 10.

pensus est ad jus suum in eos exercendum. Ab alterâ parte liberi majori libertate fruuntur: non unice a patre pendent, nec hujus vivendi genus sequuntur, sed quisque ad illa negotia potissimum sese applicat, ad quæ naturâ suâ ducitur: domum paternam deserit, aliis parere solet, ad aliorum mores informatur: quæ omnia eo valent, ut filius paternâ auctoritate excidat (4). — Idem apud Romanos obtinuit. Patres filiis majorem libertatem concedebant, ab antiquâ in eos severitate remittebant, et familiariter magis cum iis degebant (*a*). Et universe hacce ætate obtinuit, ut majores natu multo magis cum ætate minoribus versarentur, quam antea. Ita Cato Uticensis puer cum aliis puerulis intererat festo, quod quidam ex gente suâ ætate jam provectior, natali suo die, celebrabat: ibique pueri et adolescentes commixti ludebant (5).

Cæterum hoc constat, et educationem et institutionem ante Syllæ tempora recte sese habuisse, et parentes id præsertim egisse, ut filii imbuerentur artibus et scientiis, quæ a Græcis ad Romanos transierant. Et universe maximâ diligentiâ liberos curarunt, quod de Æmilio Paulo v. g. et de Catone constat. Ille enim, teste Plutarcho (6), φιλοτεκνότατος omnium Romanorum erat, et nullâ impediente re publica, semper aderat filiorum suorum exercitationibus. Nec tantum eos institui curavit disciplinis patriis, verum etiam majori sumtu doctrinis Græcis: et præterquam quod grammatici, rhetores et sophistæ eos litteras docerent, voluit

(4) Cf. Millar ll. c. 2. sect. 2. p. 129 - 133. (5) Plut. in vit. § 2. t. 7. p. 130. Ed. m. Plura similia negotia in vitis suis refert Plutarchus: quæ quamvis primo adspectu nullius videantur momenti, tamen minime sunt negligenda. Et licet cæterorum historicorum, Livii, Taciti, Flori aliorumque laudibus nil detraham, eâ in causâ tamen Plutarcho postponendi sunt, quod hic fere adhibuerit, quæ in quaque gente servarentur scripta, sive commentarios, quibus memoriæ prodita erant, quæcumque hujus gentis viri, qui celebritatem nacti essent, memorabilia vel fecissent vel dixissent: unde ex Plutarcho optime cognoscimus antiquorum Romanorum res domesticas, quibus commentariis destituti fuisse videntur cæteri historici. (6) In vitâ § 6. in fin. t. 3. p. 55.

(*a*) Cato Major dicere solebat, eos qui uxores aut liberos verberarent, in sanctissima negotia manus inferre. Plut. in vit. § 20. t. 3. p. 274.

etiam ut sculptores, pictores, homines qui equos regerent, venatores, et qui feras caperent, iis adessent. Cato vero, ubi ei filius natus esset, quævis statim negotia relinquebat (publicis tantum exceptis), ut conjugi adesset, quum puerum lavaret, eumque fasciis involveret. Ipsa enim filium nutriebat, et sæpe mammam filiis servorum dabat, ut hi fratrum instar filium diligerent, quippe qui eodem lacte nutriti. Et cum eo pervenisset filius, ut rationis capax esset, ipse eum litteras docuit, licet servum haberet Chilonem, moribus sese commendantem, et probabilem grammaticum, qui multos præterea nobilium filios instituebat. Nolebat enim (ut ipse dicebat) filium opprobriis a servo peti, eumque aures pueri vellere, si tardior esset in discendo: et ferre non poterat filium servo debere quidquid in disciplinis profecisset; sed ipse ei præfuit *Literator* (γραμματιστής), ipse juris magister, et ipse ei præfectus exercendo erat. Non tantum eum jacula mittere docebat, armatum pugnare et equo vehi, sed ad pugilationem, (τῇ χειρὶ πύξ παίειν) eum instituit, calorem et frigus perferre, atque natare. Historias ei ipse conscripsit majoribus litteris, ut domesticâ jam disciplinâ antiquorum peritiam contraheret. Imprimis de eo cavebat, ne, puero præsente, turpia auditu diceret, ac si adesset virgo Vestalis (7).

Disciplina militaris ante Syllam non neglecta est. Constat enim Scipionem Africanum (8), cum 17 ætatis annum attigisset, in castra profectum esse. Idem de Catone Majore affirmat C. Nepos (8*), ut alia exempla taceam: quin Plutarchus expresse dicit, juvenes in castris militare solitos fuisse, » ut aliquando imperatoriam » dignitatem nancisci possent" (9). Licet ex eodem Plutarcho etiam appareat juventutem luxu jam emollitam fuisse, et a labore aversam (10), atque eloquentiam (*b*) armis prætulisse (11). Ita ut,

(7) Plut. in *Caton. Maj.* § 20. t. 2. p. 274 et 275. (8) Scipionis Africani vita in editione meâ Plutarcheâ deest. Locus ad quem respicio obvius est in versione Amyoti, t. 12. p. 103 et 104. (8*) In vit. c. 1. cf. Plut. in vit. § 1. t. 3. p. 246. (9) In *Flaminio*, § 1. t. 4. p. 52. (10) *Cato Maj.* § 4. t. 3. p. 250 et 251. (11) Id. Ibid. § 4.

(*b*) Quam ob causam de Fabio Maximo memoriæ prodidit Plutarchus: » eum

teste Plutarcho (12), Marius magis educationem militarem, quam civilem habuerit. Post Bellum Punicum III. patricii et equites militiam detrectabant, et privata institutio apud nobiliores in majori honore habebatur. Ex postremo hocce factum est, ut pædagogi spe libertatis incitati vulgo aut puerorum laudatores (*c*), aut sæpe corruptores essent.

Liberorum autem cura et educatio post Syllam servis relicta est, et magis magisque adolescentes neglecti sunt (13). Etiamsi juvenes optimâ essent indole; quid ex iis boni sperari atque effici poterat, qui in patris luxuria sic vixerant, ut nullum unquam pudicum neque sobrium convivium viderent? Qui in epulis quotidianis, adultâ ætate, semper inter impudicas mulieres et intemperantes viros versarentur, nihil unquam a patre audirent, quo prudentiores aut meliores fierent? Nam verum quidem est, Epicuri sectam, quæ maximopere hocce tempore Romanis placebat (14), noxios habuisse affectus, quia cives a reip. administratione avocebat, et amorem ita patriæ minuebat: qui merito in antiquis rebuspubl. prima virtus esse habebatur (15); sed magis etiam vitia parentum. Quare Cicero jure Metello, qui filium male educaverat, exprobrat: » hisce in rebus non solum filio, verum etiam » reip. fecisti injuriam; susceperas enim liberos non solum tibi, » sed etiam patriæ: qui non modo tibi voluptati, sed etiam qui » aliquando usui reip. esse possent. Eos instituere atque erudire » ad majorum intituta atque civitatis disciplinam, non ad tuas » turpitudines debuisti. Esset ex inerti atque impuro, et improbo

---

(12) In *Mario*, § 2. t. 4. p. 124. et in comp. (13) Cf. impr. Nitsch. ll. l. 3. sect. 2. § 39. (14) Montesquieu, *Gr. et Déc.* c. 10. (15) Cf. Cic. *De Offic.* I. 17. et 45.

» et corpus exercitare solitum fuisse, et eloquentem sese reddere studuisse", cum eo a cæteris discreparet. In vita § 1.

(*c*) Recte Plato: » *κόλαξ, δεινὸν θηρίον καὶ βλάβη μεγάλη: adulator gravissima bes-» tia et magna calamitas.*' In *Phaedr.* 240. B. Vere item Plut. *De Lib. Educ.* c. 17. p. 46 et 46. (ed. Wyttenb.) » Genus hominum, *inquit*, adulatoribus pes-» tilentius nullum est, neque quod magis ac celerius juvenes in perniciem » præcipitet."

» parente natus et prudens et probus filius; haberet aliquid abs » te resp. muneris etc." (16). Et cum perditi adeo essent civium mores, merito ad amicos scripsisse videtur Cicero: nullum reip. munus afferri posse majus meliusve, quam si cives liberos suos educarent (17). — Adolescentes nobiliores, Ciceronis jam tempore, infra se esse sæpe existimabant ad claros se et sapientes viros conferre, quibuscum si frequentes essent, opinionem afferebant populo, se eorum fore similes, quos sibi ipsi delegissent ad imitandum (18). Sed nobilitate suâ et majoribus freti (19), sponte summos sibi existimabant honores delatum iri: aut majorem ingenii et gloriæ, quam animi sui et patriæ, curam habentes, summam ingenii rerumque gestarum laudem quærebant, parum solliciti, qua ratione sui voti fierent compotes: iidemque fere communi corruptelâ infecti, voluptatibus et luxuriæ dediti erant: quibus ut indulgerent, ære alieno se obruebant. Unde ut se aliquando emergerent, rebus continuo novis studebant, aut facile se iis adjungebant, qui remp. conturbare, et antiquam civitatis formam subvertere profitebantur: quod exemplis Syllæ, Catilinæ, Pompeji, Cæsaris, Antonii aliorumque satis comprobari possit. Timiditatis autem causa aut mollitiei a bello abstinebant, aut si sub uno alterove duce militarent, exercitibus majori erant detrimento, quam adjumento (20). Olim ingens fuit copia talium virorum in Romanâ rep., quorum cognita esset virtus, industria, felicitas in re militari: quæ cum esset, eorum non modo saluti, sed etiam honori consulebatur. De temporibus vero suis audiamus Ciceronem: » Quid nunc vobis faciendum est, judices, *inquit*, » studiis militaribus apud juventutem obsoletis: hominibus autem » ac summis ducibus partim ætate, partim civitatis discordiis ac » reip. calamitate consumtis? cum tot bella aut a nobis necessario » suscipiantur, aut subito atque improvisa nascantur? nonne et » hominem ipsum ad dubia reip. tempora reservandum, et cæ-

(16) Id. in *Verrem* III. 69. (17) Id. *ad Fam.* II. 2. (18) Id. *De Offic.* II. 13. (19) Id. *pro Plancio.* c. 5. (20) Hujus rei exempla habentur apud Cæs. *de Bell. Civ.* I. 40. et III. 95, ut alia taceam.

» teros studio laudis ac virtutis inflammandos putatis? . . . .
» Age vero, nunc inserite oculos in curiam, introspicite penitus
» in omnes reip. partes: utrum videtis nihil posse accidere, ut
» tales viri desiderandi sint? an, si acciderit, eorum hominum
» copia populum Romanum abundare? etc." (21). Verbo, peritiæ militaris, eloquentiæ, jurisperitiæ, quæ olim ad primores in civitate pertinerent, splendor tota interiit (22). — Antea per integrum annum versabantur juvenes in conspectu civium, ut sese iis commendarent; Ciceronis vero ætate, nisi mos ille plane in desuetudinem abierit, adolescentes tamen sæpius post togæ virilis officium in castra proficiscebantur (23).

Quamvis corrupta universe fuerit institutio, et a rectâ viâ deflexerit, illustria tamen nobis exempla servavit historia juvenum, qui optimâ fructi institutione, immortale nomen et per omnia sæcula duraturam famam sibi consecuti sunt. Ita e. g. Sertorius a matre summâ curâ institutus, pluribus dotibus excelluit (24): idem de Octaviano constat, qui maternâ Atiæ disciplinâ doctus est (25). Eoque valuerit celeberrimæ Corneliæ cura, ut Gracchi
» optimi essent Romanorum et ad virtutem potius viderentur
» instituti, quam nati" (26). — Et universam Romanæ reip. historiam si consulamus, ingens sese nobis offert numerus virorum, qui et ingenii dotibus, et quarumvis rerum peritiâ in admirationem nos rapere solent. » Marcus Censorius Cato, inquit Quinc-
» tilianus, idem orator, idem historiæ conditor, idem juris, idem
» rerum rusticarum peritissimus, inter tot operas militiæ, tantas
» domi contentiones, rudi sæculo, Litteras Græcas, ætate jam
» declinatâ, didicit, ut esset hominibus documento, ea quoque
» percipi posse, quæ senes concupissent. Quam multa, imo pene

---

(21) Cic. *pro Font.* c. 15. cf. *pro leg. Man.* c. 10. et passim *pro Muraena*, *pro Flacco*, passim. (22) Vid. Cic. *Brut.* c. 6. *De Offic.* II. 19. *pro Coel.* c. 19. et alibi passim. (23) Vid. id. *pro Coelio.* c. 5. ibique Grævius cf. Meierotto, *Ueber sitten und lebensart der Röm. in versch. zeiten der rep.* t. 1. p. 62 seqq. (24) Plut. in *Sertorio* passim. (25) Dial. *De Orat.* c. 28. (26) Plut. in *Gracch.* § 1. t. 8. p. 2.

» omnia tradidit Varro? quod instrumentum dicendi Tullio defuit? quid plura? cum etiam Corn. Celsus, mediocri vir ingenio, » non solum de his omnibus conscripserit artibus, sed amplius » rei militaris, et rusticæ etiam, et medicinæ præcepta (*d*) reliquerit? dignus vel ipso proposito, ut eum scisse omnia illa » credamus" (27).

Supra vidimus, hacce ætate duas fuisse artes, quæ collocarent homines in amplissimo gradu dignitatis: alteram oratoris boni, alteram imperatoris. Primum videamus de imperatore. — Observemus primo loco, distinguendum esse militem ab imperatore. Superiore ætate vidimus, omnes cives fuisse milites, et in militiâ maximam operam collocasse Romanos, atque universos facile eo pervenire potuisse, ut exercitibus præessent, cum bella fere et minoris essent momenti, et per brevius tempus durarent. Nunc vero Romani bella gerere cœperunt cum exteris et remotioribus populis, qui *tacticam* (ut barbarâ hacce voce utar) habebant. In ducibus ergo non fortitudo tantum requirebatur, sed alia majora, ut paribus viribus cum hostibus pugna committi posset. Post Bella punica imprimis facultas exercitibus imperandi in *artem* converti cœpit, ad quam instituebatur juventus. Nam præter virtutes Imperatoris, quæ erant labor in negotio, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo (28), præterquam quod quis virtutem, auctoritatem et felicitatem habere deberet, ut exercitibus præesse posset, etiam scientiam rei militaris habere debebat (29), quæ multis magnisque rebus constabat. Nam artis imperatoriæ tria esse velut principia, dixit Polybius: *usum rerum bellicarum, historiam et notitiam certarum rerum viâ et ratione partam;* ad postremum principium refert *cognitionem disciplinarum mathematicarum*, maxime autem astrologiam et geometriam (30): quæ negotia majoris sunt ambitûs, quam ut intra

---

(27) J. O. XII. 11. p. 1112. (ed. Burmann.) cf. Plinius *H. N.* VII. a cap. 16 - 37. et Val. Max. passim. (28) Cic. *pro Leg. Man.* c. 11. (29) Id. Ibid. c. 10. (30) Vid. Polyb. IX.

(*d*) Quæ hodie exstant.

paucorum annorum spatium earum scientia contrahi potuisset. Quare a pueritiâ iis imbuebantur, qui ad gloriam militarem adspirarent. Eadem vero illa cum difficilius etiam explicentur, ad oratorem potius transeundum esse censemus, et primo loco breviter videbimus de eo, quid proprie fuerit eloquentia antiqua, tum quousque patuerit, quænam ejusdem fuerint opportunitates, imprimis in republ. Romanâ hacce ætate, enarrabimus, ut postea videamus de ipsis oratoribus earumque institutione.

Ut antiquæ eloquentiæ habitum atque rationem nobis ante oculos ponamus, id imprimis agendum est, ut prorsus nos insinuemus in antiquum ævum, iis relictis, quæ ad nostros mores, nostraque instituta pertineant (31), quippe quæ toto cœlo diversa sunt ab agendi vivendique ratione, quæ in antiquis rebuspubl. obtinebant. Nam præterquam quod hodie nostræ eloquentiæ non idem tribuatur honos, qui apud antiquos ipsi tribuebatur, opportunitates fere desunt. Habentur sane regiones, imprimis Anglia, ubi permultæ sunt eloquentiæ opportunitates, quæ in patriâ nostrâ et per universam Europam sensim paullatimque existunt. Habemus certe eloquentiæ genus, Veteribus ignotum, et unum in paucis ad ejus gravitatem et majestatem accomodatum, sacram dico eloquentiam. Sed quis non videt hasce eloquentiæ opportunitates longe alias esse, quam quæ apud antiquos aderant? Ibi enim oratores exstiterunt ex ipsâ civitatis constitutione, ac persuadendi commovendique studio ad suam dignitatem increvit eloquentia. Apud Græcos et Romanos erat *civilis*, et cum civitatis libertate et patriæ amore arctissime conjuncta. In hodiernis nostris *Regnis* summa rerum non penes populum est, non omnia quæ ad negotia publica pertinent in una eademque urbe peraguntur, absunt comitia, concionesque populi: abest igitur stimulus ille, quo antiqui oratores incitari solebant, ut suâ facundiâ universum populum incitare aut sedare, res summi momenti efficere aut prohibere, ipsam patriam vindicare, ipsamque liber-

(31) Cf. Francius orat. *de perfect. et consumm. Orat.* Orat. 15. p. 158 et 159.

tatem tueri possent (*e*). Modo dixi istiusmodi fuisse antiquarum civitatum constitutionem, ut ex ipsarum habitu eloquentia existere *debuerit*, quod jam probare conabor. Et primum attendamus laudes, quas illi tribuerunt antiqui. In hac enim celebrandâ tam multi sunt, ut infinitum sit colligere loca, quæ eo pertineant (32). Audiamus Virgilium de vi atque efficaciâ eloquentiæ canentem:

» *Ac veluti magno in populo cum saepe coorta est*
» *Seditio, saevitque animis ignobile vulgus;*
» *Jamque faces et saxa volant; furor arma ministrat:*
» *Tum, pietate gravem ac meritis si forte virum quem*
» *Conspexere, silent; arrectisque auribus adstant:*
» *Ille regit dictis animos, et pectora mulcet*" (33).

Quantâ curâ de eloquentiâ præcepta dederunt Cicero aliique! Quam egregie ejusdem artis (si re vera *ars* sit eloquentia, et non potius a naturâ, quam a doctrinâ, proficiscatur) utilitatem exponit Cicero: » Quid tam regium, *inquit*, tam liberale, tam munificum, » quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, » liberare periculis ....? Quid tamen necessarium, quam tenere » semper arma, quibus vel tectus ipse esse possis, vel provocare » improbos, vel te ulcisci lacessitus" (34). Eloquentiâ illâ virili et oratoriâ » parare simul et tueri amicitias, adsciscere rationes, » complecti provincias" poterant. Merito laudabat auctor dialogi de oratoribus (35) studium istud, » quo non aliud in civitate » nostrâ, *inquit*, vel ad utilitatem fructuosius, vel ad dignitatem » amplius, vel ad urbis famam pulcrius, vel ad totius imperii » atque omnium gentium notitiam illustrius excogitari potest. » Nam si ad utilitatem vitæ omnia consilia, factaque nostra di-

(32) Talia sunt, quæ dixit Cicero *De Orat.* I. 8. et 46. II. 8. 9. et 44. III. 6. et 14. *Bruto* c. 15. (33) *Æneid.* I. v. 148 seqq. (34) *De Orat.* I. 8. (35) C. 5. et c. 6.

(*e*) Hic profecto in censum venire debet diversa gentium indoles. Antiqui enim multo magis pulchri erant studiosi, fervidâ phantasiâ erant præditi, facilius commovebantur. Romani enim quamvis gravitate conspicui, in eo tamen longe differebant a populis septentrionalis Europæ, quod hi ad placidiorem rationem sint compositi: nos *deliberando* delectamur.

» rigenda sunt, quid erit tutius, quam eam exercere artem, qua » semper armatus præsidium amicis, opem alienis, salutem pe» riclitantibus, invidis vero et inimicis metum et terrorem ultro » feras, ipse securus et velut quâdam perpetuâ potentiâ ac po» testate munitus? cujus vis et utilitas, rebus prospere fluentibus, » aliorum præsidio et tutelâ intelligitur: sin proprium periculum » increpuit, non hercule lorica aut gladius in acie firmius mu» nimentum, quam reo et periclitanti eloquentiæ simul præsi» dium et telum, quo propugnare pariter et incessere, vel in » senatu, sive apud principem possis" etc. — Et quis adeo mirari possit juvenes vehementissimo eloquentiæ studio flagrasse, et quidvis dare cupivisse, ut ad oratoriam laudem accedere possent? Et non poterant non juvenes oratorem audire, qui totam hominum multitudinem, quoquo vellet, inflectere, quicquid obstaret, dejicere, quicquid resisteret, summovere, ubivis persuasionem et assentiendi studium excitare poterat, quin ad parem ipsi et persuadendi vim et gloriæ splendorem continuo adspirarent. Et non tantum in eloquentiâ summa erat laus, sed etiam summa utilitas, maximumque emolumentum situm. Ad oratoris enim munus plurimæ ex artibus pertinent (36): » Quam ob rem, *inquit* » Cicero, si quis universam et propriam oratoris vim definire » complectique vult, *is orator erit*, meâ sententiâ, *hoc tam gravi* » *dignus nomine*, *qui quaecumque res inciderit, quae sit dictione* » *explicanda, prudenter et composite et ornate et memoriter dicat,* » *cum quadam etiam actionis dignitate*" — Cum Cicero in loco, qui exstat in Orat. pro *Muraena*, ad quem respicimus (37), duo tantum memoret, quibus ad summos honores pervenirent homines; nonnullis videtur addendum tertium munus, *jurisconsulti* nempe (38). Sed equidem dixerim, duo hæcce, eloquentia et jurisperitia, adeo conjuncta fuisse, ut a se invicem separari non possent. Juris enim peritus, si nomen sibi nancisci vellet, necessario eloquens esse

---

(36) *De Orat.* I. 14. (37) c. 14. (38) Vid. Otto in dissert. de Vit. Serv. Sulpic. c. 3. § 1., quem laudat et sequitur Luzac in dissert. *de Hortensio*, sect. II. c. 1. § 1.

debebat. Ergo Crassus, eloquentium juris peritissimus ex jure civili tantum assumebat, quantum esset oratori satis: jurisperitorum eloquentissimus, Scævola, ex eloquentiâ illa hausit, quibus jus civile facile posset tueri (39). Unde satis patet, quam arcte utræque inter se connexæ fuerint. Ita Cicero etiam in libris *De Oratore* prolixe de juris scientiâ disputat (40), et expresse dicit: » nemo » studet eloquentiæ nostrorum hominum, nisi ut in causis atque » in foro eluceat" (41). — Tantoque honore Ciceronis ætate erant hæcce studia, » ut nemo feré laudis cupidus adolescens non sibi » ad dicendum studio omni enitendum putaret. Erant autem huic » studio maxima proposita præmia, vel ad gratiam, vel ad opes (*f*), » vel ad dignitates" (42).

Quod ad genera eloquentiæ attinet, hæcce ad tria referri optime possunt: quæ summo oratori omnia erant conjungenda, ut ea conjungit Crassus (43). Judicabant enim » nihil esse tam potens, tamque » magnificum, quam *populi* motus, *judicum* religiones, *Senatûs* » gravitatem, unius oratione posse converti", et statui posse *oratorem* illum, » qui in jure aut in *judiciis* possit, aut apud *popu-* » *lum*, aut in *Senatu* (*g*) copiose loqui" (44). Aderant igitur tria genera eloquentiæ. Erat enim vel *judiciaria*, vel *concionaria*, quæ constabat *suasionibus* et *dissuasionibus*, vel *senatoria*. Quæ singula genera singulis meditationibus et exercitationibus indigebant, si uni alterive se dicasset orator: sed uti modo dixi, pulcherrimum erat tria hæcce genera simul tenere.

Quod si quis forte miretur, in unâ civitate tot tamque egregias

---

(39) Cic. *Brut.* c. 38. - 40. *De Orat.* I. 36. (40) Vid. Crassus et Antonius apud Cic. *De Orat.* I. 37 - 46, 50 seqq. (41) Id. ll. II. 13. (42) Ibid. I. 4. (43) Ibid. I. 8. (44) Ibid. c. II.

(*f*) Cato sibi acquisivit eloquentiam, putans esse instrumentum necessarium ad *pulchra et magna* homini, qui obscure et remotus a rebus publicis vivere vellet. Plut. in *Caton. Maj.* § 1. t. 5. p. 246.

(*g*) Eandem conjunctionem memorat Crassus loquens » de orationibus *judiciorum, concionum, senatus.*" *De Orat.* I. 16. Et » Philosophia Epicuri, inquit (ll. III. 17.) nos avocat a *rostris*, a *judiciis*, a *curiâ*" et similia loca *De Orat.* III. 23. *De Offi.* I. 37.

eloquentiæ opportunitates adesse potuisse, nobis supersunt verba Auctoris dialogi de Oratoribus: » Magna eloquentia, sicut flamma, » materiâ alitur, et motibus excitatur, et urendo clarescit. Eadem » ratio in nostrâ quoque civitate antiquorum eloquentiam provexit. » Nam etsi horum quoque temporum oratores ea consecuti sunt, » quæ compositâ et quietâ et beatâ republ. tribui fas erat: tamen » istâ perturbatione ac licentiâ plura sibi assequi videbantur, cum » mixtis omnibus, et moderatore uno carentibus, tantum quisque » orator saperet, quantum erranti populo persuaderi poterat. » Hinc leges assiduæ, populare nomen, hinc conciones magistra- » tuum pernoctantium in rostris, etc." (45).

Jam breviter videamus de oratoris institutione. Juvenis, qui sese ad eloquentiam applicabat, debebat esse *bonus* (46). Quare inquit Auct. Dial, » Veteres intelligebant opus esse, non ut in rhe- » torum scholis declamarent, nec ut fictis, nec ullo modo ad ve- » ritatem accedentibus controversiis linguam modo et vocem exer- » cerent; sed ut his artibus pectus implerent, in quibus de bonis » ac malis, de honesto ac turpi, de justo et injusto disputatur. » Hæc enim est oratori subjecta ad dicendum materia. Nam in » judiciis fere de æquitate, in deliberationibus de honestate dici- » mus, ita ut plerumque hæc ipsa invicem misceantur. De quibus » copiose et varie et ornate nemo dicere potest, nisi qui cognovit » naturam humanam et vim virtutum, pravitatemque vitiorum, et » intellectum eorum, quæ nec in virtutibus neque in vitiis nume- » rantur" (47). Boni ergo pravique discernendi facilitatem habere debebat, eoque ab infantiâ assuefactus esse: ut et bonarum rerum studio duci, malas fugere debebat. Cæterum, præterquam quod quis naturâ suâ ad eloquentiam aptus sit (48), antequam publice *dicere* possit, plurimarum rerum scientiâ eum præditus esse necesse est, immo [teste Antonio apud Ciceronem (49)] » *Omnium rerum magnarum atque artium.*"

---

(45) C. 36 et 37. cf. c. 38. (46) Quinctil. J. O. XII. 1. p. 1044 seqq. ed. laud. et notæ ad h. l. cf. c. 2. (47) C. 31. cf. c. 32. (48) Cic. *De Orat.* II. 20. cf. 25 et 28. (49) Ibid. I. 6. cf. 5 et 28. II. 2. III. 31, 33, 34 et 35.

Numerum vero rerum oratori addiscendarum satis magnum esse, patet ex enumeratione, quam earum facit Cicero (*h*). Vult enim ut legat poëtas (50), cognoscat historiam (51), ut omnium bonarum artium auctorum scripta non tantum ei nota sint, sed ut etiam ea pervolutet, exercitationis causa laudet, vituperet, interpretetur, corrigat, refellat, ut *perdiscat jus civile* (52), cognoscat leges, percipiat omnem antiquitatem, senatorum consuetudinem, disciplinam reipublicæ, jura sociorum, fœdera pactionis, causam imperii (53): quibus rebus adjungit philosophiæ cognitionem (54): et ut verbo absolvam, Cicero oratorem suum volebat, virum *πολιτικὸν*, de quo ita Quinctilianus (55): » vir ille » vere civilis, et publicarum, privatarumque rerum administra» tioni accomodatus, qui regere consiliis urbes, fundare legibus, » emendare judiciis possit, non alius est profecto, quam orator." Illumque cum Crasso (56) dicimus, » auctorem publici consilii, » et regendæ civitatis ducem, et sententiæ atque eloquentiæ » principem in senatu, in populo, in causis publicis" (57).

De juvenum ergo institutione, qui ad tam egregium munus et tam difficile sese peritos reddere studerent, accuratius videamus. — Juvenis ille, qui foro et eloquentiæ parabatur, imbutus jam domesticâ disciplinâ, refertus honestis studiis, deducebatur a patre, vel a propinquis, ad eum oratorem, qui principem locum in civitate tenebat. Hunc sectari, hunc persequi, hujus omnibus dictionibus interesse, sive in judiciis, sive in concionibus assuescebat, ita ut altercationes quoque excipere, et jurgiis interesse, atque, sic dixerim, pugnare in prælio disceret. Magnus ex hoc

---

(50) Ll. I. 16. (51) Cf. Quinctil. J. O. XII. 4. (52) Cf. id. ll. c. 3. et Cic. *De Orat.* I. 36, 37, 38, 41 et 42. (53) Cic. *De Orat.* I. 34. cf. c. 11. (54) Id. Ibid. I. 18 et passim. (55) In procem. (56) *De Orat.* III. 17. (57) Cf. omnino Cic. *pro Sextio* c. 45 et 46. Eadem ratione Græci vocabant δημαγωγοὺς, qui latinis *Oratores* Gell. *N. A.* III. 13.

(*h*) Haud diffiteor, non omnibus, quæ Cicero in libris suis rhetoricis oratori discenda proponit, operam dedisse juvenes: sed constat tamen, futuros oratores ad multas magnasque res sese applicasse.

usus, multum constantiæ, plurimum judicii juvenibus statim contingebat, in mediâ luce studentibus, atque inter ipsa discrimina, ubi nemo impune stulte aliquid, aut contrarie dicit, quo minus et judex respuat, et adversarius exprobret, ipsi denique advocati aspernentur (58). Interim aliter fieri non potuit, quin is, qui ad oratoris nomen suspiraret, a teneris inde annis eruditus et imbutus quasi esse debuerit iis disciplinis, quæ eo conducerent. Ita sermo, quo utebantur, politus erat et elegans, ad cujus elegantiam a pueritiâ assuefacti erant, quemque magis magisque poliverunt, cum fœminis imprimis versando. Hacce nostrâ ætate juvenes Rhetores publice artem suam docentes adibant, quamvis hi nocere crederentur, et primo urbe pulsi sint (59), quia ibi adolescentuli totum diem consumebant, ibique » desiderent" (60): postea tamen multi exstiterunt, quales multos claros Grammaticos (61) et Rhetores (62), (nam hi distincti fuerunt) recenset Suetonius. Privatas præterea multas habebant exercitationes (63), atque Oratores attendebant (64). Sed optimum fore existimo, si *patris eloquentiae Romanae* adhibito exemplo, majori ordine referre possim oratoris studia. » Notus est vobis utique Ciceronis liber, qui » Brutus inscribitur (Auctoris dialogi verba (65) refero), in cujus » extremâ parte sua initia, suos gradus, suæ eloquentiæ velut » quandam educationem refert: se apud Q. Mucium jus civile » didicisse, apud Philonem Academicum, apud Diodorum Stoï- » cum omnis philosophiæ partes penitus hausisse: neque his doc- » toribus contentum, quorum ei copia in urbe contigerat, Achaïam » quoque et Asiam peragrasse, ut omnem omnium artium varie- » tatem complecteretur. Itaque hercule in libris Ciceronis de- » prehendere licet, non Geometriæ, non Musicæ, non Gramma- » ticæ, non denique ullius ingenuæ artis scientiam ei defuisse.

---

(58) Auct. dial. c. 34. (59) Edictum exstat apud Gellium *N. A.* XV. 11. cf. XIII. 21. et Cic. *De Orat.* III. 24. et Plin. *Epist.* VII. 31. (60) Suetonius *De Clar. Rhet.* c. 1. p. 972 et 973. (61) *De Illustrib. Gramm.* c. 5 - 17. (62) *De Clar. Rhet.* c. 2 - 6. (63) Cic. *De Orat.* I. 33. (64) Ib. Ibid. I. 34. cf. Macrob. *Saturn.* II. 10. (65) C. 30.

» Ille dialecticæ subtilitatem, ille moralis partis utilitatem; ille » rerum motus caussasque cognovit." — De singulis videamus. — Primo observemus tempore Ciceronis optimos affuisse oratores, quos adiret: quales fuerunt Cotta, Sulpicius, Curio et Antisthius (66), qui orationes scribebant, quod Cicero etiam fecit, cum ad eum ætate provectiorem alii juvenes accederent (67). Cicero, qui dicebat, se jam a parvo didicisse, *si in jus vocat* (68), i. e. leges XII. tabb., a patre ad Scævolam, celeberrimum Ictum deductus est, et ita jurisprudentiæ operam dedit, ut jure merito inter præcipuos Ictos Romanos referatur. Vix autem per unius anni spatium in scholis Mucii commoratus, vidit jurisprudentiam cum philosophiâ arcte esse conjunctam, nec prodesse magnopere illam aut reip. aut civibus, nisi Icti quid verum, quid bonum, quid justum, quid pulchrum sit, teneant. Itaque totum se dedit Philoni, Academiæ hoc tempore principi: et cum puer adhuc esset valde Phædrum Epicureum probavit (69): postea etiam, duce Diodoto, Stoïcorum philosophiam cognovit. Solebant antiqui post ingressum forum, vel ante etiam, vel quandocumque occasio in bello inque provinciis sese ostenderet, in græcas literarum sedes proficisci, Athenas sc. Rhodum, Mitylenen, Apolloniam, et alias ejus generis, et sub ductu philosophorum sapientiæ studium, et sub ductu rhetorum dicendi facultatem magis magisque excolere (70). Ita Cicero etiam Athenas et in Asiam profectus est (71). Athenis sex menses cum Antiocho, veteris Academiæ nobilissimo et prudentissimo philosopho fuit: eodemque tempore frequenter audiebat Zenonem, coryphæum Epicureorum (72): nec Phædrum, quem antea jam audiverat, neglexit (73). Postea in alio itinere studiose sese exercere solebat apud Demetrium Syrum, non igno-

---

(66) *De Orat.* I. 29. III. 8. *Brut.* c. 55, 66, 70, 76 et 87. (67) Teste Quinctil. J. O. XII. 11. p. 1107 et 1108. (68) *De legg.* II. 4. (69) *Ad Div.* XIII. 1. (70) *De peregrinationibus* universe, vid. Rousseau *Pensées*, art. *Voyages*, p. 238 seqq. De antiquorum peregrinationibus peculiariter. Ibid. p. 242, 245 seqq. (71) *Brut.* c. 91. (72) De *N. D.* I. 21. (73) Ibid. c. 31. cf. *De Finib.* I. 5.

bilem dicendi magistrum. Athenis in Asiam ad Posidonium Stoïcum, nobilissimum Panætii discipulum, et hoc tempore Rhodi Stoïcorum caput, profectus est. Et in altero itinere, quod modo memoravi, non tantum oratoribus, sed rhetoribus etiam usus est, ita ut assidue secum haberet Dionysium Magnetem, Æschylum Cnidium, et Xenoclem Adramytenum, qui tunc in Asiâ rhetorum principes habebantur. Rhodum etiam ivit, ibique ad Molonem, quem antea Romæ bis audiverat, sese applicavit (74), eodemque tempore Apollonium oratorem, Molonis filium, audivit, teste Plutarcho (75). — Cicero, præterquam quod quotidie in foro versaretur, ut oratores audiret, quotidie legeret, et scriberet, et commentaretur omnia, quæ ad litteras pertinerent (76), sine intermissione *declamare* (77) solebat, quod cum M. Pisone, vel Q. Pompejo faciebat, vel Græce vel Latine, aliasque similes exercitationes instituebat (78): et linguæ puritatem conservandi ejusque suavitatem promovendi causâ cum Læliâ, Caji filiâ, sermones miscebat (79). Ita etiam *dialecticae* (80) operam dedit, et a Stoïco Diodoto, qui apud eum habitabat studiosissime hac arte exercitatus est (81). In *rhetoricâ* vero nactus est magistros Græcos, tantosque hac in arte fecit progressus, ut unum et viginti annos natus libros quatuor rhetoricos *de Inventione* (82), ederet: eumque præterea in historiâ et antiquitate multum operæ collocasse, hic monere non necesse est.

Et hisce armis instructus, et ita ad dimicandum paratus, dictio ex hac domesticâ exercitatione et umbratili medium in agmen, in pulverem, in clamorem, in castra atque in aciem forensem educebatur (83). — Et quis dubitet istiusmodi quemquam victoriam reportaturum esse!

---

(74) *Brut.* c. 91. (75) In *vit.* (76) *Brut.* c. 89 et 90. (77) Vid. Crassus *De Orat.* I. 32 et 33. (78) De iis vid. *De Orat.* I. 34. (79) *Brut.* c. 58. (80) De qua vid. Cic. *De Finib.* III. 21. *Topic.* c. 2. (81) *Brut.* c. 90. (82) *De Orat.* I. 2. et Quinctil. J. O. III. 6. p. 253. (83) *De Orat.* I. 34.

§ III.

DE MORIBUS ET VIVENDI RATIONE JUVENTUTIS ROMANÆ HACCE ÆTATE.

Cum antea promisissem, me in fine cujusque capitis ostensurum vim et efficaciam, quam educatio in mores et agendi rationem juventutis habuisset; nunc, cum ad finem perducto capite altero, datam fidem liberare vellem, video supervacaneam futuram hancce disquisitionem. Ex iis enim, quæ jam dixi, satis effici posse existimo, quales fuerint juvenum mores hacce ætate. Adolescentium vero Romanorum absolutam picturam, sive characterismum, proponere a proposito nostro alienum est. Quare monuisse sufficiat, mores hosce initio bonos fuisse: et universe magis ad bona, quam ad mala proclives fuisse juvenes, eosque maximo studio gloriæ flagrasse, et revera optima et pulcherrima quæque peregisse constat. Sed sub exitum hujus ætatis, tempore bellorum civilium, morum corruptela, quæ omnes ordines et ætates invaserat, juventuti etiam non pepercit. Qua de re si quis dubitet, audiat is Sallustium Catilinæ mores describentem, quo omnes fere juvenes familiariter utebantur (1). » Lucius Catilina, nobili genere » natus, fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo » pravoque. Huic ab adolescentiâ bella intestina, cædes, rapinæ, » discordia civilis, grata fuere: ibique juventutem suam exercuit. » Corpus patiens inediæ, vigiliæ, algoris supra quam cuique credibile est. Animus audax, subdolus, varius, cujus rei libet » simulator ac dissimulator, alieni appetens, sui profusus, ardens » in cupiditatibus, satis loquentiæ, sapientiæ parum. Vastus animus immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. Hunc » post dominationem L. Sullæ lubido maxuma invaserat reip.

(1) Sallustius *B. C.* c. 14.

» capiundæ : neque id quibus modis adsequeretur, dum sibi » regnum pararet, quidquam pensi habebat. Agitabatur magis » magisque in dies animus ferox inopiâ rei familiaris et con- » scientiâ scelerum : quæ utraque his artibus auxerat, quas supra » memoravi. Incitabant præterea corrupti civitatis mores, quos » pessuma ac diversa inter se mala, luxuria atque avaritia, vexa- » bant." (2) — » In tantâ tamque corruptâ civitate Catilina, id » quod factu facillimum erat, omnium flagitiorum atque facinorum » circum se, tamquam stipatorum, catervas habebat. Nam qui- » cumque impudicus, adulter, ganeo, manu, ventre, pene, bona » patria laceraverat, quique alienum æs grande conflaverat, quo » flagitium aut facinus redimeret: præterea, omnes undique par- » ricidæ, sacrilegi, convicti judiciis, aut pro factis judicium » timentes; ad hoc, quos manus atque lingua perjurio aut san- » guine civili alebat; postremo, omnes quos flagitium, egestas, » conscius animus, exagitabat; ii Catilinæ proxumi familiaresque » erant. Quod si quis etiam a culpâ vacuus in amicitiam ejus » inciderat, quotidiano usu atque illecebris facile par similisque » ceteris efficiebatur. Sed maxime adolescentium familiaritates » adpetebat : eorum animi, molles et ætate fluxi, dolis haud » difficulter capiebantur. Nam, uti cujusque studium ex ætate » flagrabat, aliis scorta præbere; aliis canes atque equos mer- » cari; postremo, neque sumtui, neque modestiæ suæ parcere, » dum illos obnoxios fidosque faceret. Scio fuisse nonnullos, qui » ita existumarent, juventutem, quæ domum Catilinæ frequentabat, » parum honeste pudicitiam habuisse; sed ex aliis rebus magis, » quam quod cuiquam compertum foret, hæc fama valebat" (3).

(2) Id. Ibid. c. 5. (3) Ibid. c. 14. cf. c. 15 seqq.

CAPUT TERTIUM.

Educationis et Institutionis Puerorum, apud Romanos, conditio, inde ab Augusti aevo usque ad Justinianum.

§ I.

OBSERVATIONES DE HAC ÆTATE.

Vidimus itaque, § 1. cap. 2, quomodo ex corrupto reip. principio auctoritas a toto populo ad paucos transierit. Rem optime explicavit, et de Rep. Romanâ prædixit Polybius (1). » Dum supersunt » adhuc eorum nonnulli, inquit, qui potentiam dominationemque » paucorum sint experti (*a*), in præsente statu acquiescentes, » antiquius æqualitate et libertate civium nihil habent: sed post- » quam nova soboles est exorta, et ad eorum nepotes populi » imperium pervenit; tum enimvero æqualitatis et libertatis bo- » num parvi facientes, utpote cui assueverunt, plus posse quam » ceteri satagunt. Estque hoc vitium iis potissimum familiare, qui » divitiis alios antecedunt. Igitur ad ambiendos honores con- » versi, quia hos per se et propriâ virtute consequi non valent, » inescando et omni genere largitionis corrumpendo, populo rem » familiarem suam dilapidant. Qui postquam semel suâ stultâ » aviditate dignitatum, multitudinem largitionibus captare et ex iis

(1) VI. 9. in fin.
(*a*) Vel qui eodem quo majores libertatis amore ducantur.

» vesci docuerunt; tum vero rursus incipit populi imperium labefac-
» tari, succeditque ejus loco vis ac manuum violentia. Assueta enim
» plebs de alieno vivere, et in aliorum fortunis spes vitæ reponere,
» magni animi audacemque nacta ducem, populi imperium in
» manuum violentiam convertit. Ac tunc quidem coïtione factâ,
» cædibus, exiliis, divisionibus novis agrorum usque eo sævit,
» donec tandem efferata, dominum rursus nanciscatur, qui rerum
» potiatur solus" (2). Talis itaque dominus Reip. Romanæ exstitit primum Cæsar, mox vero Augustus. Gravis enim eorum est error, qui Imperatores Romanos recentiorum gentium regibus æquiparent. Non in palatio vivebant illi, non habebant aulam, neque externo cultu distinguebantur, prouti hodierni nostri reges. Proprie fuere *magistratus*, sed qui ruptâ æqualitate ad tyrannidem pervenerant, et tamquam cives vivebant, qui cæteros auctoritate superabant, quique ad corporis tuitionem præterianos milites adhibebant. Ità etiam *reipublicae* nomen remansit, licet ipsa respublica interiisset. Manserunt etiam, qui antea huic præerant magistratus, consules, prætores, censores, sed auctoritate fere privati erant. Antea summa rerum erat penes Senatum Populumque Romanum, et sic colebatur ista senatûs populique auctoritas: nunc vero ista auctoritas et majestas collata erat in unum Imperatorem, ad quem omnem cultum et honorem referebant.

Hancce reip. conditionem magnam vim exercuisse in educationem, unusquisque facile videt. Antea maxima fuerat vis plebis in res civitatis, et in comitiis eloquentiæ erat locus. Ibi oratores cives incitare aut prohibere solebant ad hoc illudve faciendum vel ab eodem abstinendum. Post vero quam Cæsar dictaturâ potitus erat, magnam erat inter optimates certamen, ut, quæcumque excogitari ad honorem ejus possent, de iis Cæsari decernendis referrent. Sic inter illa ei omnia quoque comitia commissa sunt, teste Dione Cassio (3). Nam licet hæcce specie quidem more antiquo haberentur, tamen revera magistratus ab eo creabantur (4).

(2) VI. 7. (3) XLII. 19 et 20. et XLIII. 45. (4) Ut ait idem LIII. 21. et LV. 34. et LII. 20.

Refert Tacitus sub Tiberio comitia e campo ad patres translata esse (5). Quod tamen non ita intelligendum est, quasi nulla omnino comitia sub Tiberio et sequentibus imperatoribus habita sint: sed ita, ut ea non nisi simulata fuerint, et priscorum illorum non nisi nomen habentia (6). Arctum igitur ac miserum eloquentiæ fuit theatrum. Non aliter res fuit comparata in senatu, in quo antea diserti et eloquentes homines candide et graviter sententiam aperiebant, nunc vero universi loqui (etiamsi id apte facere potuissent) verebantur. Senatus non optimis et peritis viris, uti olim, constabat, sed pessimis sæpissime, et qui toti ab imperatoribus penderent: uti jam de Cæsare constat, qui plures peregrinos, imprimis Gallos et inferioris ordinis milites in senatum adscripserat (7). Hujus exemplum Octavianus Cæsar secutus est, qui paullatim munera senatus, nullo adversante, in se trahere cœpit, ut ait Tacitus (8). Licet sub eo ob recentem libertatis memoriam majoris ponderis senatûs auctoritas fuisse videtur, quam sub sequentibus imperatoribus. Initio saltem multa cum eo communicabat Augustus (9). Postea vero sensim sensimque senatûs auctoritatem minuit imperator, qui cum paucioribus senatoribus res maximi momenti communicare consueverat, et cæteros ab imperii arcanis removerat. Illa vero negotia, quæ princeps cum electis illis senatoribus decreverat, ad frequentem senatum deferebantur (10). Constituit porro, ne plus quam bis in mense legitimus senatus ageretur, et ademit senatui jus liberas legationes indulgendi, indixitque, ne quis senatorum extra Italiam proficisceretur injussu suo, quod et sub sequentibus imperatoribus servatum est. — Tiberius initio senatum maximopere colebat (11), postea vero ei jura sua magnâ parte ademit. Idem testantur auctores de Caligulâ, Claudio, Nerone, Domitiano, Commodo, Severo, Heliogabalo et cæteris. Unice fere sub Ves-

(5) *Annal.* I. 15. (6) Tacit. ll. I. 81. cf. Dio Cassius LVIII. 20. et Reimarus ad h. l. (7) Testibus D. Cassio XLII. 51. et Suet. in Cæs. c. 80. (8) *Annal.* I. 2. (9) D. Cassius LIII. (10) Id. ll. Suet. in Aug. c. 55. et Lipsius ad Tacit. *Annal.* XII. 25. (11) D. Cass. LVII. Suet. in Tib. c. 29.

pasiano, Tito, Nervâ et Trajano dignitatem aliquam recepisse videtur senatus. Sed cum e depravatis hominibus constaret, et maximâ parte imperitis, numquam antiquam auctoritatem et avitum splendorem recuperare potuit.

Quod si tristis adeo fuerit ipsius senatus conditio, melior profecto non fuit judiciorum ratio. Horum enim libertas una cum reip. libertate sublata est. Augustus antiquam judiciorum rationem immutavit, nec judices a prætore sorte duci voluit, sed ipse judices elegit, quam potestatem Cæsares postea semper retinuerunt (12). Initio Cæsares ipsi quoque jus dixerunt, præsertim in iis causis, in quibus ad eos ab ordinariis magistratibus provocatio esset (13). Postea de causis *extraordinarii juris* Cæsares ipsi sine judicibus, per se, adhibitis tamen quibusdam consiliariis, cognoscebant (14).

Unice igitur supererat militia, ex *objectis*, ut ita dicam, educationis, quæ sub Imperatoribus satis floruisse videtur. Ab Augusti enim tempore militia *perpetua* erat (15), laudaturque *disciplina* Augusti (16) et Trajani (17). Sed longe differebat tamen antiqua ista ratio militandi ab illâ, quæ sub liberâ rep. obtinuit. Antea enim, si periculum in morâ esset, omnes cives nomina militiæ dare tenebantur, et postquam ad finem perductum esset bellum, domum redibant milites: nec conditionem civilem reliquerunt, ut in lonquiquis terris per multos annos militarent, et regionem defenderent, quam *Imperium Romanum* vocabant, cum antiqui isti cives *jus* haberent pro *patriâ* arma gerendi, quæ non continebatur infinito provinciarum numero, sed urbe Româ tantum erat definita. Præterea sub Imperatoribus mos invaluit, ut qui nobili familiâ essent oriundi, quique, non meritorum causa, sed nativitatis tantum, summo loco haberentur, summis in militiâ muneribus fungerentur, dum cæteri inferioris conditionis homines, vel tamquam milites gregarii stipendia merebantur, vel

(12) Vid. Ernestus in Excurs. ad Suet. Tib. c. 40. (13) Suet. in Aug. c. 33. (14) Vid. Bachius *Hist. Jurispr. Rom.* l. 3. c. 1. sect. 1. § 26. (15) D. Cass. LII. (16) L. 12. § 1. ff. *de re milit.* (17) Plin. *Paneg.* c. 13.

certe raro ad majores dignitates militares adscenderent. Tempore vero liberæ reipubl. omnes cives erant æquales, nemo cæteris ullâ in re præstabat, nisi eo, quod majori peritiâ et virtute excelleret, neque gentis obscuritas aut paupertas quemquam a summis honoribus arcebat (18). Sub Imperatoribus etiam milites multo magis a cæteris civibus distincti erant, et rerum civilium gerendarum incapaces habebantur, *imperitiae* causa, *prohibebantur* (19). Eorumque specialis in eo fuit ratio, quod » defensionem alienam » suscipere, vel redimere negotia, vel quasi suffragatorem acce- » dere, utilitate publicâ militi non permitteretur" (20). Antiquitus contra militis ratio non ita separata erat a re civili, ut militia ei impedimentum esse posset ad officia civilia implenda, et omnes ita instituebantur, ut et militiæ capaces essent, et rerum suarum vel alienarum in foro gerendarum. Qui vero in alterutro *eminebat*, is ad amplissimum gradum dignitatis pervenire poterat.

Unum restabat sub imperatoribus, quo homines famam sibi consequi poterant, jurisperitia nempe. Sed præterquam quod ingens ista fama ad paucos pertinere potuerit, sponte etiam patet celeberrimos istos Ictos ab Imperatoribus pependisse, et auctoritatem, quam acciperent, longe diversam fuisse a vi et efficaciâ, quas antiqui isti jurisperiti in cives exercerent.

Erunt fortasse, quibus mirum videatur, Imperatores tantâ auctoritate fuisse præditos, ut omnia ab eorum voluntate penderint, et nullâ lege coërcerentur. Sunt qui putent ad Augustum translatum esse imperium, latâ illâ lege, quæ postea *regia* est dicta, qua Augusto ejusque successoribus summum imperium delatum dicunt, quamque totius potestatis imperatoriæ quasi fundamentum fuisse ajunt. Et hinc quidem Justinianum (21) et alios Ictos (22) omnem Imperatorum potestatem repetere non nego: sed ut ingentem illam Imperatorum auctoritatem explicemus, illâ lege non

---

(18) Cf. Horat. *Carm.* I. od. 12. v. 41 seqq. (19) Per l. 9. § 1. ff. *De jur. et fact. ignorant.* (20) Per l. 7. c. *De procurat.* (21) § 6. Instit. *De jur. nat. et gent. et civ.* (22) Ulpianus in l. 1. ff. *De constit. princip.* et Charisius in leg. un. pr. ff. *De offic. praef. praet.*

indigemus. Eorum auctoritas non erat uti regum nostrorum recentiorum, qui jure fere et legitime hanc auctoritatem acceperunt, quæque legibus *fundamentalibus* (ut dicunt) sive *constitutione* definita est: sed Imperatores Romani nullo jure ad hanc auctoritatem pervenerunt: erant *tyranni*, nullis legibus coërcebantur. Inde etiam explicandum, quod apud nos regionis cujusdam prosperitas non *unice* a rege pendeat: alia concurrere debent, ejusque auctoritas ita est restricta, ut sæpissime multa imminentia mala non avertere possit, nisi alii, qui simul summum imperium tenent, cum eo concurrant. Ab alterâ parte princeps, qui mala in civitatem machinatur, retinetur fere legibus et legum custodibus, qui ei continuo impedimenta objiciunt. Imperatores contra Romani, qui nullo freno retinebantur, pro indole vel in subditos sævire poterant, vel ad summum felicitatis fastigium eos perducere. Ita pessimi Imperatores, qui prorsus pro lubitu agere poterant, vitiis nulla frena imponebant, sed pravis cupiditatibus obsequentes, miserrimam fecerunt imperii conditionem. Contra si boni Imperatores imperium nacti essent, quibusvis malis optima remedia applicare poterant, eaque simul efficacissima. Unde factum, ut Titi et Antoninorum regna tantis laudibus celebrata sint, quia revera homines tum felices erant, et omnia a principe penderent.

Hoc autem incredibilem fere vim habuit in hominum mores. Sub prioribus enim Imperatoribus Romani, qui vel ipsi libertate functi erant, vel libertatis sensum illum et ardorem a majoribus acceperant, non facile adeo sese composuerunt ad tyrannorum voluntatem, et quodammodo antiqua instituta observarunt. Imperatores etiam initio pudore retinebantur, quominus tantopere inveherentur in homines, qui se quondam liberos esse gloriabantur, et vim atque externa auctoritatis signa vitabant. Post vero quam vestigia ista antiquorum morum rariora facta essent, et homines magis magisque assuefacti essent servituti, Imperatores magis magisque superbire incipiebant, in cives, tamquam in servos, despicere, et insignia majestatis affectare. Imprimis cum se magis ad

rationem Orientalem composuissent Romani, Imperatores nutu suo omnia regebant, ab hocce nutu omnia pendebant: unde sponte evenit, ut homines mores suos prorsus componerent ad Imperatoris mores et vivendi rationem. Hinc nihil certi erat, omnia agebantur secundum Imperatoris voluntatem, in ejusque gratiam: hinc denique orta est turpissima adulatio, quæ sub Tiberio jam eo pervenerat gradu, ut ipse Imperator, quoties curiâ egrederetur, exclamaret: » o homines ad servitutem paratos" (23). Hæcce vero servilis conditio et turpissima vitia quomodo quæso non maximam vim in institutionem exercuissent? Parentes ipsi ad abjectam adulationem parati, principem, Dei instar, *colere* docebant filios. In juvenum animis nulla antiquæ gloriæ cupidinis vestigia supererant, omnia erant mercenaria, et nihil ad quicquam suscipiendum homines adducere poterat, nisi lucri spes aut pœnæ metus.

Rectæ puerorum institutioni obstabat præterea summa morum corruptela. Vidimus supra, quantopere ante Octaviani tempora corrupti essent Romani: hoc autem constat, gentem semel corruptam nunquam ad virtutem redire (24). Post Augusti autem tempora infamis et monstruosa luxuries dominabatur, quæ eo tandem increvit, ut non nisi exhaustæ civium opes huic finem imponere possent: quod jam sub Augusto accidisse videtur. Quæ enim postea obtinuit bonorum profusio, magis ad Imperatores, eorumque ministros et aulicos pertinuit, quam ad inferioris conditionis homines. A luxu itaque et spectaculis abstinere coactus erat populus, sed nihilominus tamen ludorum furorem non deposuit, verum aliorum sumptibus ludos spectare cupiebat. Mali Imperatores, qui istiusmodi spectacula populo præbebant, ab eo diligebantur. Boni contra, qui ista ei negarent, improbabantur. Unde patuit, adeo corruptos esse populi mores, ut pravum principem præferrent bono, dummodo ejus voluptatibus obsequeretur. Et

---

(23) Teste Tacit. *Annal.* III. 64, 66, 67 et 70. (24) Cf. Rousseau *Pensées*, art. *Peuple*, p. 111.

dubito num simile morum corruptelæ exemplum in aliarum gentium historiâ offendas.

Post Sullam, una cum majori luxu, majori quoque pulchri venustique sensu ducti sunt Romani, qui usque ad Augusti mortem ad majorem semper elegantiam et perfectionem cum in artibus et doctrinis, tum in reliquis rebus adductus est. Sed post ejus mortem sensim quoque immutatus et depravatus est. Effectus hujus luxus et peregrinorum morum studii continuo in vitam domesticam tristissimi fuere. Fides conjugum nulla erat, puerorum educatio neglecta, summa in viris, uxoribus, liberis, servis etiam petulantia atque procacitas, ubique perfidia et alia similia vitia habebantur: quæ numero etiam increverunt, postquam Nero crimen læsæ majestatis introduxisset. Sub Nerone omnia penitus sunt corrupta, et res magis magisque ad exitium vergebat: donec tandem, postquam barbari in imperium irrupissent, omnia sunt confusa, et pulchri venustique sensus prorsus interiit.

Supra jam vidimus de fœminarum moribus tempore liberæ reip. Mores isti postea non tantum non emendati, verum etiam multo pejores facti sunt. Cujus rei causa ipse Augustus ejusque successores fuerunt, quippe qui turpissimi adulteri essent, et mulierum pudicitiam atque modestiam in locis publicis etiam penitus subverterent. Nonnulla tamen supersunt exempla fœminarum, quæ in tantâ et tam universâ corruptelâ, fide erga maritos et liberos elucerent (25).

Quod ad Literarum conditionem sub Imperatoribus attinet, Plinius testatur, suo tempore, litteris adhuc honorem tribui solere (26): sed dixerim hoc ipsum Plinii testimonium earundem lapsum satis probare; uti aliunde etiam constat earum conditionem miserrimam fuisse. Eloquentia una cum libertate, tamquam filia cum matre fuit sublata: et licet ipse Augustus tres bibliothecas condiderit, et universe multum Literarum in gratiam earumdemque cultorum fecerit, ne vel sic tamen impedire potuit, quo-

(25) Cf. Nitsch. II. l. 3. sect. 2. § 19 seqq. (26) Ep. IV. 16.

minus jam sub finem vitæ Literarum studia labantia viderit, et post eum prorsus interierint. Sub finem Augusti ætatis, et magis etiam post ejus obitum, apud omnes fere scriptores et optimos etiam animadvertere licet frequentiam studiumque argutarum sententiarum (27). Sub Tiberio ipse sermo corrumpi cœpit, et cum aliis idiomatibus conjungi. Quidquid magnum, sublime aut divinum sit in hujus ætatis scriptoribus, frustra quæres. Poësis erat artificium et triste panis studium: Historia mercenaria, serva tyranni (28): Eloquentia non nisi vana in rhetorum scholis declamitatio, vel turpissimâ adulatione fœdata. Linguæ et orationis elegantia periit (29). Talis enim hominibus esse solet oratio, qualis vita est. A Tiberio ad Vespasianum res in pejus ruit (30): sequentes imperatores a Vespasiano usque ad Antoninos licet plures eorum ingenia hominum præmiis honoribusque excitare studerent, eos tamen ad veram eloquentiam et linguæ puritatem revocare non poterant. Neque bibliotheca (sive a Vespasiano, seu alio Imperatore) condita in æde Pacis, neque bibliotheca Ulpia a Trajano constituta, neque honores et præmia, quæ Vespasianus et Titus grammaticis, rhetoribus, poëtis atque artificibus concesserant, nec denique Hadriani Athenæum efficere potuerunt, ut ad antiquum splendorem pervenirent Literæ, sed hisce conatibus factum est, ut, quæ subitam ruinam minitabantur, per aliquod adhuc tempus concussis fundamentis inhærerent. Opportunitatem saltem præbere potuerunt utrique, Plinio et Tacito, immortalia opera condendi: licet hic raram esse dixerit suo ævo, temporum felicitatem, ubi sentire quæ velis, et quæ sentias dicere licet. Ab hoc vero tempore omnia in pejus mutata sunt, artium quoque et doctrinarum studium in dies decrescebat, ut tandem totum evanesceret, quod sæc. 5 post Chr. nat. factum est.

---

(27) Ruhnk. in Præf. ad Vell Pat. (28) Tac. Hist. I. 1.
(29) Vid. Seneca ep. 114 et 115. (30) Cf. Id. ll. 115.

§ II.

QUÆNAM FUERIT PUERORUM EDUCANDI EOSQUE INSTITUENDI RATIO.

Vidimus ita, hacce ætate nullas aut fere nullas, rectæ educationi affuisse opportunitates, et virtutum, quibus adeo illustres fuerant antiqui Romani, ne umbram quidem servasse eorumdem posteros. Sub Imperatoribus puerorum institutio magis magisque neglecta est, ita ut e corruptis pueris non nisi mali cives existerent, qui, cum corporis robore, tum animi virtutibus a priscis illis Romanis toto cœlo distarent. Jam de suis temporibus cecinit Horatius:

» *Ætas parentum pejor, avis, tulit*
» *Nos nequiores, mox daturos*
» *Progeniem vitiosiorem*" (1).

Et cum antiquitus Romanos prorsus ad civitatis gloriam et ad publicam aliquando vitam agendam institui vidimus, ita nunc, sublata rep., educatio prorsus domestica evasit: quisque pro lubitu filios educabat, et rei publicæ parum intererat, an bene instituti essent pueri, nec ne. Inde fit, ut disquisitio de educationis conditione apud Romanos hac ætate, quod ad suavitatem, longe inferior sit simili disquisitioni, quæ pertinet ad ætates, de quibus supra vidimus. Desunt fere scriptores, qui de ea agunt, quæque ad educationem pertinentia apud illos obvia habentur, exigui sunt pretii, et parum in se continent, quo nos delectemur. Pauca tamen hæcce referre tentabimus. Prius videndum de patriâ potestate hac ætate.

Uti patriam potestatem magnopere imminutam fuisse supra vidimus, ita etiam hacce ætate pæne interiisse dici potest (2).

(1) *Carm.* III. od. 6. v. 46 seqq. (2) Cf. omnino Montesquieu, *Espr. d. l.* V. 7.

Post Augustum introducta sunt *peculia*, quæ eo respexerunt, ut liberi rem possiderent a paternâ separatam. Primum obtinuit *peculium castrense:* mox postquam negotia militaria in desuetudinem abiissent, et jurisperitia opes et divitias afferre posset, introductum est *peculium quasi-castrense:* postremis temporibus, cum quocumque modo sibi divitias acquirere liceret, quas filius a rationibus patris separatas vellet, locum habuit *peculium adventitium* (3). Non constat, quo tempore pater jus perdiderit filium vendendi; licet id obtinuisse constet ante Imperatorem Diocletianum, excepto casu, si pater indigens esset: nam tum ei licebat vendere liberos recens natos, ea lege, ut quocumque vellet tempore, eos denuo reciperet, restituto pretio (4). Quod ad jus occidendi liberos attinet, illud coarctatum videtur sub regno Trajani et Hadriani, ejusque successorum. Sub Imperatore Severo ei non licitum erat liberos privatim occidere, sed si nefandum ab iis crimen commissum esset, ei licebat illos apud magistratum accusare, ab eoque, quam vellet, pœnam exigere. Tandem hoc etiam jus ab Imperatore Constantino ei ademtum est (5). — Cæterum id obtinuisse videtur, ut juvenes longe minorem majoribus natu et parentibus tribuerent honorem, quam antea facere solebant: quam reverentiæ neglectum gravissime nocuisse merito contendunt auctores (6). — Parentes etiam non tantopere liberos amore prosequebantur, quam antiquitus. A matrimonio fere aversi, ejusque jugum excutere gestientes, vel concubinam sibi quærebant, vel cum pellice rem habebant. Quæ utraque antea a se invicem non distincta, post legem Juliam Papiam Poppæam diversa fuit. Constantinus Magnus frustra severis legibus concubinatum coërcere conatus est (7), cum diu post eum etiam nunc obtinuerit. Merito hoc reprehendit Plutarchus (8), dicens eos, quorum natales vel a patre vel a matre aliquid vitii habent, per omnem

---

(3) L. 1. ff. *De bon. mal.* l. 2. eod. l. 1. l. 4. l. 5. C. *De bon. quae liber.* l. 6. eod. (4) L. 1. C. *De patr. qui fil. distrax.* l. 2. eod. (5) L. 3. C. *De patr. potest.* lex *unic.* C. *De his qui parent.* (6) Vid. Montesquieu ll. (7) L. 1. C. *De Nat. lib.* (8) *De lib. educ.* c. 2.

vitam opprobria comitari, quæ elui nullo modo possunt; eorumque, quibus genus subdititium esset et adulterinum, animos spiritus ponere et humi repere solere. Parentes contra minus naturales infantes diligunt, ad eosque exponendos fere propensi sunt. Nonnumquam autem fiebat, ut Lanistæ pueros hosce expositios tollerent, ut eos educarent, et ita Gladiatores fierent (9).

Quod ad educationem, quæ circa primos annos versatur, attinet, fœminæ non semper videntur infantes ipso lacte nutrivisse; hoc enim effici posse videtur ex loco Gellii (10), qui refert Favorinum philosophum eo adduxisse matrem, ut liberos ipsa aleret. Unde simul patet plerasque fœminas id neglexisse. Testatur contra Auctor dialogi: » Nunc natus infans delegatur Græculæ alicui an» cillæ, cui adjungitur unus aut alter, ex omnibus servis ple» rumque vilissimus, nec cuiquam serio ministerio accomodatus: » horum fabulis et erroribus teneri statim et rudes animi im» buuntur" (11). De Reguli cujusdam puero defuncto ita loquitur Plinius: » Habebat puer mannulos multos et junctos et solutos: » habebat canes majores minoresque: habebat luscinias, psitta» cos, merulas: omnes Regulus circa rogum trucidavit" (12). Merito vehementissime invehitur Plutarchus in istiusmodi parentes qui » servos probos præficerent agriculturæ, rei nauticæ, merca» turæ, administrationi rei familiaris vel usuræ exercendæ, alios » vero ebriosos ac gulæ deditos, et ad omnia inutiles negotia, » eos *liberis* præficiant" (13). Et sæpe fiebat, ut » parentes impru» denter imperitis et deperditis hominibus filios committerent, » quin nonnumquam scientes talibus, vel adulationibus blandien» tium victi vel rogantibus eam amicis gratiam dantes" (14); deinde ita pergit: » Jam quid eveniat mirificis istis parentibus, » postquam liberos male enutritos, male instituerunt, audi. Post» quam hi, sumtâ jam virili togâ, contemptâ sanâ et compositâ » vitæ ratione, in incompositas atque serviles voluptates sese

(9) De Gladiatorum educatione vid. Nieupoort ll. sect. 4. cap. 5. § 3.
(10) XII. 1. (11) C. 29. init. (12) Ep. IV. 2 et 7. (13) C. 7. (14) C. 7.

» præcipitaverunt: tum demum eos pœnitet neglectæ liberorum » institutionis, mœrorem ex eorum sceleribus percipientes, quem » nulla subsequitur utilitas." — Non ita tamen neglecta erat puerorum educatio, quin nobis supersint exempla puerorum, qui rite educati sint. Ita v. c. Quinctiliani filius domi ab aviâ et nutricibus priorem educationem accepit (15): idem constat de Macrobio, qui filium maximâ curâ instituit (16): laudabat Plinius Quadrati cujusdam educationem (17), et alia plurima exempla rectæ institutionis afferre possem. Observandum tamen videtur, plerumque parentum exempla maxime nocuisse pueris. Qua in causa Juvenalis Sat. XIV. integra legenda est, cujus ita sese habet initium:

» *Plurima sunt, Fuscine, et famâ digna sinistrâ,*
» *Et nitidis maculam haesuram figentia rebus,*
» *Quae monstrant ipsi pueris, traduntque parentes.*
» *Si damnosa senem juvat alea: ludit et haeres*
» *Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.*
» *Nec melius de se cuiquam sperare propinquo*
» *Concedet juvenis, qui radere tubera terrae,*
» *Boletum condire, et eodem jure natantes*
» *Mergere ficedulas didicit nebulone parente,*
» *Et canâ monstrante gulâ. Cum septimus annus*
» *Transierit puero, nondum omni dente renato,*
» *Barbatos licet admoveas mille inde magistros,*
» *Hinc totidem, cupiet lauto coenare paratu*
» *Semper, et a magnâ non degenerare culinâ.*
» *Mitem animum, et mores modicis erroribus aequos*
» *Praecipit, atque animos servorum, et corpora, nostrâ*
» *Materiâ constare putat, paribusque elementis:"* seqq. (18)

Propria quædam ac vernacula vitia erant, ut Auctor dialogi *de corruptae eloquentiae causis* (19) loquitur, » quæ natos statim excipiunt » et per singulos ætatis gradus æmulantur." Et paullo post (20)

---

(15) J. O. VI. Prooem. p. 495. (16) *Saturn.* l. 1. Prooem. p. 197 seqq. ed. Bip. Idem de Virgilio et Horatio constat. vid. *Serm.* I. 6. v. 66 seqq. et passim. Sed horum tempore institutio nondum adeo corrupta erat. (17) Ep. VII. 24. (18) Cf. Plut. *De lib. educ.* c. 20. p. 49 et 50. ed. Wyttenb. (19) C. 28. (20) C. 29.

adjungit. » Nec quisquam in totâ domo pensi habet, quid coram » infante domino, aut dicat, aut faciat: quando etiam ipsi parentes » nec probitati, neque modestiæ, parvulos assuefaciunt, sed lasci» viæ et libertati, per quæ paullatim impudentia irrepit, et sui » alienique contemptus. Jam vero propria et peculiaria hujus » urbis vitia pæne in utero matris mihi concepisse videntur, » histrionalis favor, et gladiatorum equorumque studia: quibus » occupatus et obsessus animus quantulum loci bonis artibus re» linquit? Quotum quemque inveneris, qui domi quidquam aliud » loquatur? quos alios adolescentulorum sermones excipimus, si » quando auditoria intravimus?" etc.

Ad prima autem elementa si attendamus, quibus imbuebantur juvenum animi, ipsi pædagogi corruptissimi non potuerunt non male instituere pueros eorum curæ commissos. » Ut antea pueri » intra biennium, quam verba recte formare potuerunt, quamvis » nullo instante, omnia fere loquuntur: at novitiis nostris (Quinc» tilianus loquitur) per quot annos sermo Latinus repugnat (21)?" A primis disciplinis aversabantur pueri, audiamus Horatium:

» . . . . *pueris* . . . . *dant crustula blandi*
» *Doctores, elementa velint ut discere prima*" (22).

Improbat deinde Quinctilianus, quod suo tempore parvuli literarum nomina et contextum discerent prius, quam formas (23). Ejusdem autem ætate obtinebat, ut nomina quædam et versus ad imitationem scriberent pueri (24). Lectionem autem, qualis fiebat, ideo reprehendit Quinctilianus, et docet quomodo legendi sint auctores (25): et universam pravam pronunciationem, quæ suo tempore obtinebat, in meliorem convertere tentat idem rhetor (26). Ita etiam illud prorsus ex consuetudine mutandum existimabat, quod omnia, quæ scripserint pueri, ediscerent, et certo, ut moris erat, die dicerent: » Quod quidem maxime patres exigunt, inquit » Quinctilianus, atque ita demum studere liberos suos putant,

(21) I. O. I. 12. p. 122. (22) Horat. *Satyr.* I. 1. v. 25. (23) ll. I. 1. p. 20 et 21. (24) Id. ll. p. 22. (25) Id. I. 8. p. 93. (26) I. 11. p. 117.

» si quam frequentissime declamarint" (27). In id tandem merito invehitur idem Quinctil., quod suo tempore pueros verberibus cogerent, ab eoque abstinendum esse docet (28). Horatii tempore Romæ erant scholæ arithmeticæ; quarum uni præerat Flavus quidam, in cujus ludum mittebantur pueri nobiliores, habentes loculos, in quibus calculos habebant, et tabulam, in quâ numerare discebant (29).

Quod ad ludos pueriles attinet, præterquam quod in ludis sæcularibus, tertio festi die in Apollinis Palatini templo 27 pueri nobiles et totidem virgines, omnes patrimi et matrimi, carmen sæculare canerent (30), aliis etiam ludis animum remittebant. Ita nonnumquam duos exercitus contra se pugnantes referebant (31), vel in aleæ lusu, dum denarios in sublime jactarent, exclamabant » capita aut navia"! (32) vel pueruli tres quatuorve annorum ludebant *par et impar*, vel equitabant in arundine longâ (33). Nero autem instituit ludos *Juvenales*, cum primum barbam poneret (34).

Uti universe deerat eloquentiæ aliarumve artium exercendarum occasio, ita institutio, quam accipiebant juvenes, profecto non ita sese habebat, quam ut eo conducere potuisset. Multi parentes, postquam filios pædagogis tradiderant, ipsi, quid disceretur, nec inspiciebant unquam, neque inaudiebant (35): et cum ipsi viverent ab omni occupatione remoti, non profecto filios incitabant ad bona et honesta, sed eos ab omnibus negotiis removebant, quæ eos tædio afficere possent, » utinam liberorum nostrorum » mores non ipsi perderemus, inquit Quinctil.; infantiam statim » deliciis solvimus. Mollis illa educatio, quam indulgentiam vo» camus, nervos omnes et mentis et corporis frangit. Quid non » adultus concupiscet, qui in purpuris repit? Nondum prima

(27) Il. II. 7. p. 155 et 156. (28) Il. I. 3. p. 36. (29) Horat. *Satyr.* I. 6. v. 72 seqq. et *Epist.* I. 1. v. 56. (30) Id. *Carm.* IV. od. 6. v. 31. et *Carm. saec.* v. 6 seqq. (31) Id. *Ep.* I. 18. v. 49 seqq. (32) Macrob. *Saturn.* I. 7. p. 230. ed. laud. (33) Horat. *Sat.* II. 3. v. 248 seqq. (34) Suet. *Neron.* c. 11 seqq. et Tacit. *Annal.* XIV. 15. ibique Lipsius. (35) Plut. *De lib. educ.* c. 25. p. 52.

» verba exprimit, et jam coccum intelligit, jam conchylium poscit. » Ante palatum eorum, quam os, instituimus. In lecticis crescunt: » si terram attigerint, e manibus utrimque sustinentium pendent. » Gaudemus, si quid licentius dixerint. Verba, ne Alexandrinis » quidem permittenda deliciis, risu et osculo excipimus. Nec » mirum: nos docuimus, ex nobis audierunt. Nostras amicas, » nostros concubinos vident. Omne convivium obscœnis canticis » strepit: pudenda dictu spectantur. Fit ex his consuetudo, » deinde natura. Discunt hæc miseri, antequam sciant vitia esse: » inde soluti ac fluentes non accipiunt in scholis mala ista, sed in » scholas afferunt" (35*). Ipsique parentes, rei rusticæ et familiaris curam servis relinquentes, in Circis ac theatris sedebant. Audiamus hac de re probabilem testem. » Miramur gestus effœminato- » rum, inquit Columella, quod à naturâ sexum viris denegatum, » muliebri motu mentiantur, decipiantque oculos spectantium. » Mox deinde ut apti veniamus ad ganeas, quotidianam crudi- » tatem Laconicis excoquimus, et exsucto sudore sitim quærimus, » noctesque libidinibus et ebrietatibus, dies ludo vel somno con- » sumimus, ac nosmet ipsos ducimus fortunatos, quod nec orien- » tem solem videmus, nec occidentem. Itaque istam vitam socor- » dem persequitur valetudo. Nam sic juvenum corpora fluxa et » resoluta sunt, ut nihil mors mutatura videatur" (36).

Ad quævis vitia igitur potius, quam ad illa negotia, instituebantur, quæ et corpore et animo prodessent. Horatius jam corruptos suæ ætatis mores insectatur, et neglectam juventutis institutionem:

» Fecunda culpae saecula nuptias
» Primum inquinavêre, et genus, et domos:
» Hoc fonte derivata clades
» Inque patres populumque fluxit.
» Motus doceri gaudet Ionicos
» Matura virgo, et fingitur artubus:
» Jam nunc et incestos amores
» De tenero meditatur ungui.

(35*) J. O. I. 2. p. 26 et 27. (36) *De R. R. Prooem.*

» *Mox juniores quaerit adulteros*
» *Inter mariti vina: neque eligit,*
» *Cui donet impermissa raptim*
» *Gaudia luminibus remotis:*
» *Sed jussa coram non sine conscio*
» *Surgit marito; seu vocat institor,*
» *Seu navis Hispanae magister,*
» *Dedecorum pretiosus emtor.*
» *Non his juventus orta parentibus*
» *Infecit aequor sanguine Punico,*
» *Pyrrhumque, et ingentem cecidit*
» *Antiochum, Annibalemque dirum:*
» *Sed rusticorum mascula militum*
» *Proles, Sabellis docta ligonibus*
» *Versare glebas, et severae*
» *Matris ad arbitrium recisos*
» *Portare fustes, sol ubi montium*
» *Mutaret umbras, et juga demeret*
» *Bobus fatigatis, amicum*
» *Tempus agens abeunte curru.*
» *Damnosa quid non imminuit dies?"* (37)

Quem locum, licet longior sit, ideo transcribendum duxi, ut opponi posset alii loco apud eundem poëtam obvio; quo simul et causam et remedium mali proponit:

» *Magnum pauperies opprobrium, jubet*
» *Quidvis et facere et pati,*
» *Virtutisque viam deserere arduae.*
» *Vel nos in Capitolium,*
» *Quo clamor vocat et turba faventium,*
» *Vel nos in mare proximum*
» *Gemmas, et lapides, aurum et inutile,*
» *Summi materiam mali,*
» *Mittamus. Scelerum si bene poenitet,*
» *Eradenda cupidinis*

(37) *Carm.* III. od. 6.

» *Pravi sunt elementa; et tenerae nimis*
» *Mentes asperioribus*
» *Formandae studiis* (38). *Nescit equo rudis*
» *Haerere ingenuus puer,*
» *Venarique timet, ludere doctior,*
» *Seu Graeco jubeas trocho,*
» *Seu malis vetitâ legis aleâ:*
» *Quum perjura patris fides*
» *Consortem socium fallat et hospitem,*
» *Indignoque pecuniam*
» *Haeredi properet. Scilicet improbae*
» *Crescunt divitiae: tamen*
» *Curtae nescio quid semper abest rei."* (39)

Loca ubi utiliora docerentur prorsus deerant, quare vere dixisse videtur Columella: » Adhuc enim scholis rhetorum, et, ut » dixi, geometrarum, musicorumque, vel quod magis mirandum » est, contemptissimorum vitiorum officinas gulosius condendi » cibos, et luxuriosius fercula struendi, capitumque et capillo» rum concinnatores non solum esse *audio*, sed et ipse *vidi.* » Agricolationis neque doctores, qui se profiterentur, neque dis» cipulos cognovi." — Nam licet Augustus et nonnulli ex sequentibus Imperatoribus (*a*), litteris faverint (40), neglectae tamen, quin contemptæ jacuerunt. Præcipua enim hujus rei causa erant, non Imperatores, sed homines ipsi. Primo jam sæculo post Augustum, cujus ævum literarum latinarum *auream aetatem* merito dixerunt, adolescentes deducebantur in scholas scholasticorum, qui rhetores vocabantur, in quibus non facile quis dixerit utrumve locus ipse, an condiscipuli, an genus studiorum plus mali ingeniis intulerint, » nam in loco, ut ait auctor Dialogi, » nihil reverentiæ, sed in quem nemo nisi æque imperitus in» trat: in condiscipulis nihil profectûs, cum pueri inter adoles-

(38) Cf. Ep. I. 18. v. 49. (39) *Carm.* III. od. 24. v. 42 seqq. (40) Cf. Juv. *Sat.* 7.

(*a*) Alii contra iis damna inferendi erant studiosi. Ita v. c. Domitianus philosophos et rhetores urbe pulsit. Vid. Gellius XV. 11.

» centes pari securitate et dicant et audiantur" (41). In scholis istis pueros adolescentibus sedere permixtos non placebat Quinctiliano (42). Cæterum de nonnullis horum rhetorum, sive universe doctorum, aliter judicandum esse docet idem (43), cujus rei veritatem et ipse comprobat, et multi alii satis ostendunt, quales fuerint, quos laudat Suetonius (44), et quos apud auctores offendimus juventutem præceptis instruentes (45). Quamvis sub Trajano et Hadriano Romæ liberalia studia floruerint (46), et Plinius hæcce multum juverit, tum alimenta ingenuis decernendo et scholas instituendo (47), tum alios ad id perducendo (48), ne vel sic tamen perversæ instituendi rationi, juventutis desidiæ, parentum pravis exemplis remedia afferri potuerunt. Hæc enim, quæ modo memoravimus, morbum ad tempus quidem compescuerunt, sanare vero minime potuerunt. Pulchro et honesto præposuerunt sordidam cupiditatem et vile auri argentique studium, et hisce temporibus profecto conveniunt, quæ de suâ ætate cecinit Horatius:

» *Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.*
» *O cives, cives, quaerenda pecunia primum est,*
» *Virtus post nummos. Haec Janus summus ab imo*
» *Perdocet: haec recinunt juvenes dictata senesque.*" (49)

Cæterum tempore Quinctiliani Romæ aderant et præceptores domestici et scholæ publicæ (50), in quibus docebant vel grammatici vel rhetores. Grammaticus de ratione loquendi disserebat, quæstiones explicabat, historias exponebat, poëmata enarrabat (51), in eorumque scholas transibant pueri, postquam legendi scribendique adepti essent facultatem (52). Rhetores partitiones dabant

(41) C. 35. cf. c. 28 et 29. (42) J. O. II. 2. p. 132. (43) Ibid. III. 1. p. 218. (44) *De illustrib. gramm.* c. 17 - 24. et *De clar. rhet.* c. 4. seqq. vid. Gellius de *Antonio Juliano* XIX. 9. (45) Vid. de *Favorino* Gellius I. 10. IV. 1. cf. VIII. 3. Idem de *Tauro*, VI. 10. De *Castricio*, XIII. 21. Seneca, de *Praeceptore* suo ep. 108. Plinius, de *Euphrate*, ep. I. 10. init. VIII. 12. III. I. 13 et passim. (46) Plin. ep. I. 10. cf. VIII. 14. (47) Plin. ep. I. 8. (48) IV. 13. (49) Epist. I. 1. v. 52. cf. ep. *ad Pison.* v. 325 seqq. (50) Vid. J. O. I. 2. et passim. (51) Ibid. I. 2. p. 28 et I. 4. p. 38. (52) I. 4. p. 37-50.

et declamabant (53), eaque docebant, quæ porro eo referri solent, de quibus uberius disserit Quinctilianus (54). Cæterum eorum disciplinæ multa inerant vitiosa, vel in iis quæ docebant (55), vel in ipsâ institutione (56): et merito Quinctilianus reprehendit præceptorem quendam, qui dicebat, se præcepta quidem ignorare, sed nihilominus tamen ea tradere solitum esse (57). In alios etiam invehitur, qui utilitatem artis declamandi negarent (58). — Et merito ægre ferre videtur idem, quod magistri per tam longum temporis spatium retinerent pueros (59), et quod serius ita rhetoribus traderentur, quam deberet (60). Queritur etiam quod tam breve tempus studiis et exercitationibus superesset. » Quantulum enim » studiis inpartimur? inquit. Alias horas vanus salutandi labor, » alias datur fabulis otium, alias spectacula, alias convivia tra- » hunt; adjice tot genera ludendi (61), et insanam corporis » curam. Trahat inde peregrinatio, rura, calculorum anxiæ soli- » citudines, multæ causæ libidinum, et vinum, et flagitiosus » omni genere voluptatum animus. Ne ea quidem tempora ido- » nea, quæ supersunt" (62).

Cætera denique studia et exercitationes, quibus infirmabatur antea juvenilis ætas, nunc vel omittebantur, vel negligenter peragebantur. » At nos juvenes fuimus quidem in castris, inquit » Plinius; sed cum suspecta virtus, inertia in pretio, cum duci- » bus auctoritas nulla, nulla militibus verecundia, nusquam im- » perium, nusquam obsequium, omnia soluta, turbata, atque » etiam in contrarium versa, postremo obliviscenda magis, quam » tenenda. Iidem prospeximus curiam, sed curiam trepidam et » elinguem; cum dicere, quod velles periculosum: quod nolles, » miserum esset. Quid tunc disci potuit? quid didicisse juvit? » cum senatus aut ad otium summum, aut ad summum nefas

(53) Ibid. I. 2. p. 28. (54) II. 4. p. 136 et 137. (55) Vid. I. 4. p. 47. et c. 5. p. 52. (56) I. 8. p. 98. (57) II. 11. p. 165. (58) II. 11. p. 165, 166 et 167. (59) XII. 11. p. 1109 et 1110. (60) II. 1. p. 126, 127 et 128. (61) Vid. Ovid. *Pont.* IV. 2. Juv. *Sat.* IX. v. 126. cf. Plin. IX. 6. (62) J. O. XII. 11. p. 1110 et 1111.

» vocaretur, et modo ludibrio, modo dolori retentus, nunquam » seria, tristia sæpe censeret? Eadem mala jam senatores, jam » participes malorum, multos per annos vidimus tulimusque: » quibus ingenia nostra in posterum quoque hebetata, fracta, » contusa sunt" (63). Meritoque deplorat idem, quod juvenes hac ætate » statim saperent, statim scirent omnia: neminem, inquit, » verentur, imitantur neminem, atque ipsi sibi exempla sunt" (64). De iis autem verum erat illud antiqui cujusdam auctoris: » *ἀμαθία* ,, *μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει, peritia timorem, imperi-* » *tia audaciam facit"* (65). Cujus rei testis est Plinius, qui de exilitate causarum et Fori solitudine querens, » Ad hoc perpauci, » inquit, cum quibus juvet dicere: ceteri audaces, atque etiam » magnâ ex parte adolescentuli obscuri, ad declamandum huc » transeunt, tam irreverenter et temere, ut mihi Attilius noster » expresse dixisse videatur, sic in Foro pueros a centum virali- » bus causis auspicari, ut ab Homero in scholis. Nam hic quo- » que, ut illic, primum cœpit esse, quod maximum est. At Her- » cule ante memoriam meam, (ita majores natu solent dicere) » ne nobilissimis quidem adolescentibus locus erat, nisi aliquo » consulari producente: tantâ veneratione pulcherrimum opus » colebatur. Nunc, refractis pudoris et reverentiæ claustris, omnia » patent omnibus: nec inducuntur, sed irrumpunt" (66).

Et ita quidem apud Romanos puerorum institutio miram exercuit vim in negotia publica et reip. conditionem. Ita beati vivebant Romani, quamdiu diligenter versati sunt in pueris educandis, et honestis artibus atque disciplinis eorum animos imbuendis. Quam primum vero neglecta sunt, quæ ad civitatis gloriam et incrementum, quæ ad ipsius hominis felicitatem conducerent, respublica sublata est, cives miseri evaserunt.

---

(63) Ep. VIII. 14. (64) Ibid. ep. 23. (65) Thucyd. II. 40. (66) Ep. II. 14.

Animoque ita lustranti quod absolvimus negotium, mihi in mentem redeunt hæcce poëtæ verba:

» . . . . *Denique*
» *Inspicere, tamquam in speculum, in vitam omnium*
» *Jubeo; atque ex aliis sumere exemplum tibi.*" (67)

Romanorum vero juvenum conditionem, hâc in causâ, cum meâ comparans, et opportunitatibus institutionis apud eos præmiisque probæ educationi expositis, perpensis, me non habere, quod iis invideam, censeo. Optimam enim institutionem domesticam sortitus, optimis carissimorum præceptorum præceptis usus, ad pulcherrimum præmium contendens, Regis munificentiâ victori propositum, patriam habens, quæ magis magisque flore increscit, et optimas excellendi opportunitates præbet, hæcce, inquam, recordans, me Belgam esse, gloriari licet. Nunc vero hoc unice spero, quod mihi contingat Viris Clarissimis placuisse, ut hacce victoriâ reportatâ, deinceps in majora certamina descendere possim, et ita patriæ et civibus utilitatem afferre possim. » Equidem enim beatos puto, quibus Deorum munere datum » est, aut facere scribenda, aut scribere legenda; beatissimos » vero, quibus utrumque." (68).

(67) Terent. *Adelph.* III. 4.

(68) Quæ verba obvia sunt apud Plinium *Epist.* VI. 16.

FINIS.

JANI VAN DER HOEVEN,

ROTERODAMENSIS,

MATH. ET PHILOS. CANDIDATI ET MEDIC. STUDIOSI IN ACAD. LUGDUNO-BAT.,

RESPONSIO

AD

QUÆSTIONEM, AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM

ANNO M. D. CCC. XIX PROPOSITAM:

„ *Quæritur, quis sit usus, qualisque dignitas anatomes comparatæ in stabiliendis regni animalium divisionibus?*"

QUÆ PRÆMIUM REPORTAVIT A. D. II. OCTOBRIS M. D. CCC XX.

» *Divisio naturalis animalium*
» *Ab interna structura indicatur.*”

LINNÆUS.

ANatome comparata ea dicitur Anatomiae generalis pars, quae tractat de mutationibus, quas diversa organa et varia organorum systemata in variis diversisque corporum viventium classibus, ordinibus, generibus speciebusque subeunt; quaeque igitur quodcumque organon cujusvis e. g. animalis comparat *quasi cum eodem organo, apud omnia cetera, quorum fabricam cognoscimus, animalia. Usu enim vox Anatomiae comparatae, ad animalium fabricae cognitionem, ad Zootomiam tantummodo, nec ad Phytotomiam referri solet.*

Jam per se patet, neque mea admonitione indiget, scientias omnes non pro se quamque, sed junctis tantum viribus, conatibusque, aedificium exstruere solidum et aeternum. Hinc jam a priori, *ut dicunt, concludere licet, ab anatomiâ comparatâ scientiam vitae, quae* Zoonomia, *nonnullis aliis* Biologia, *dicitur, insigniter esse adauctam et amplificatam. Quinetiam physiologia corporis humani tot ab illa accepit, tamque praeclara lucra, ut nescio an ipsa corporis humani anatomia plus utilitatis attulerit ad functiones vitae nostrae illustrandas, quam attulit revera animalium fabricae*

indagatio. Haec enim, ut ingeniose quis dixit, analytica quaedam methodus est, cujus ope nostri corporis cognitio ipsa nobis facilior redditur (1).

Magna igitur est anatomes comparatae dignitas et usus. Zoologia praeprimis multa huic disciplinae debet: quae quidem ambae, amico quasi vinculo, inter se continentur. Hac de re quaestionem proposuit Ordo disciplinarum mathematicarum et physicarum Academiae Gandavensis, sic se habentem: » Quæritur, quis sit usus, qualisque dignitas anatomes comparatæ in stabiliendis regni animalium divisionibus." — *Quae quidem quaestio tantopere mihi placuit, ut virium mearum tenuitatis, doctrinaeque inopiae, ingeniique mediocritatis immemor, nimis forsitan ausus, eam si non solvere, elaborare saltem statuerim.*

Magnum, sentio, opus est, egetque exercitatione non parva. Sed magis tentando discere, quam perficiendo docere cupiebam. Si igitur haecce qualiscumque commentatio doctis clarissimisque viris non prorsus displiceat, erit quo mihi gratuler.

Hunc ordinem, ut maxime naturalem, sic etiam commendandum maxime in hacce responsione nobis proposuimus:

Cap. I. *De systematibus in Zoologia.*

Cap. II. *De Anatome comparata, unico in stabiliendis regni animalium distributionibus fundamento.*

Cap. III. *De methodo naturali, ad quam illa systemata quam proxime appropinquare videntur, quae in Anatome comparata maxime fundata sunt.*

(1) Pernota est illa ill. *Buffonii* sententia: » *S'il n'existait point d'animaux, la nature de l'homme serait encore plus incompréhensible.*"

CAP. I.

DE SYSTEMATIBUS IN ZOOLOGIA.

Cum Zoologia ea sit scientiæ naturæ amplissima pars, quæ agit de animalibus; animalium vero, quæ jam cognoscimus fere innumerabiles sint species, hocce in labyrintho, filo Ariadneo opus est, sine quo, ut cum *Linnaeo* loquar, res Zoologica chaos esset. — Illud Ariadneum in regni animalium labyrintho filum *systema* est: qua voce in historia naturali intelligimus corporum naturalium in certum quemdam ordinem et secundum fixa principia distributionem, cujus ope corporis cujusvis natura et indoles, ejusque ad omnia cetera relatio rite determinantur.

Ejusmodi classificatio nullo modo obtineri potest, nisi indagandis *characteribus*, quibus quodcumque corpus ab aliis distinguitur. Basis classificationis in iis characteribus ponenda est, qui quam plurimis corporibus naturalibus communes sunt. Nam hos characteres majoris momenti esse illis, qui paucioribus conveniunt, quisque videt. Characteres porro, quibus minor corporum naturalium numerus indicatur, subdivisionibus constituendis inserviunt; sic a characteribus generalioribus ad peculiares descendimus; donec quodcumque corpus in systemate ibi collocatum sit, ubi ipsa natura illud collocasse videtur.

Hac ratione *classes, ordines, familiae* et *genera* constituuntur. Genera autem subdividuntur in species, varietatesque. Species vero tot dantur, quot sunt formæ constantes, cum formarum istarum leves modificationes *varietates* dicantur. De his conferantur ea, quæ a summo *Blumenbachio* in libro *De varietate nativa generis humani* disputata sunt, eo præsertim loco, ubi de speciei notione agit laudatus auctor.

Ex iis, quæ diximus, intelligitur, systemata in cognitione relationum, quæ inter corpora existunt, fundata esse. Characteres ἀκριβῶς electi in stabiliendo systemate maximi momenti existimandi, et ex illa relationum cognitione petendi sunt. Tales characteres 1° omnibus corporibus naturalibus ad eandem divisionem pertinentibus communes; 2° in quoque gradu et quâque classe plane characteristici; et 3° denique loco lucidi et facile indagandi esse debent (2).

Distinguendum est inter systema naturale et artificiale. Systema enim, quo magis a natura recedit, eo magis artificiale. Tale systema oriatur necesse est characteribus pro lubitu e quovis organo desumtis. Si autem characteres bene et rite electi sint, systema magis ipsi naturæ conveniet. Stricto sensu methodus naturalis ea dicitur, qua animalia non ex arbitrio distributa, sed secundum plurimas proprietates, quas communes habent, in eodem loco, quem in ipsa natura occupant, collocata sint. Cujus tum præstantia, tum utilitas cuique patet. Talis autem methodus lapis philosophicus zoologorum est, cujus non nisi fragmenta habemus; quæ tamen fragmenta sedulo colligenda sunt. Omni igitur ope niti debemus, ut systemata, quam maxime in observatione naturæ fundemus. »Classes enim, monente *Linnaeo*, quo magis naturales, eo, ceteris paribus, præstantiores sunt." (3)

Hoc magis etiam patebit, si ad verum usum Zoologiæ attendamus. Nam is, qui omnes species huc usque cognitas, earumque nomina Linnaeana, sciat, nihil autem de œconomia naturæ, de relationibus, quibus corpora naturalia inter se continentur, magis memoriam suam auxerit, quam quidem in scientia profecerit. Neque enim qui singulorum, quos historia memorat, virorum vitas memoria tenet, historicus est. Sterilis ejusmodi doctrina est, caretque fructu et usu. Verus autem Zoologus non tantum

(2) *Wilbrand*, Verhandeling over de rangschikking der dieren. (Natuurkundige verhandelingen van de Maatschappy der Wetenschappen te Haarlem. 6e d. 2e stuk. pag. 9. 1812.)

(3) Philosophia botan. p. 137.

nomina specierum cognitarum, quoad fieri potest, cognoscet, sed etiam novas species, si quæ illi obviæ sunt, in systemate rite collocari poterit: neque hoc tantum, quod levius, sed fabricam internam animalium, quæ æque bene, atque forma externa iis propria est, et deviationes, ut ita dicam, ludentis naturæ, sed ita ludentis, ut inde, quid voluerit, pateat luculentissime, in variis organorum systematibus indagare debet. — Is enim, si aliquid conspicit animal, novum illi seu incognitum, e forma externa structuram internam divinatione quasi deducere poterit, nec structuram tantum, sed mores etiam vivendique genus. — Horum autem nihil poterit, qui systemate artificiali utitur. Uti in systematico quodam museo, sic quoque in ejus cerebro, collocatæ sunt animalium species, nomina scit: — fateor, sed quid nomina? nihil de re ipsa nos docent.

Veram autem methodum qui didicerit, et naturam optimam ducem secutus erit, ex cognitione Zoologiæ non tantum memoriam, sed etiam ingenium insigniter acuet; isque profecto se ipse melius intelliget, e cognitione animalium, quæ multis in rebus ab homine differunt, multis cum eo conveniunt. Huic autem maximum lucrum e systemate naturali redundabit. Tali enim systemate relationes animalium indicantur; quarum cognitio philosophiæ Zoologicæ non minima pars est. Etsi enim in singulorum observatione scientiarum veritatisque principia quærenda sint, attamen non observatione tantum, neque sola ratione, sed utroque conjuncto, verum indagatur. Multa hac de re sapientissime monuit illustr. *Baco:* inter quæ et hoc est, quod hoc loco memorare mihi liceat: » Qui tractaverunt scientias aut empirici aut dogmatici fuerunt. Empirici, formicæ more, congerunt tantum et utuntur; rationales, aranearum more, telas ex se conficiunt. Apis vero ratio media est, quæ materiem ex floribus horti et agri elicit, sed tamen eam, propria facultate, vertit ac digerit."

CAP. II.

DE ANATOME COMPARATA UNICO IN STABILIENDIS REGNI ANIMALIUM DIVISIONIBUS FUNDAMENTO.

PErvenimus ad eam nostræ commentationis partem, quæ ad quæstionem propositam solvendam quam maxime confert.

Sunt, qui historiam naturalem tractant ut ludum puerilem, idque in magnum scientiæ detrimentum, ut facile intelligitur. Est nempe merus ludus puerilis nomina tantummodo specierum memoriâ tenere, et externam quidem formam animalium scire, internam autem fabricam prorsus ignorare. Historia enim naturalis corpora naturæ in universum considerare, differentiam inter corpora organica et inorganica indicare, illorumque compositionem et artificiosam structuram rationemque, quâ vita in iis tueatur, et quibus modis ea vita sese in nutritione, generatione, aliisque functionibus manifestet, exponere debet. Hujus porro disciplinæ est, plantarum animaliumque analogiam et discrimen indicare, eorumque structuram et internam et externam indagare (4). Interna enim fabrica non minus, quam externa forma animalium, Zoologo consideranda est, ut recte jam monuit celeb. *Herder.*

Ii igitur, qui anatomicam et physiologicam cognitionem animalium Zoologiæ non esse affirmant, perperam agunt. Neque enim Anatomia et Physiologia aliud quid est, nisi magis accurata et absoluta corporum viventium historia naturalis. Sic quoque hac

(4) Vide: Anfangsgründe der Naturgeschichte von *Erxleben.* Göttingen, 1782. Vorrede s. XIX. et seqq.

de re judicarunt omnium temporum Zoologiæ principes, seque ita judicare, verbis exemplisque comprobarunt: inter quos splendent *Swammerdammius*, *Linnaeus*, *Camperus*, *Pallas*, *Cuvierius*, alii (5).

Quin etiam accuratior externæ formæ cognitio obtineri non potest, sine cognitione fabricæ internæ; externæ enim formæ ab interna fabrica pendent; hæc est causa formarum; verbo, interna structura forma essentialis est cujusvis corporis organici. Age paucis exemplis, tum e Botanice, tum e Zoologia desumtis, illud probare conabor et illustrare.

Tela cellulosa et vasa spiralia elementa sunt e quibus plantæ constant; ex hisce primordiis, variis modis conjunctis et mutatis, omnia, quæ in plantis reperiuntur, organa provenire notum est, e. g. *folium* e parenchymate celluloso, e fasciculo vasorum spiralium in rete abeuntium, denique ex epidermide ejusque continuationibus s. pilis constat. Pro vario decursu fasciculorum vasorum spiralium ex hisce simplicibus admodum elementis ingens oritur foliorum diversitas: ab hisce vasis forma omnis pendet, eodem ferme modo ac forma animalium vertebratorum a sceleto, unde sceleton nonnulli hocce vasorum rete dixerunt. Si statim, cum e cormo egressus est, sese dividat vasorum fasciculus, folium *sessile* formatur i. e. ejusmodi folium, quod nullo petiolo intermedio cormo affixum est. Huic autem folii speciei opponitur folium *petiolatum*; hoc autem erit vel *simplex*, cum petiolus unicum folium gerit; vel *compositum*, cum fasciculi in ramos expanduntur; sic e. g. si fasciculus princeps in duos ramos majores abeat, oritur folium *binatum*, si in tres, *ternatum*, et ita porro. — Sic omnes foliorum compositorum species, quas enumerat terminologia seu glossologia botanica, oriuntur. Quod ad circumscriptionem foliorum attinet, fingamus ad margines eorum anastomoses

---

(5) Elegantissime hac de re pro more egit ill. *Buffon*: — » Les différences extérieures ne sont rien en comparaison des intérieures; celles-ci sont pour ainsi-dire, les causes des autres, qui n'en sont que les effets. — L'intérieur dans les êtres vivans est le fonds du dessein de la nature; c'est la forme constituante, c'est la vraie figure; l'extérieur n'en est que la surface ou même la draperie, etc." — Histoire naturelle, 4°. tom. 13. page 28.

vasorum complures, æquales, et folia habebimus integerrima; sin autem fasciculi in parvos decurrunt ramos, pro varia conditione, folium *dentatum*, *crenatum*, etc. oritur. A solidiore aut molliori parenchymatis pulpâ substantia foliorum quam maxime pendere videtur.

De his autem botanici, et præprimis *Willdenowius* multa protulere. De foliis tantum dixi, ea, quasi exempla, ponens, non quod res, de qua agitur, minus perspicue probari posset ex aliis vegetabilium organis, sed quia hæc non tam difficilia intellectu videbantur, quin paucis exponi possent. Transeamus vero ad Zoologiam.

Animalia in genere plantis magis composita sunt; quamvis plantæ nonnullæ adsint, quibusdam animalibus magis compositæ. Datæ tamen omnibus animalibus facultates quædam, quibus plantæ carent. Sentiunt ac libere sese movent animalia. Hinc adest in perfectioribus nervorum musculorumque apparatus: in maxime compositis sceletum. Pro variis locis, quibus degunt animalia, variis motus organis instructa sunt. Sic piscibus pinnæ, avibus alæ datæ sunt. Pendet autem externa forma a sceleto: et sceleton ita conformatum est, ut apta sint animalia iis actionibus peragendis, quibus victum quærere, sese ab hostibus defendere, verbo, vitam tueri ex naturæ instituto ac lege debent. — In avibus verbi causâ magna requirebatur alarum vis; magnos musculos dedit natura; sternumque carena instruxit, duplicemque clavicularum apparatum formavit, eo fine ut latissimi illi pectoris musculi majori vi agere possent. Truncum eodem fine fixum et immobilem fecit. In collo plures collocavit vertebras, ut ejus mobilitas augeretur, quæ in hisce animalibus maxima requirebatur. Sic quoque in piscibus sese res habet. Piscibus collum nullum; quia incassum nihil procreare solet natura; thorax et caput confluunt, et inde formatur cuneus, cujus ope aquam findere optime possent piscium corpora. Sic quoque in reptilibus, in mammalibus; sic in omnibus animalibus formæ externæ conformationis internæ sequelæ sunt.

Sed ut hæc mittamus, unicam tantummodo ex hisce omnibus collatis deducere volo sententiam; illa autem sententia hæc est: *Characteres in Zoologia, quibus superstrui systemata debent, ex anatomica animalium cognitione petere oportet* (6). Quod quidem nostris temporibus in multis animalium classibus Galli revera fecere, et, si potuisset, certe quoque fecisset summus *Linnaeus*, qui tamen ob anatomes comparatæ tenuem tunc temporis cognitionem hoc posteris suis sistendum relinquere coactus est.

Vulgo characteribus ex anatomes comparatæ cognitione petitis objici solet, quod indagari non facile queant. Sed nonne sciunt callidi isti disputatores, quam difficilis sit matheseos disciplina omnibus tironibus? Neque aliquis unquam ex hac difficultate hanc scientiam spernendam esse duxit; an ignorant scientiam nullam existere, quin sit cum minori majorive animi exercitatione, rerumque minus magisve difficili indagatione conjuncta? Porro videant, ne ita faciendo scientiam utilissimam et amœnam, reddant infructuosam sterilemque.

Characteribus igitur ex anatome comparata desumtis classes naturales constituuntur; verum anatomia comparata etiam ordinem indicat, secundum quem illæ classes se invicem sequi debent, ut, sive synthetice a simplicibus ad perfectiora adscendamus, sive analytice a compositis ad imperfectiora descendamus, semper tamen transitus observetur; ordinem, verbo, quam maxime naturalem nos docet. Attamen non sperandum est, unquam in una linea animalia disponi posse, ita ut hoc ordine indicaretur an sit animal minus majusve compositum s. perfectum, quam aliud quodcumque, alio loco collocatum. *Cuvierius* omnia ejusmodi tentamina irrita credit (7). Nec mirum: » natura enim (ut

---

(6) Idem etiam de Botanice valet, monente *Kiesero:* » Das grösste *Desiderium*, dessen erfüllung einziger zweck der pflanzen anatomie sein muss, ist eine *vergleichende anatomie aller pflanzen;* und ehe diese gegeben ist, kann keine genügende classification der pflanzen vollendet werden." (*Kieser's*, Elemente der Phytonomie, Ister theil. 1815. 8°.)

(7) Le règne animal distribué selon son organisation, par M. le chev. *Cuvier*, 1817. 8°. I. préface p. xx. — » Pour prévenir une critique qui se présentera

recte *Baglivius* monuit) sui juris est, ac longe latiusque patet, quam ut certos ei fines angustosque humani ingenii terminos constituamus, extra quos egredi non posset." — Contra cuique naturam observanti patet corpora in rerum natura rete quoddam componere ab omni parte discedens et sese extendens. Omnia animalia seriem constituunt, cujus partes tam arcte cohærent, ut ubi una incipiat, desinat altera, indicari nequeat: hæc vero series se non unius rectæ lineæ instar expandit, sed lineæ concatenatæ similis, quæ ubivis sese dividit, in diversis punctis iterum coït, ut iterum possit discedere. — In iis igitur regni animalis classibus ubi ordines naturales adhuc desiderantur, pauca certe de interna structura scimus. Anatomia comparata istos ordines nobis indicabit. Piscium v. c. classis hoc tempore adhuc chaos est, in cujus distributione multum desudarunt Zoologi. Si vero interna fabrica æque nota esset, ac nunc sunt multorum ichthyologorum, imprimis *Blochii*, improbo labore formæ externæ, nihil facilius fore puto, quam ex hisce brevi tempore naturalem deducere classificationem. Sic quoque reptilium ordines a *Brongniart* constituti maxime naturales sunt, nempe quos in anatome comparata fundaverit. — Internæ etiam structuræ cognitio sola ornithorynchо paradoxo locum debitum in systemate adscribere potest. Mammale revera hoc animal non est; mammæ enim monente *Illigero* desunt; qua de re etsi nonnulli adhuc dubitent, ego tamen non intelligo, quo modo tali corneo rostro lac e mammis maternis sugere possit *ornithorynchus*; nisi in animali neonato alia sit hujus organi fabrica, quam in adulto (*).

---

naturellement à beaucoup de personnes, je dois remarquer d'abord, que je n'ai eu ni la prétention, ni le désir de classer les êtres de manière à en former une seule ligne, ou à marquer leur supériorité réciproque. *Je regarde même toute tentative de ce genre comme inexécutable*, etc." — Et paullo post: » Je n'ai considéré mes divisions et subdivisions que comme l'expression graduée de la ressemblance des êtres qui entrent dans chacune, etc."

(*) Quæ postea legi excerpta e quadam celeberrimi *Home* commentatione in *Meckelii* Diario germanico, physiologiæ dicato (V Bd. 3tes Heft. 1819 p. 422 sq.) Hanc sententiam extra omne dubium ponunt.

CAP. III.

DE METHODO NATURALI, AD QUAM ILLA SYSTEMATA QUAM PROXIME APPROPINQUARE VIDENTUR, QUÆ IN ANATOME COMPARATA MAXIME FUNDATA SUNT.

Quæ autem diximus capite præcedente, ne nimis audacter nos dixisse putetis, nobis proposuimus breviter quædam systemata Zoologica enumerare, et, quantum in hacce nostra ætate fieri potest, invicem et cum methodo naturali comparare, ut sic appareat illa systemata ad hanc methodum quam maxime appropinquasse, quæ in anatome comparata quam maxime fundata sunt. Quam quidem rem tam breviter pertractare conabor, quantum pro ipsius ubertate fieri potest.

Antiquissimis temporibus animalia secundum loca, ubi degunt, in *aquatica* et *terrestria* distribuebantur. *Aristoteles* ea dividit in *vivipara* et *ovipara*, quam nulla fere mutatione secutus est *Gesnerus*. — Ne autem nimis hinc inde vagaret disputatio, et hæcce commentatio longior fieret, quam vulgo esse solent ejusmodi scriptiunculæ, a *Linnaeo*, summo totius historiæ naturalis instauratore, incipiendum esse statuimus.

Systema *Linnaei*, quamquam pro magna parte hoc tempore ob anatomen comparatam magis elaboratam non amplius usurpetur, tamen omnibus sequentibus systematibus fundamentum præbuit. Summi igitur momenti erit hujus viri systema exponere. Quod, quo melius fiat, ipsius verbis utar. (Videatur systema naturæ ed. XIII. cur. *Gmelin* I. 1. p. 11.) » Divisio naturalis animalium ab interna structura indicatur:

Cor biloculare, biauritum sanguine calido, rubro.	viviparis. . . .	I. Mammalibus.
	oviparis. . . .	II. Avibus.
Cor uniloculare, uniauritum sanguine frigido, rubro.	pulmone arbitrar.	III. Amphibiis.
	branch. externis.	IV. Piscibus.
Cor uniloculare, inauritum sanie frigida, albida.	antennatis. . .	V. Insectis.
	tentaculatis. . .	VI. Vermibus."

Sex igitur classes constituit *Linnaeus*, cum numerus earum nostris temporibus a quibusdam usque ad quatuordecim auctus sit; sed in hisce diversis admodum distributionibus quatuor priores classes semper immutatæ mansère.

Omnes igitur innovationes et mutationes ad duas ceteras classes pertinent; quæ certe non sunt naturales, qua de re cl. *Lamarck* multa protulit in opere, cui titulus: *Philosophie Zoologique.*

In constituendis classium ordinibus summus *Linnaeus* characteres apud mammalia e dentibus deprompsit; e rostro, pedibusque apud aves; e conformatione extremitatum apud amphibia; e pinnis apud pisces, ex alis apud insecta, ex integumentis denique apud vermes. Characteres igitur a partibus externis desumti sunt.

Classium vero constitutio etsi in structura interna fundata, tamen ex conformatione organi petita est, omnibus animalibus haud communis, cordis scilicet: — estque itaque rejicienda. Complura animalia e vermium classe corde plane sunt destituta; carent hocce organo zoophytorum gentes entozoorumque numerosæ familiæ; vasa jam adsunt in insectis permultis, ubi cordis non nisi dubium vestigium adest. In genere igitur ad animalem organisationem cor haud requiritur. Character igitur assumi nequit secundum regulam primam *Wilbrandii*, capite I. propositam.

E quibus omnibus patet, cum præterea classis vermium a *Lamarckio* jure chaos vocetur, systema *Linnaei* erroribus non plane vacare, et multo minus etiam naturale dici posse: qua de re omnino conferri merentur, quæ monuit doctiss. *Spix* (8).

(8) In opere, cui titulus: Geschichte und beurtheilung aller systeme in der Zoologie von *J. Spix*. 8°. 1811. § 28 et 29 præprimis pag. 100 - 115.

Quorum quidem errorum causa in eo est, quod *Linnaeus* minus in Zootomia, quam in Zoologia profecerat (9).

Mirum igitur non est, cum magis magisque elaboraretur anatome comparata a summis viris *Daubenton*, *Vicq d'Azyr* aliisque, systema *Linnaei* a Zoologis esse mutatum pro variis mutationibus et augmentis Zootomiæ. *Lamarckius* igitur anno 1794 (vide ejus Philos. Zool. I. p. 118) primum omnia animalia, dichotomiâ institutâ, in hasce primarias distribuit classes:

I. Animalia vertebrata;

II. Animalia non vertebrata.

Hujus distributionis fundamentum columna vertebralis est, cui columnæ omnia fere ossa adjunguntur, sceletum autem formam externam et musculorum motus determinat. Classes IV priores systematis Linnæani animalia vertebrata constituunt; vertebris vero carent ea animalia, quæ in posterioribus classibus (V et VI) a *Linnaeo* collocata sunt. *Lamarckius* horum animalium 5 classes enumerat: *Mollusca*, *Insecta*, *Vermes*, *Echinodermata*, *Polypos*. Paullo post ill. *Cuvierius* sequentem classificationem exhibuit (10). Animalia rubro sanguine prædita, ut *Linnaeus*, distribuit in *mammalia*, *aves*, *reptilia*, *pisces*; ea autem, quæ sanguine albo gaudent in III classes:

I. *Mollusca*, corde musculari instructa, medulla spinali nodosa carentia. (Nervis enodibus.)

II. *Insecta* et *vermes*, vasa dorsali longitudinali et medulla spinali instructa, vel saltem uno alterove horum organorum systemate gaudentia.

---

(9) Hoc non dico, ut ejus gloriæ aliquid detraham. Nam non mirum est, summum virum hinc inde errasse » Solus enim (ut utar celeb. *Rudolphii* verbis) huc usque fuit, qui omnia naturæ regna amplexus sit, ejusque quam omnium scrutatorum præcedentium studio historia naturalis plus debet; nosmet vero has illasve partes excolendo, vel ad majorem perfectionis gradum evehendo, quantum ab eo distamus, qui omnibus lucem attulerit!" — Entozoorum hist. naturalis. 1809. 8°. II. p. I. p. 9.

(10) Vide ejus: Tableau élémentaire de l'hist. naturelle des animaux. 8°. an VI. p. 572 – 76.

III. *Zoophyta*, corde, cerebro nervisque destituta.

Characteres illarum classium fallaces esse patet, nam nervis destituta quidem multa zoophyta sunt, sed non omnia. Postea hancce distributionem variis modis mutavit celeberr. auctor. In prælectionibus de anatome comparata animalium non vertebratorum 5 classes enumerat, nempe:

I. *Mollusca*, medulla spinali simplici, vasis sanguiferis instructa: membris articulatis carentia.

II. *Vermes*, medulla spinali nodosa, vasis sanguiferis gaudentia: membris articulatis carentia.

III. *Crustacea*, medulla spinali nodosa, vasis sanguiferis membrisque articulatis prædita.

IV. *Insecta*, vasis sanguiferis carentia, medulla spinali nodosa, membrisque articulatis instructa.

V. *Zoophyta*, vasis sanguiferis, medulla spinali nec non membris articulatis destituta.

Eum secutus est Zoologus meritissimus *Dumeril*, eo tantummodo discrimine, ut classem vermium post eam insectorum posuerit. (Vide Zoologie Analytique 1806. 8°. p. 3.) Insigniter dein increvit classium numerus. *Lamarckius* decem classes constituit animalium vertebris carentium. En earum enumerationem: I. *Mollusca*; II. *Cirrhipeda*; III. *Annelida*; IV. *Crustacea*; V. *Araneïdea*; VI. *Insecta*; VII. *Vermes*; VIII. *Radiaria*; IX. *Polypi*; X. *Infusoria* (11). Itaque duæ vermium et insectorum classes a *Linnaeo* constitutæ ad decem usque adauctæ erant.

Postea zoologi Germanici multa systemata condidere. Inter hos *Wilbrandus*, qui de fundamentali divisione zoologorum Gallicorum dubia quædam movere cœpit (l. l.) Divisio enim primaria animalium in vertebrata et non vertebrata, etsi melior sit ea, quæ ab *Aristotele* originem traxit, in animalia sanguinea et exsanguia; melior denique illa, qua animalia distribuuntur in ea,

---

(11) Philos. Zool. I. p. 127. Conf. ejusdem: Extrait du cours de Zoologie sur les anim. sans vertèbres. Paris, 1812. 8°.

quæ sanguine rubro, et ea, quæ albo gaudent, tamen e *Wilbrandii* sententia assumi nequit: » Columna enim vertebralis ejusmodi momenti organon haud est, ut inde pendeat animantium vita; quod si ita esset, animalia non vertebrata non existerent. Contra columna vertebrarum organon est, quod sensim sensimque in animalium serie evolvitur. Accedit etiam, quod rei cujusvis absentiâ nihil certi determinari potest." Hæc *Wilbrand* (l. l. p. 32). *Spixius* quoque in opere citato (p. 138 et seqq.) animalia ea divisione nimis sejungi putat a sese. Caput v. c. Sepiæ osseum s. cartilagineum vertebratorum capitis fabricam mentitur. Si igitur illud systema assumatur, Sepiæ inter pisces collocari possent; quod reliquarum partium fabrica vetat. Porro hisce adde, columnam vertebrarum nihil aliud esse, nisi thecam medullæ spinalis. Cur igitur a theca ista fundamentum distributionis, cur non potius a partibus contentis istud peteremus?

Illustr. *Cuvierius* ipse postea novam methodum proposuit, et in IV classes primarias regnum animalium distribuit, *vertebrata, mollusca, articulata* et *radiata* (12). Nec non *Lamarckius*, auctor illius distributionis, eam mutavit in hanc:

I. Animalia *apathica* (*radiata* Cuv.)
II. Animalia *sensibilia* (*articulata* et *mollusca* Cuv.)
III. Animalia *intelligentia* (*vertebrata*) v. Extrait du Cours de Zoologie.

Varia systemata eodem tempore proposuerunt, ut jam diximus, Zoologi Germanici, quamvis omnes plus minusve systemate *Cuvierii* usi sint. Multa quoque prodiere nova, magis ingeniosa quam vera, et eruditionis ostentatione magis, quam naturæ observatione conspicua: quæ singula enumerare et longum foret, et a proposito quam maxime alienum. Ad quod vero pertinere nobis videtur

(12) Règne anim. I. p. 57 - 61. Jam anno 1812 hanc divisionem proposuerat: » J'ai reparti ces diverses classes (d'animaux non vertèbres) en trois embranchemens, comparables chacun à celui des animaux vertèbres, dans un mémoire lu à l'Institut en Juillet 1812, imprimée dans les annales du mus. d'hist. natur. tome 19." (Ibid p. 61.)

indagatio, an classes a *Lamarckio* et *Cuvierio* constitutæ revera sint magis naturales illis, antea a *Linnaeo* constitutis.

Discrimen est in classibus animalium vertebris carentium, ut jam sæpius monuimus. *Linnaeus* omnia illa animalia in duas classes distribuerat. Classis insectorum, insecta *Cuvierii* et *Lamarckii*, nec non eorum *Araneïdea* et *Crustacea* amplectebatur. Est classis satis naturalis, quamvis postea in tres classes sit distributa; nam insecta, Araneïdeâ et Crustaceâ structurâ generali conveniunt, licet quoad organa respirationis et circulationis differentia obtineat. Transitus tamen observatur inter insecta proprie sic dicta, Araneïdea et Crustacea, quo ad hæcce organa; ita ut difficile sit inter hæc animalia limites constituere. Crustacea corde uniloculari, in dorso posito instructa branchiarum ope respirant; Araneïdea alia branchiis, tracheis alia respirantia, vase dorsali, arterias emittente, venasque recipiente prædita sunt. Insecta denique tracheis aërem ducunt, et vase dorsali ramis arteriosis æque ac venosis carente, instructa sunt (13). Limites non video; nam si ad organa respirationis attendimus, quædam araneïdea insectis proprie sic dictis, quædam alia crustaceis adnumeranda essent. Si Scorpionem anatomice consideramus, videmus, ut monuit cel. *Treviranus* (14), eum transitum crustacea et insecta inter formare; convenit attamen in pluribus organis magis cum illis, quam cum his; necesse igitur est, ut crustaceorum nova formetur familia, vel ut insectis denuo adnumerentur crustacea, cumque iis commisceantur. Forma enim cordis limites inter crustacea et Scorpionem constituere nequit; cum ista forma tam varia sit in unius ejusdemque generis speciebus, ut ne genericus quidem ex ea desumi possit character. Si enim ad cor respiciamus, *monoculi*, [quæ animalia a *Cuvierio*, *Lamarckio* aliisque inter crustacea posita sunt (15)], inter araneïdea potius collocari de-

---

(13) Conf. *Cuvier* le règne anim. II. p. 512, 513, 514.

(14) In eximio opusculo: » Ueber den innern Bau der Arachniden." Nurnberg, 1812. 4°. p. 16.

(15) *Branchiopodes* (Cuv. Règne an. III. p. 59.) Vide e. g. (p. 62)

berent (16): si vero Scorpio crustaceis adnumeretur, quoque araneidea omnia, quæ *pulmonaria* a *Latreille* dicuntur, iis adnumerari deberent: quo facto, nomen crustaceorum mutandum esset, cum ista araneïdea crusta non tegantur.

Videntur igitur omnia illa animalia, quæ a CUVIERIO *articulata pedibus articulatis* dicuntur, ad unam eandemque classem pertinere, cujus ordines sunt *crustacea, araneïdea* et *insecta.*

Altera classis Linnæana illa est, quæ *vermes* complectitur. Illa classis neque naturalis, neque in anatomia fundata est. Quid enim commune habent *Sepia* et *Infusorium* quodcumque? *Sepia* gaudet corde, vasis, organis respirationi facientibus, nervis, organis sensûs; adest in abdomine organorum secretoriorum turba. *Infusorium* contra neque cor neque vasa habet, caretque nervis organis sensuum, respirationis, secretionis; totum corpus unam eandemque massam homogeneam seu pulpam quamdam refert. — Quanta distantia!

Distinxere recentiores *vermes* LINNÆI in *Mollusca, Cirrhipeda, Annelida, Radiaria, Entozoa, Polypos* et *Infusoria,* quæ classes omnes (Entozoorum classe, de qua infra, forsan excepta) naturales esse videntur. Forte *Molluscis* adjungenda denuo *Cirrhipeda* sunt, ne classium numerus nimis augeatur. *Annelida,* quæ ex *Rudolphii* sententia melius *Annulata* dicuntur, sunt æque ac *Insecta* articulata, sed pedibus articulatis carent.

Secundo loco examinare debemus, quonam ordine classes secundum anatomiam comparatam inter se disponi debeant. Licet enim (vide supra, capite II in fine) omnia animalia rete constituant, tamen non negandum est, animal vertebratum v. c. mol-

---

descriptionem cordis Limuli, quæ cum structura cordis araneïdeorum a Treviranò descripta et egregie delineata ab omni parte convenit: »Le cœur est un gros vaisseau garni en dedans de colonnes charnues, regnant le long du dos, et donnant des branches, des deux côtés." Eadem structura quoque in *Squilla* (FABR.) adest, quam familiam celeberr. entomologus *Latreille* »*crustacea stomopoda*" dixit.

(16) *Treviranus* l. l. p. 17, 18.

lusco perfectius esse. Sic quoque anatome comparata docet *Sepiam* esse perfectiorem *Echino*.

Et primum quidem videamus, an insecta perfectiora sint molluscis, nec ne. Insecta, sensibus externis evolutis, movendi celeritate et varietate, instinctu, dolis et arte dissimulandi, innata quidem illa, sed stupenda, molluscis, in quibus nihil ejusmodi tantâ saltem perfectione observatur, præstant. Si ad hæc respiciamus, insecta perfectiora esse molluscis judicaremus, ut summus *Linnaeus* judicavit. Sed si ad internam fabricam respicimus, iis Zoologis, qui statuunt mollusca perfectiora esse insectis, non possumus, quin assentiamur. Si verbi causâ organa circulationis, cor, vasa et porro secretionis, hepar v. c., intestina denique nec non systema nerveum consideramus, ea omnia in molluscis magis elaborata et composita esse, quam in insectis inveniemus, etsi non negandum sit, iis organis, quorum ope cum rebus externis commercium alunt animalia, molluscis fere omnibus insecta præstare, quæ enim vitam magis externam, ut ita dicam, agunt (17). Nullum igitur dubium superest, quin ea animalia, quæ mollusca dicuntur, et a *Linnaeo* vermibus adnumerabantur, insectis in systemate naturali anteponi debeant, si quidem ab Homine incipientes ad Infusoria descendamus. Nam molluscorum organisatio magis composita est, quam illa insectorum (17*).

---

(17) De his conf. *Wilbrand* l. l. p. p. 66 - 70: nec non *Schuberts* Ansichten von der nachtseite der naturwissenschaft. 8°. 1808. p. 261 - 264., et *Treviranus* Biologie oder philosophie der lebenden natur. 8°. Ister bd. 1801. p. 340.

(17*) Quo ea, quæ disputavimus, ab unius partis studii culpâ vindicemus, apponere liceat paullo longiorem annotationem.

Sunt inter Zoologos Germanicos multi, qui adhucdum cum Linnæo insecta perfectiora molluscis censent, iique egregii viri, *Blumenbachius* v. c. *Okenius*, *Tiedemannus*, *Carus*, ut de ceteris taceam. Judicii integritas postulat, ut horum, quæ attulerunt, apponamus argumenta; quæ attulisse *Blumenbachium*, *Okenium*que haud scio; *Tiedemannum* vero hæc monuisse video: » Die französischen » naturforscher lassen die Mollusken gleich auf die fische folgen, und stellen » sie über die insecten, aber mit unrecht, denn thiere mit ausgebildeten sinnes-und bewegungswerkzeugen, müssen über die mit ausgebildeten organen » der reproduction gestellt werden, indem jene organe höhere productionen » sind, und wir in der ganzen thierreihe von der niedersten bis höchsten classe

Quænam autem classis animalium post illam molluscorum sequi debet? Secundum *Cuvierium* et *Lamarckium* post mollusca sequuntur *annulata*, quæ antea a *Linnaeo* et *Gmelino* inter vermes, et igitur post *insecta*, collocata erant; quem locum denuo iis tribuere *Dumeril* (v. supra p. 16) et *Wilbrand* (tum in disputatione laudata in actis societatis Harlemensis, tum in alio opere, theodisce conscripto, cui titulus: *Darstellung der gesammten Organisation.*) Atque revera, si ad structuram horum animalium attendimus (18), negare non possumus, eam esse multo simpliciorem, quam insectorum perfectiorum fabricam. Porro constat insecta proprie sic dicta in primo vitæ stadio, antequam metamorphosin subierint, plerumque vermibus s. annulatis valde similia esse. Idem in Ranis observatur, quæ ante metamorphosin, dum adhuc Gyrini vocantur, piscium formam mentiuntur. Ex analogia igitur vermes insectis postponendi videntur, cum pisces Ranis sint imperfectiores, et lex naturæ esse videatur, ut quævis forma organica, e

---

» ein hervortreten der sinnes-und bewegungswerkzeuge bemerken." (Zoologie zu seinen vorlesungen entworfen, Ister bd. 1808. Landshut 8°. p. 34.) *Carus* autem (in libro egregio, cui titulus Lehrbuch der Zootomie. 8°. Leipzig, 1818. p. 21 - 22.) » Beide klassen sind eigentlich nicht wohl nach einander, sondern » nur neben einander zu betrachten; will man indess eine über die andere » stellen, so ist gewiss dazu, ihrer ganzen bedeutung nach, nur die klasse der » *Gliederthiere* geeignet, denn obschon im *Weichthier* mehrere organe, und » selbst das nervensystem eine höhere bildung an sich tragen, so thut doch in » jener klasse das thierreich überhaupt einen zu bedeutenden schritt vorwärts, » indemm das im wasser erzeugte thier, hier zuerst wahres lustthier, ja durch » und durch athmungsorgan wird, als dass nicht eben diese form für die höhere » geachtet werden müsste." — Hæc autem omnia, quæ *Carus* adfert, assumptione nituntur, crustacea esse imperfectissima insectorum; at hoc non concedimus. Quæ autem *Tiedemannus* dicit, iis non assentire possumus; *Carus* enim ipse fateatur oportet, in molluscis nerveum systema magis evolutum esse (» *eine höhere bildung an sich tragen*"). Porro si *Sepiam* cum insecto quovis compares, confitendum tibi erit, nullum articulatum animal huic *Sepiae* perfectius existere. Egregie tamen *Carus* » Beide klassen sind eigentlich nicht wohl » nach einander, sondern nur neben einander zu betrachten." Sic quoque hac de re *Rudolphius* sentit. Præbent enim istæ classes egregium argumentum eorum, quæ de retiformi animalium distributione diximus. Vide supra, inprimis, quæ e *Cuvierii* libro desumta sunt ann. 7.

(18) Vide *Cuvier*. l. l. II. p. 511, 512 et præprimis p. 515.

qua alia per metamorphosin prodit, hæc sit simplicior, minusve perfecta. Sed hanc meam opinionem non magni facio; quin potius annulata novum mihi argumentum, quo pateat, quam verum sit, naturam opera sua non unius rectæ lineæ adinstar collocasse, præbere videantur. Post hæcce animantia sequuntur crustaceorum, araneïdeorum et insectorum numerosæ familiæ. Omnia hæc animalia in una classe collocanda esse, supra jam demonstare conati sumus. Ordines igitur sunt: I. *Crustaceorum*; II. *Araneïdeorum*; III. denique *Insectorum* proprie sic dictorum. Quamvis *Linnaeus* crustacea et araneïdea inter insecta aptera, et igitur post insecta proprie sic dicta collocaverit, attamen non negandum est, ex anatome comparata satis superque patere, ea insectis perfectiora et anteponenda esse; quod re vera probavit summus Cuvierius, et luculentissime ostendit.

Jam sequitur ingens *vermium* classis: quos *vermes* ne cum *annulatis*, de quibus jam egimus, confundantur, potius cum *Rudolphio Entozoa* dicere nos lubet. Nonnulla entozoa cum annulatis, quo ad formam, quodam modo conveniunt: differunt autem structurâ simpliciori vasorumque defectu. Classis horum animalium, si ex anatomia comparata dijudicare volumus, naturalis non est; imperfectiora enim, quæ a *Cuvierio* » Intestinaux parenchymateux" dicuntur (19), cum infusoriis valde convenire videntur. An a cæteris hæc disjungenda, infusoriisque adnumeranda essent? Non is ego sum, qui hanc rem dijudicare valeam.

Radiaria et *Polypi* naturalem locum in systemate obtinere videntur; infimum inter animalia locum jure occupant *infusoriorum* copiæ.

Brevem conspectum dedimus eorum, quæ anatomia comparata nos docet de classium constitutione et ordine. Missis hisce, ultimo loco videamus, quidnam nos doceat de vero charactere, cui superstrui systema naturale animalium debet. Per se jam

---

(19) *Acanthocephala, Trematoda, Cestoïdea* et *Cystica Rudolphii.* Præ ceteris *Cystica* hic volo.

patet, ea organa esse eligenda, quibus animal a reliquis corporibus organicis, a vegetabilibus discrepat. Nam iis efficitur, ut animal id sit, quod est. Plantarum fabricam si cum animalium comparamus, simplicem esse statim intelligimus. Princeps autem hujus simplicitatis causa in defectu organorum motus et sensus quærenda videtur. Multæ enim animalium partes ad sensum facientes multiplici forma et numero sunt constitutæ: plures etiam ad motus præstandos in iisdem reperiuntur (20). Systema nerveum igitur animalibus proprium est. *Okenius* quidem nostris temporibus vasa spiralia nervos plantarum esse affirmavit; sed optime eum refutavit celeb. *Kieserus* in commentatione de structura plantarum præmio condecorata. Jam *a priori* nervos plantis denegandos esse quisque videt: nam nervi sensui inserviunt: verus autem sensus plantis tribui nequit: cur igitur nervi adessent vel analoga, cum nihil a natura frustra sit procreatum?

Si igitur a systemate quodam organico characteres desumendi sint in animalium classificatione, systema nerveum omnino eligendum est, quia inter systemata organica principatum tenet, et quasi lapis lydius habendum est, quo indicatur, an animal sit magis minusve perfectum.

III. *Rudolphius* ejusmodi systematis schema dedit (21), et omnem

(20) Vide *Caesalpini* de plantis libri. XVI. l. I. p. 1. Hinc summus *Linnaeus* vegetabilia *crescere* ac *vivere*, animalia vero non tantum *vivere* et *crescere*, sed etiam *sentire* dixit. Hancce enim inter regna organicorum corporum posuit ille differentiam. Quæ quidem distinctio magis mihi placet, quam omnes aliæ, magis etiam quam illa, licet egregia, quam proposuit ill. *Bichat*. Hic enim sic loquitur: » On connait la phrase par laquelle *Linné* caractérisait les minéraux, les » végétaux et les animaux. Celle-ci serait plus juste: 1° propriétés physiques » pour les minéraux; 2° propriétés physiques, plus les propriétés vitales orga- » niques, la contractilité sensible exceptée, pour les végétaux; 3° propriétés » physiques, plus toutes les propriétés vitales organiques, plus les propriétés » vitales animales pour les animaux." Anatomie générale, nouvelle éd. 1818. 8°. I. p. 7. Habet ista definitio magnam cum formula algebraïca convenientiam. De stilo autem mathematico in Zoologia et Botanice idem valere mihi videtur, quod de oratorio jure disputavit *Linnaeus* v. opus aureum Phil. Bot. p. 133. § 199.

(21) Vide ejus: Beyträge zur Anthropologie und allg. Naturgeschichte. 1812. 8°. p. 79 - 60.

certe attentionem meretur, quod classes majores eædem sint, quæ ex alia causa etiam constituit summus *Cuvierius* (v. supra p. 22 et imprimis ann. 12.) *Rudolphii* enim *Cryptoneura* cum *Cuvierii radiatis*; illius *myeloneura* cum hujus *articulatis*, *ganglioneura* cum *molluscis*, *diploneura* denique cum *vertebratis* conveniunt (22). — Illa igitur classificatio naturalis esse videtur; fundata enim est in anatomia comparata. *Cryptoneura* ea sunt, in quibus *distinctum* systema nerveum non conspicitur; ad hæc pertinent, licet non omnia, plurima tamen *radiatorum Cuvierii*; *myeloneura*, systemate nervoso medullari prædita, a *Cuvierio* ob articulatum corpus *articulata* dicuntur. *Ganglioneura* (s. *mollusca* et *radiata* quædam) systemate nervoso ganglia formante, instructa sunt. *Diploneura* denique s. *vertebrata* duplici systemate nervoso gaudent, quorum alterum vitæ animali (*cerebrum* et *medulla spinali*, et nervi huc pertinentes), alterum vitæ organicæ inservit (*nervus sympathicus*). Nomina vero, quæ hisce classibus dedit *Cuvierius*, illis, quæ *Rudolphius* proposuit, anteponenda videntur; quippe quæ magis conspicua: classes autem zoophytorum minus recte a *Cuvierio animalia radiata* dicuntur; forma enim radiata, etsi plurimis communis, tamen in multis *entozoïs* et *infusoriis* desideratur.

Credimus, ut tandem ex his omnibus, quænam sequantur dicamus, credimus igitur, si anatomia comparata magis profecerit (quam ut jam exornavit permultis novis antea in cognitis rebus, sic quoque adhuc amplificaturus est majori de hacce disciplina libro, diu jam exspectato, egregius *Cuvierius*) sine magno labore præprimis e systematis nervosi cognitione methodum naturalem animalium exstrui posse.

---

(22) Tunc temporis nova *Cuvierii* classificatio *Rudolphio* adhuc incognita erat. In annotatione enim *Rudolphius* hæc scripsit: »Nachdem ich diese ab» handlung schon vorgelesen hatte, schreibt mir dieser treffliche naturforscher » (*Cuvier*), dass er bald eine neue eintheilung der thiere bekannt machen wird, » worauf ich höchtst begierig bin." Erat autem nova illa classificatio eadem, de qua supra jam egimus (p. 17 sq.), quamque in egregio libro, cui titulus: Regnum animale, secutus est ill. *Cuvierius*.

Diximus, quæ de usu et dignitate anatomes comparatæ in stabiliendis regni animalium divisionibus dicenda habuimus. Nihil igitur opus erit, cum, quæ pro exiguis viribus potui, attuli, ut hac in re diutius bonæ horæ consumantur. Consectaria tamen addere liceat, quibus scriptiunculæ summa continetur. Ex nostra autem indagatione sequi videtur:

I. *Classium* et *ordinum* characteres e Zootomia peti debere.

II. Ea organa esse eligenda, quæ maximi sunt momenti in œconomia naturæ.

III. Seriem naturalem classium ordinumque a magis minusve composita animalium structura pendere, et hanc ob rem ab anatomia comparata deducendam esse.

IV. Genera, licet character ab externa cujusdam organi forma desumta sit, si naturalia sunt, ea animalia complecti, quorum structura interna in pluribus convenit, in paucis tantum iisque minime momentosis differt.

V. Methodum naturalem ab interna structura indicari.

TANTUM.

